

IHS



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
15 A
74



THESAVRVS CHRISTIANI HOMINIS,

Complectens Libros sex:

De Contemptu diuitiarum,	Lib. I.
De Flagello Dei, siue de Medicina animæ,	Lib. I.
De Prosperitate & aduersitate huius sæculi,	Lib. I.
De Felicitate cælestis Patriæ,	Lib. I.
De Christo, eiusque Corpore, quod est Ecclesia,	Lib. II.

Omnia ferè ex scriptis D. Aurelij Augustini, Hipponensis Episcopi, collecta & concatenata,

Per

IOANNEM FREDERICVM LVMNIVM,
Pastorem in Beghinagio Antuerpiensi.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXXVIII.

Summa Privilegii.

Regiæ Maiestatis Priuilegio cautum est, ne quis præter Christophorum Plantinum intra annos quatuor Thesaurum Christiani hominis, complectentem libros sex, collectos & concatenatos ex scriptis D. Aurelij Augustini, Hipponensis Episcopi, per Ioannem Fridericum Lumnium, Pastorem in Beghinagio Antuerpiensi, *typis vllo modo excudat, aut alibi excusum in hisce ditionibus distrahere audeat: vti latius patet ex literis Datis Bruxellæ, vltima Iunij, Anno* CIↃ. IↃ. LXXXVII.

Subsig.

I. de Witte.

AD SERENISSIMVM AC REVERENDISSIMVM DOMINVM, D. ERNESTVM,

electum & confirmatum Archiepiſ. Colonienſ. ſacri Romani Imperij per Italiam Archicancell. Principem electorem, Electum & confirmatum Leodienſ. poſtulatũ Monaſterienſ. Hildiſſemenſ Freiſingenſ. & Stabulenſ. Adminiſtratorem: Comitem Palat. Rheni: ſuperioris, inferioriſq; Bauariæ, Weſtphal. Angar. & Bullonenſ. Ducem: Marchionem Francimõtenſ. Comitem Loſſenſ. Loingenſ. Hornenſ. &c.

IOANNIS FREDERICI LVMNII

Præfatio dedicatoria, in hunc Theſaurum Chriſtiani hominis.

IAM tandem prodit non ſolùm integrum, ſed & elimatum, & auctum, Illuſtriſſime & Sereniſſime Princeps Elector, opuſculum hoc Theſauri Chriſtiani hominis; quod ex Scriptis D. Aurelij Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, multo labore à me collectum, atq; abhinc plus minus ſexennio, cùm agerem Leodij, T. Celſitudini dedicatum, communis horum temporum calamitas, nõ niſi ex parte in manus hominum venire permiſit. Nam cùm annis iſtis ſuperioribus per vniverſum noſtrum Belgium atque adeò per aliquas quoque Illuſtriſſimæ V. C. prouincias, nihil foris audiretur, niſi perhorribilis, cruentuſque bellorum ſtrepitus; nihil intus ſentiretur, niſi grauiſſimus inſtantium periculorũ metus: quis non (vt alia taceantur impedimenta) intempeſtiuum iudicaſſet, ſi tunc perterritos, depreſſoſque hominum ſenſus, ad hanc ſublimioris philoſophiæ meditationem, quæ hiſce

ſex libris depingitur, prouocare & inſtigare voluiſſem? Sed quia iam pax (qualiſcumque illa ſit) noſtris ſedibus, à quibus per annos aliquot exulare coacti fuimus, conceſſa eſt; & ciuitates prope omnes, quæ hic in Brabantia & in Flãdria rebellarũt, omnipotẽti Deo, Regiq. Catholico iterum ſubiectæ ſunt: (vnde non parum multorum afflictorum hominum corda reſpirare cœperunt:) vlterius nõ mihi eſſe cunctandũ exiſtimaui; quin data hac opportunitate quietioris temporis, de noua, integraque huius Theſauri noſtri Auguſtiniani euulgatione cogitarem. Quod vt celerius à me expediretur, effecit, & promptus Plantini noſtri, viri de re literaria optimè meriti, ad imprimendum animus: & meliorum dierum incertitudo: & expectatio quorundam piorum, qui, donec totum hunc Theſaurũ ſimul haberent, etiam partem illius, quæ impreſſa Leodij fuit, ſibi comparare diſtulerũt. Horũ ergo piorũ deſiderio vt quàm citiſſimè ſufficientiſſimeq. ſatisfacerem; nec tẽpori, nec labori, nec ſumptui iudicaui mihi eſſe parcẽdum, quò hæc editio, quę per Chriſtoph. Plantinum datur, & maturior eſſet, & ornatior. Quam etiã hoc nomine beneuolis illis mentibus magis gratam, charamque futuram exiſtimo, quòd duorũ librorũ acceſſione, qui præter intentionẽ aliquando in me cõceptam, & promiſſionem olim factam, huc tranſlati ſunt: auctiorem eam, & locupletatiorẽ habebunt. Quare & plus fructus, & conſolationis, & voluptatis, ipſis hinc prouenturum confido. In iſtis enim, quos dixi, duobus libris, quibus eſt titulus, DE CHRISTO, EIVSQVE CORPORE, QVOD EST ECCLESIA, variis rationibus inſtruuntur & admonentur fideles, hoc eſt, Chriſti membra; vt intelligant, quã multa magnaq; dona

na ipsis à Deo simul cōcessa sunt, dū filium suum
cum, Christum Iesum Dominum nostrum, pro-
r homines in terris hominem factum, Caput ipsis
stituit. Quo dono maius nullum à Deo præstari
uisse hominibus, fatetur etiam hic noster D. Au In Psal. 85.
tinus. Addam & illud, ex eiusdem argumenti tra-
tione manifestum fieri, quòd neque diuitiarū &
nalium voluptatū contemptus, ad quem Primus
us Thesauri liber lectorem hortatur: neq. opera
nitentię, quæ in Secūdo libro cōmendantur: neq.
ientia in aduersis, & gratiarū actio in prosperis, de
bus Tertius loquitur: neque desiderium æternæ
citatis, ad quod Quartus incitat: neq. quicquam
ud, quantumcunq. magnum & excellens, vlli ho-
ni, qui nō intra Ecclesię Catholicę sinū cōstitutus
, possit prodesse ad salutem: cū proculdubio non
in eo qui foris est, charitas, quę nusquā nisi in vni-
e Ecclesiæ, queat haberi, participari, & custodiri.
d hac de re suo loco latiùs disseruimus. Sicut ergo
aritas scopus seu finis omniū virtutū est, in quem
igi debēt omnes nostræ actiones meritoriæ, prius-
àm Deo placeant: sic inuiolabilis Ecclesiæ vnitas,
qua sola Dei proximiq. inuenitur charitas, semper
spectanda & obseruanda est, vt quodcumq. rectè,
iustè, sanctéq. à nobis factum esse velimus, id non,
si ad eius mētis declarationem & iussionem facia-
us. Quare nemo mirabitur, quòd, qui de Christo,
usq Corpore inscripti sunt libri, vltimum hîc sor-
ntur locum, qui meritò propter suam dignitatem
eminentiam videntur debuisse habere primum.
ualiacumque enim opera illa sint, & laudabilia,
præstantia, & vtilia, & necessaria, quæ in prioribus
oris quatuor commendanda suscepimus, omnique

modo amplexanda esse, diuersis ibi argumentis demonstrauimus: inania erunt omnia, si nō cōformentur ad suam ideam, hoc est, si non ad Catholicæ Ecclesiæ, in qua sola norma omnis iustitiæ, & fructus totius pietatis est, voluntatē & intentionē referātur. Hęc de ratione ordinis & distinctionis huius operis, dicta sufficiant. Nunc etiam de priuata mea intentione, quam mihi præscripsi, dum has sententias cōnectere, & in libros redigere inciperem, dicēdum est aliquid, quo studiosis maximè pietatis, opus ipsum acceptius sit. Nā de ingratis nasutulis quid dicendū? quid expectandum? Qui, cùm ne à longe quidem D. Augustinum in eius scriptis salutauerint, nescio quam styli humilitatem, longarumque periodorum obscuritatem in eis coarguāt. Et propterea putauerunt quidam, etiam mihi familiarissimi (sed meo iudicio multum errauerunt) quòd lōgè maiore fructu, & legentium voluptate hi libri prodire potuissent, si seruato vbiq. præclarissimi Doctoris huius sensu, eius verba meis verbis aut commutassem, aut lucidiora fecissem. Sed, quæso, quidnam hoc esset? Fecundúsne ager commutandus videbitur pro terra sterili? Et scintilla stellulæ vnius, splēdorem solis illustrabit? Qui in lectione D. Augustini diutiùs versati sunt, aliter iudicant. Proinde, istis in suo condonando errore dimissis, prosequar quod incepi de intentione mea dicere, ad instructionem & consolationem piorum. Neque enim mihiipsi tantummodo isto labore meo prodesse studui; sed multis, sed omnibus, qui, quæ terrena sunt, cōtemnere; & quæ sunt cælestia, amare incipiunt: quique peccata omnia, & maxima & minima, quibus Deus semper offēditur, non solùm euitare, sed & radicitus è mente euellere,

eaque

que odisse; & ad plenam vitæ sanctimoniam, sine
a (teste Apostolo) nemo Deum videbit, peruenire
ntēdunt. Quapropter, si quos ista studij mei qua-
umque diligētia seu disciplina, ad melioris atque
ncerioris vitæ institutū prouocatos, in hac palæstra
hristianæ pietatis profecisse, veræque virtutis api-
m attigisse, aliquando comperero: dicere non pos-
m, quàm sim iis omnibus ob hanc gratiam con-
atulaturus; qua in bonis operibus, quæ foris exhi-
ntur, diuites facti; etiam qui in ipsis absconditus
:, cordis hominem, in incorruptione quieti & mo-
sti spiritus, in cōspectu Dei, & locupletem, & for-
m, & feruentem, & rerum cælestium, Catholicæq.
nitatis amatorem ostendunt. Quid enim spiritua-
bus istis diuitiis, quæ internum hominem ditant,
æclarius aut magnificētius? Quid hoc triumpho,
ui de castris vitiorum superatis agitur, iucundius?
uid mentium tranquillitate, & gratiarum actione,
m in aduersis, quàm in prosperis, suauius? quid de-
que ipsa immortalitate, & felicitate ęterna, à Chri-
o Christi membris, in Ecclesia Christo adhærenti-
us, promissa, desiderabilius est? Ad quæ certè tam
agna, tamque eximia bona commendanda, simul
: persuadenda, & inculcanda hominum cordibus;
uantum in hoc Opusculo à me laboratum & su-
atū sit, tuę Serenissimę prudentiæ facile erit videre,
mplissime Princeps, si ista vel semel legendo, vel
gentiad mēsam, aures attentas præbendo, quid ve-
nt, & quorsum tendant, apud se cōsiderare, & peni-
us intueri dignata fuerit. Quę nō dico, quasi mihi
anem laudem aucupari velim pro eo quem feci
bore; aut expectare cogitem vllā humanam gratiā
ro mea mercede. Absit enim ista demētia non solū

à meo, sed etiam ab omniũ Christianorũ, dum boni quid facimus, corde: vt pro remuneratione, quam Deus promisit in posterũ se daturũ, optemus in hoc sæculo nobis repẽdi aut stipem vnam, aut stipulam: quales sunt res terrenæ omnes, cælestibus cõparatæ. Aliud igitur est, quod me mouit, vt ista dixerim. Video (quod videre me doleo) quã plurimos, & sacros & prophanos homines, ita curis sæcularibus immersos, transigere præsentem hanc vitam, vt prope nihil de futura cogitent. Peccant etiam, & non dolent: cadunt, & surgere non satagunt: bellũ Deo quotidie suis pessimis moribus indicũt: de pace cũ eo faciẽda, ne somniant quidem. Et vnde in ipsis, quæso, malum hoc? Puto non aliunde, quàm ex crassa quadam, & affectata earũ rerum ignoratione, quæ ad ædificationem proximi, ad serenitatem mentis, ad conscientiæ puritatẽ, & ad vitæ, statusq. sui sanctitatẽ cõducunt. Contra huius itaq. detestandę ignorantiæ malũ, cùm longè lateque in orbe Christiano peruagetur, & in mille damnationis pericula animas fidelium præcipitet: omni ratione & diligentia, donec euincatur, aduigilandũ & obsistendũ esse censeo: ne tyrannidis illius dominium eousq. progrediatur, vt & piorum & electorum mentes præoccupare & excæcare incipiat. Pro his enim à tali malo seruãdis, & in suo officio retinẽdis, quos Christi sancta membra esse speramus; nequãdo eos aut sui obliuio, aut vocationis suæ inconsideratio, à compage corporis Christi diuellat; maiori studio & alacritate opus est. Quare & ego, quicquid in me curæ fuit, quicquid consilij, & prudẽtię, & studij ex Dei gratia in me esse potuit; in hoc vno labore collocandũ existimaui, quo cũctis Christi & membris & militibus arma spiritualia, quibus pestis

tis istius mortiferum caput amputare, suamque
ernam salutem defensare queant; ex aureo illo
Aurelij Augustini armamētario desumpta, & huc
nul congesta, ad manū administrarentur. De his
nis locutus est & B. Apostolus, quādo Corinthiis
hunc modum scripsit: In carne enim ambulātes,
n secundū carnem militamus. Nam arma militiæ
stræ non carnalia sunt, sed potētia Deo. Et iterum
Ephesios: Induite vos armaturam Dei, vt possitis
re aduersus insidias diaboli. Et aliquāto pòst: Sta-
ergo succincti lūbos vestros in veritate, & induti
ricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem
iangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei,
quo possitis omnia tela nequissimi ignea extin-
iere; & galeam salutis assumite, & gladiū spiritus,
iod est verbū Dei. Quid ais, Apostole sancte? præ-
icator veritatis & doctor gentium, quid facis? Ter-
s nos hæc dicendo, an consolaris? Terreo, inquit,
mul & consolor. Et reuera ita est. In hoc siquidem
rret nos, quia pugnā, & hostem, & aciem ostendit:
i eo autem consolatur, quòd arma admodū valida,
Deo ipso præparata, nobis suppeditat, quibus non
olùm nos defendere, sed & hostem prosternere pos-
mus. Ideo primùm loricæ, scuti, & galeæ meminit,
uæ munimenta nostri corporis, & defensionis pro-
riè arma & instrumenta sunt. Post hæc, gladium
piritus in medium adduxit, quem vocat verbū Dei,
uo aduersariū inuadimus, & superamus. Per illum
amque (ait Chrysostomus) scinduntur omnia, per
lum omnia amputantur; etiam caput draconis per
llum abscindimus.. De hoc gladio loquitur & alibi
dē Apostolus. Viuus est enim, inquit, sermo Dei, &
fficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & per-

 tingens

tingẽs vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus; compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intẽtionum cordis. Et Chriſtus in Euangelio, Non veni, inquit, pacem mittere, ſed gladium. Hoc gladio accinctus erat Pſalmiſta ille; ille, inquã, Pſalmiſta, voce dulcis, manu fortis, mente illuminatus, virtute præclarus, Dauid, qui etiam inter vitæ pericula ſecurus, & inter triſtes bellorũ curas lætus, canebat Deo: Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. O virum prudẽtem! ô felicem regem! ô magnificũ triumphatorem! Omni abundantia diuitiarum, victorioſi nominis gloria, dono propheticæ reuelationis, imperij & regni amplitudine ſuper omnes eminebat: & nihil eorum ſic mirari voluit, nihil ſic diligere curauit, vt ignitum eloquiũ Dei. Verè vir beatus, cuius voluntas in lege fuit Dei, in qua meditabatur die ac nocte; vt illuminari mereretur. Hinc enim iterum Deo dicit; Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectũ dat paruulis. Sed quibus paruulis? Illis vtique, de quibus à Domino ad Apoſtolos, & ad Apoſtolicos viros, in Euangelio dictum eſt: Amen dico vobis, niſi cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli; non intrabitis in regnum cælorũ. Ergo ſermo Dei illuminat mentem, ſi fuerit tenebricoſa: ſi tepida vel frigida, accendit, & in diuinum trahit amorem. Quo amore accenſi erant illi, qui ſermone Domini noſtri Ieſu Chriſti audito, dicebant: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret Scripturas? Vnde enim ardere potuiſſet cor illorũ, ſi non ibi ignis fuiſſet? Quod autem verbum Dei ignis ſit, quo credentes in charitate Dei inflãmantur, declarat & ipſe Dominus Ieſus: Ignem, inquit, veni mittere

in

terram: & quid volo, nisi vt accendatur? Verùm, uid hoc sibi vult, cùm ipsa Dei æterna sapientia, Christus Iesus Dominus noster, qui hunc ignem in errram misit, manifestè expresserit hic suamipsius ersonam: quòd personas eorum, per quos accendi ebeat, tacuerit? Quod enim non per se solùm, ui mittebat; sed & per alios, per quos & ad quos nittebat, deberet accendi; hoc ipsa ratio verborum ius videtur ostendere, quæ locutus est per modum e se quasi dubitantis quid vellet; & propterea etiam lienam operã exigentis. Nisi ergo hoc subindicare oluisset; simpliciùs dixisse poterat, Ignem veni mittere in terram, & ego nunc accendo, vel accendam llum. Sed cùm dixerit: Et quid volo, nisi vt accẽdaur? proculdubio & ad alios huius actionis expeditionem pertinere manifestauit. Et tamen, quinam hi ssent, nõ voluit exprimere, sed potius subticere mauit: quod prudẽtissimo sanè cõsilio ita fecisse credẽlus est, vt qui sola sua electione, & sine vlla minitrorũ suorum discretione, ad hanc diuinã functioiem, indifferẽter, quoscunque voluit, præordinauit: tiam ad hoc obsequiũ illi præstandũ, nemo eorum, qui ad id præordinati & vocati sunt, quocumque oco constiterit, aut tempore vixerit, se non esse obligatũ, ex officio suæ vocationis agnosceret. Ergo non le solis Apostolis, quibus Dominus tũc loquebatur, oc intelligi debere credendum est: sed in genere de unctis verbi Dei pręconibus, cęterisque cooperatoibus Christi, quos hac interrogationis formula, Et quid volo, nisi vt accẽdatur? vehemẽter vrget & extinulat, ne in igne hoc accendẽdo, tardi ipsi, & tepidi, & desides sint; sed alacres multũ, & feruẽtes spiritu, & zelo pleni; præsertim cùm ipsum, donec eius vo-

luntas

luntas in hac re compleatur, omnis moræ & dilationis quasi impatiētem esse velle cōsiderant. Nam hoc significatur his verbis: Et quid volo, nisi vt accendatur? Non enim tantummodo vult, & imperat, & expectat, vt accendatur hic ignis: sed etiā vt citò id fiat, & semper fiat, tēpore & loco cōgruo; & ab omnibus quibus cura ista commissa videri potest. Si ergo ratio illius tēporis, in quod prior Christi aduentus incidit, à Christi Apostolis & Discipulis postulauit; vt per ipsos iste ignis, ad illuminandum & calefaciendum hominum corda, accenderetur; quo & peccatorum suorum tenebras, mundata per fidem mente, clarius intuerentur; & ad cuncta charitatis, cæterarumque virtutum opera exercēda, alacrius excitarentur: certè multo magis nunc id ipsum à nobis postulari credendum est, qui indubitatis multis indiciis tempus posterioris Christi aduētus propinquum cernimus; quando vix fidem in terra ipse se inuenturum, apud D. Lucam insinuauit; & in quo futurum, apud Matthæum prophetando, dixit; Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Quare nos Dei dispensatores, nequaquā nostro officio, ad quod, vt pro Christo legatione fungamur, assumpti sumus in Ecclesia; coram Deo satisfecisse videbimur; (præsertim cùm quotidie ista in Scripturis sanctis legamus, & verissima esse non dubitemus) nisi omni modo, & instanter, & indesinēter, & nostras ipsorum, & aliorum fidelium mentes, ad excellentem & vehementem amorem pietatis, & ad illam desiderabilem cælestis beatitudinis expectationem incitare & præparare studeamus. Est quidem labor illorum, qui de dogmatibus ecclesiasticis scribunt; quique fidem nostrā doctissimis suis lucubrationibus & astruunt

ad

onfirmandos Catholicos;& defendunt ad refu-
los hæreticos; non solùm nunc perquàm oppor-
us & vtilis: verumetiam necessarius. Sed quòd
oris ponderis res sit, mente id cogitare, & opere
icere, quo charitatis Christianæ in Christianorũ
libus accensus semel ardor magis ac magis inca-
at & augeatur: nullus etiã est (vt opinor) si rectè
t, qui nesciat. Immo hoc solũ si defuerit, quis non
nidet, cętera quę facit, nihil posse prodesse: dicẽte
ostolo, Charitatem autẽ non habuero, nihil mihi
dest? Cera, seuũ, oleum, res eius generis sunt, quæ
ad candelas cõficiendas, vel ad lampades præpa-
das, per humanam industriam ad vsus humanos
ommodari possunt: sed si in illis, quod intus re-
ditũ est, vel ex vna parte non sit accensum elych-
m, quis inde videat? Vsus etiam lignorũ talis est,
sa multo labore discissa, & è syluis intra septa
norum inuecta, foco instruendo & fouendo de-
iant: verùm si lignis ignem non subiiciamus, vel
m ad incendẽdum ea, aliud quippiam, quod in-
sum est igne, non adhibeamus; quid commodi
percipiemus, vel ad corpus nostrum calefacien-
n, vel ad cibum coquendũ? Sic nec illa videntur
ltum posse prodesse, in quibus pro nostra religio-
& fide tuenda, tanto sudore laboramus & certa-
s: si non corda bene credentium, etiam ad Deum
landum & amandum, ipsique soli inhærendum,
nostris verbis incendãtur, & factis confirmentur.
od cùm maximè ad omnium illorum, qui Chri-
ni populi gubernacula susceperunt, curam perti-
videatur: imprimis tamen ad Episcoporum, &,
ipsis subiecti sunt, pastorum officium spectare
noscitur, quibus & vita inculpata ædificare oues
domi-

dominicas,& ſana doctrina paſcere præceptum eſt. Quapropter ne quid hac in re & meę ſollicitudini & muneri deſit, in quo inter paſtores minimos, me minimum & indignum conſtituit gratia Dei: hunc qualemcumq. laborem meũ, quem in hoc Opuſculo contexendo inſumpſi, nõ illibenter ſimplicibus, veri & æterni paſtoris ouibus, & deuotis Eccleſiæ filiis, Chriſtique membris communico. Tuam verò obnixiùs rogo, ampliſſime & ornatiſſime Archipræſul, ſublimitatem; vt, quo affectu ad communem, & plebis Chriſtianæ, & eorũ, qui huic prę ſunt, vtilitatem, iſte Theſaurus illi à me offertur, & dedicatur denuò: eo & hunc amplecti, & ſuo patrocinio tueri, aliiſque, vt perſcrutari non grauentur, ſua eximia authoritate commendare dignetur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus cũctos tuos inimicos, vel terrore pœnæ ad obediendum compulſos, vel dolore pœnitentiæ ad bene viuendum conuerſos, Sereniſſimæ tuæ Celſitudini vſquequaque ſubiectos teneat: teque ſic, vt Catholicum Principem, ac Catholicæ religionis acerrimum tutorem decet, vbique victorem; Eccleſiæ ſuæ per multa tempora ſeruet incolumem. Antuerpiæ ex noſtro Beghinagio, tertio Ianuarij; anno Dominicæ natiuitatis milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo ſeptimo.

ELENCHVS CAPITVM LIBRI,

DE CONTEMPTV DIVITIARVM.

CAP. I. Spes Christiani hominis, non in rebus terrenis; sed in Deo ponenda est.

Diuites quomodo pauperes fiant.

In ipsis diuitibus nō facultas, sed cupiditas reprehenditur.

Et diuites & pauperes debent esse humiles.

Diuitibus in primis vitanda est superbia: & quo ditiores sunt, eo solicitiores in timore esse debent.

Quid sequatur mali ex ipsis diuitiis, ob quas homo hominem, sicut piscis piscem deuorat.

Cùm hoc seculum sit velut mare, videat vnusquisque ne hic submergatur, vel fluctuet, per iniustitiam & rapinam.

Mundi negotia, ex quibus constantur diuitiæ, flumina Babylonis sunt: currunt & transeunt.

De rerum abundantia non est gaudendum; sed de Deo, qui nostrum bonum & gaudium est.

Non potest innocēs esse, qui vel emendo vel vendendo fraudulenter, lucra sibi conquirit.

Grauius damnum est fidei & iustitiæ, quàm vestis vel pecuniæ.

Quibus modis excusent se iniusti negotiatores de auaritia.

Quomodo de sua iniustitia se excusent fœneratores, & alij similis farinæ homines, ne auari videantur: cùm iustitiam amantibus, & timentibus Deum nihil desit.

14. Christi sententia explicatur: Cauete ab omni auaritia: & exemplum diuitis stulti adiūgitur.

15. Exemplum diuitis purpurati proponitur, qui non, quia aliena rapuit, sed quia sua sibi seruauit, damnatus est.

16. Auari malè intelligunt scripturam: Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.

17. Aliena non sunt rapiēda: quod illustri exemplo declaratur.

18. Bonus bene vtitur auro, malus malè.

19. Quædam bona solùm in bonis sunt, quædam bonis & malis communia.

20. Duplex est bonū: alterum facit hominē bonū: de altero homo facit bonum dum illud leuat in cælum.

21. Aliud iubet auaritia, aliud pigritia, aliud Christus.

22. Item aliud iubet auaritia, aliud luxuria, aliud Dei iustitia.

23. Auari redarguuntur de inani studio, diuitias conquirendi.

24. Exemplum diuitis de Euangelio proponitur: & refellitur excusatio auarorum, quam causa filiorum pretendunt.

25. Quomodo diues & pauper portare debeant onus alter alterius: & inter diuitis alicuius hæredes Christus etiam vnus est computandus.

26. Epilogus adhortationum prædictarum.

27. Post mortē nihil prosunt diuitiæ

tia

tiæ diuitibus, qui malè vixerũt, & in sua delicijs obdormierunt.

28. *Diuites cùm moriuntur, nihil eorum quæ hic possident, secum tollunt: & insuper laborabunt in æternum.*

29. *Grauiter peccãt, qui quasi iustè ab aliquo heredes institui concupiscunt: similiter qui ex auaritia aut paucos heredes, aut nullos habere volunt.*

30. *Exaggeratio malorũ, quæ suggerit auarorum cupiditas, Apostolico consilio refrenanda.*

31. *Quomodo Deo fœnerandum sit: & quàm tutò seruetur, quod Deo committitur.*

32. *Vbi thesaurizandum sit, secundùm Domini consilium.*

33. *Exiguũ hic expensum, auctum recipietur in cælo.*

34. *Quod in cælo non reconditur, facilè perditur, etiam illorum testimonio, quos serò pœnituit, quod sua ibi non reposuerint.*

35. *Diues quomodo & quare debeat sua superflua communicare pauperibus.*

36. *Diues attendat quòd suum superfluum non suũ sit, sed alienum.*

37. *Eleemosyna cui sit eroganda, per quam emitur regnũ cælorum.*

38. *Eleemosyna eroganti prodest magis quam accipienti.*

39. *Quid sit peccatori dare, tanquã peccatori: & iusto tãquam iusto.*

40. *Quomodo mendico petenti, & iusto non exigenti, eleemosyna sit eroganda.*

41. *Bona voluntas idem præstat, quod magna facultas.*

42. *Bona voluntas charitas est sine qua diuites pauperes: in qua pauperes diuites sunt.*

43. *Epilogus siue recapitulatio eorũ, quæ tractata sunt in Capitibus præcedentibus.*

44. *Diuites agnoscant se pauperum esse fratres: quia vnum diuitem patrem habent in cælo.*

45. *Diuitiarum inexplebilis cupiditas non extinguitur habendo, sed magis accenditur.*

46. *Collatio inter externas & internas diuitias: & magna earum differentia.*

47. *Conclusio huius libelli, quâ ostẽditur angelorũ diuitias alias esse quã hominum: qui ob magnam indigentiam multa quærunt.*

DE

E CONTEMPTV DIVITIARVM, LIBER VNVS:

Ex ſcriptis D. Aurelij Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, contextus.

CAPVT I.

Chriſtiani hominis ſpes, non in rebus terrenis, ſed in Deo ponenda eſt.

LAVSIBILIS *admodum & periucunda illa vox Prophetæ eſt, qua dicitur. Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius; & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Credis Chriſtiane huic voci? Si credis,* [1] ſit Dominus Deus tuus ſpes non aliquid aliud à Domino Deo tuo ſperes; ſed ipſe Dominus tuus, ſpes tua ſit. Namque multi de Deo ſperant pecuniam; multi de Deo ſperant honores caducos & perituros; *multi amplisſimas diuitias* de Deo ſperant; aliud quodlibet à Deo, præter ipſum Deum. Sed tu, *qui melius ſapis, quiq; ſanctiùs viuere intendis*, ipſum Deum tuum pete. Immò vero contemptis omnibus *rebus aliis*, perge ad illum; obliuiſcens alia, memento illius; relinquens retro alia, extendere in illum. Ipſe est qui *te* auerſum correxit; ipſe *te correctum* ad ſe adduxit. Quò aliquando duxit & perduxit terrena auaritia? Fundos fortè quærebas, terram totam poſſidere cupiebas, vicinos excludebas; illis excluſis, aliis vicinis inhiabas: & tandiu tenebas auaritiam, donec ad maris littora peruenires. Perueniens ad littora, inſulas concupiſcebas: poſſeſſa terra fortè *ipſum* cælum, *aut cæli partem* prendere *volebas*: Relinque omnes *hos* amores, *extingue omnes cupiditates*: pulchrior & *ditior* eſt ille, qui fecit cælum & terram. *In eum ergo ſolum qui talis ac tantus eſt, transfer vniuerſum amorem tuum, in cuius pulchritudinis & opulentiæ notitia, quantumcumque eam concupiſcas, non vanè delectaberis: & ex ea in firmam ſpem erectus, & quodammodo ſecurus de ſalute tua factus, etiam ipſe hanc vocem Pſalmiſtæ, tanquam de te*

[1] D. Auguſt in Pſalm. 39. ante medium.

 loquentis

loquentis, audire mereberis, Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & nō respexit in vanitates, & insanias falsas. Verè in hac Domini gratia multi se *eius benignitate & miseratione constitutos* agnoscunt, [2] qui iam vilem habentes mundum, *& contemnentes diuitias mundi*, & omnia quæ delectant in mundo, eligunt rectè viuere; dum hic viuunt in *diuitiis*, & gaudiis quibusdam spiritualibus. Et hæc vnde sunt adhuc ambulantibus & laborantibus super terram, nisi ex diuinis eloquiis, ex verbo Dei, ex parabola aliqua scripturarum *per sanctos Patres & Doctores Catholicos* scrutata & inuestigata, ex dulcedine inuentionis, quam præcessit labor inquisitionis? Sunt quædam *diuitiæ &* deliciæ sanctæ & bonæ in libris. Neque enim sunt in auro & argento, in epulis atque luxuria, in venationibus & piscationibus, in ludo & ioco, in theatricis nugis, in affectandis & apprehendēdis ruinosis honoribus. Neq; enim vera sunt gaudia in his omnibus, & in libris nulla sunt. Imò verò *in scripturis sanctis legendis, vnde piè rectéq; viuendi leges, & exempla promuntur; & in Doctorum libris voluendis, qui ad intelligendum scripturas, hominibus à Deo dati sunt; sola vera sunt gaudia; sicut in diuitiis colligendis vana sunt studia. Hac studia vana Christiano homini vitanda; gaudia verò non vana ab eo speranda & amplexanda sunt: ne compleatur in illo quod in psalmo per Prophetā scriptum est: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. Tales enim rerum terrenarum insectatores, qui Deo odibiles fiunt, amando hoc sæculum, & superuacuis studiis, diuitiarum quarumlibet vana solatia quærendo, & spem suam ibi figendo, corrumpuntur affectionibus suis: & ideo à Deo non amantur. Vnde & idem sanctus canit Deo:* [3] Odisti obseruantes vanitates superuacuè. & addidit: Ego autem in Domino speraui. Speras in pecunia, obseruas vanitatem: speras in honore, & sublimitate aliqua potestatis humanæ, obseruas vanitatem: speras in aliquo amico potente, obseruas vanitatem. In his omnibus cùm speras, aut tu expiras, & ea hic dimittis: aut cùm viuis, omnia pereunt, & in spe tua deficis. Hanc vanitatem commemorat Esaias, dicens: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit: verbum autem Domini manet in æternum. *Ergo in Domino, & in Domini verbo solùm sperandum & exultandum est, non in homine, non in carne, non in diuitiarum fallacia & vanitate.*

[Margin notes: 2 D. Aug. To. 8 in Psal. 38. in init. — Psalm. 13. — 3. In Psal. 30. con. 2. in fine. — Esaiæ 40.]

CAP.

CAP. II.

Diuites quomodo pauperes fiant.

Va cùm ita ʃint, neʃcire aut dubitare nō debemus, quid culpet
ʃcriptura in eo loco, vbi per Pʃalmiʃtam loquitur de homine
ā diuite. [1] Nō enim dixit: Ecce homo, qui fuit diues: ſed, [1] In Pſal. 51. in fine.
e homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſpe-
in multitudine diuitiarum ſuarum. *Quid ergo hoc dicen-*
taui? quid culpauit? Non quia habuit diuitias: ſed quia
lis ſperauit, & in Deo non ſperauit. *Res enim bona diuitiæ*
ſed ʃpes fixa in diuitijs, mala eʃt. Hanc, etiam ʃi pauper ʃit,
habere deʃiderat, non eʃt bonus illas quia diues habet, non eʃt
s. Vtrique autem optimi crūt, ʃi ʃpe bona de Deo præʃumpʃe-
Hoc igitur attende, quiʃquis iʃta audis, [2] ne paſſim diuites [2] Auguſt. in Pſalm. 5 . ante finem.
ehendas: & rurſus, ne de paupertate & egeſtate præſumas.
nim *diuiti* non eſt præſumendum de diuitiis, quanto ma-
on eſt præſumendum *pauperi* de paupertate, ſed de Deo
? [3] Scriptum eſt enim in pſalmis de illo: Propter miſe- [3] Auguſt. in Pſalm. 93. in princ. Pſalm. 11.
inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit
minus. Qui ſunt pauperes? Qui ſunt inopes? Qui ſpē non
ent, niſi in illo ſolo, in quo ſolo ſpes non fallitur. Attende
ſunt pauperes & inopes. Non omnino pauperes, qui nihil
ent, videntur dici à ſcriptura, quando laudantur pauperes.
nis enim pauperem hominē, qui, quando patitur aliquam
riam, non attendit niſi patronum ſuum, in cuius fortè do-
manet, cuius inquilinus eſt, cuius colonus eſt, cuius cliens
ideo ſe indiguè pati aſſerit, quia ad illum pertinet. Cor
s in homine, ſpes ipſius in homine, cinis in cinere. Sunt
m & alij, qui opulenti ſunt, & honoribus, ſecundum tem-
humanis fulciuntur: & tamen nec in pecunia ſua ſpem po-
t, nec in claritate tranſitoriæ dignitatis: ſed totam ſpem in
ponunt cui non ſucceditur, qui mori non poteſt, qui falli
llere non poteſt. Tales etſi multa videantur habere ſecun-
ſæculum; quia tamen ea bene gubernant ad refectionem
gentium, inter pauperes Domini numerātur. Vident enim
culosè ſe viuere in hac vita: ſentiunt ſe eſſe peregrinos; ſic
rſantur in opulentia diuitiarum ſuarum, quomodo viator
abulo, (id eſt, diuerſorio) tranſiturus, non poſſeſſurus. *Et*
demum tranʃit pauper viator iʃte? In [4] illam quietem, quæ [4] Auguſt. in Pſalm. 83. nō procul à princip. Pſalm. 2.
ſt de hac vita, nec de hac terra; & ſit Dominus, vt ſcriptum

est, refugium pauperi. Quid est pauperi? Tanquam destituto, sine ope, sine auxilio, sine aliqua re, de qua in terra præsumat. Talibus enim pauperibus adest Deus: quia etsi abundent pecunia in hac terra, respiciunt quod ait Apostolus: Præcipe diuitibus huius sæculi, non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Et considerantes quàm sit incertum, vnde gaudebant, antequam accederent ad seruitutem Dei, vident ex ipsis diuitiis & bonis terrenis vel habere se pressuras cogitationum, quomodo ea gubernentur, quomodo custodiantur: vel si paululum inclinauerint cupiditatem, vt ea diligant, plus eos impleri timoribus, quàm fructibus. Quid enim tam incertum, quàm res volubilis? Nec immeritò ipsa pecunia rotũda signatur; quia non stat. Tales ergo, etsi habeant aliquid, pauperes sunt. Qui ergo nihil horum habent, & habere desiderant, inter reprobandos diuites computantur. Non enim attendit Deus facultatem, sed voluntatem.

1 Tim. 6.

P cur. liquare rot inda signatur.

Cap. III.

In ipsis diuitibus non facultas, sed cupiditas reprehenditur.

1 ALiud *quippe* est, esse diuitem; aliud, velle diuitem fieri. Diues est, qui à diuitibus natus est, non qui voluit. Diues est, cui multi hæreditates dimiserunt. Video facultates, non interrogo voluptates. Hic cupiditas accusatur; non aurum, non argentum, non diuitiæ; sed cupiditas. Nam qui nolũt diuites fieri, vel non curant, vel qui non ardent cupiditatibus, nõ auaritiæ facibus accẽduntur, sed diuites sunt, audiunt Apostolum: 2 Nihil intulimus in hunc mundum. Ad mundum venerunt, plenam mensam, *& arcam* inuenerunt: sed Domini est terra & plenitudo eius. *Neq; de his multum sollicitus Apostolus fuit, sed inprimis de illis, de quibus dixerat*: Nam qui volunt diuites fieri: non dixit, qui diuites sunt, sed qui volunt diuites fieri: *vbi* cupiditates accusauit, non facultates. Qui volunt, *inquit*, diuites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Pecunia delectat, ista non times? Bona res est pecunia: bona res est magna pecunia. Incidunt homines in tentationes, non times? In desideria multa incidunt stulta & noxia, non times? desideria quò ducunt, time. Quid est, quò ducunt? Quæ mergunt, inquit, homines in interitum & perditionem. 3 Mergi

1 D. August. Serm. 5. de verbis Domini, in medio.

2 D. August. Homil. 13. inter 50.

1. Tim. 6.

1. Tim. 6.

3 August. serm. 205. de temp. in fin.

non

timesin interitum & perditionem ? Non times radicem
nium malorum auaritiam? De agro tuo extirpas radicem
arum; & non extirpas de corde tuo radicem malarum cu-
tatum ? Purgas agrum tuum, vnde fructum capiat venter
;& non purgas cor tuum, vbi habitet Deus tuus? Radix est 1. Tim. 6.
n omnium malorum auaritia, quam quidam sequentes, à
pererrauerunt, & inseruerunt se doloribus multis. 4 Vides 4 D. August. Serm. 110. de Temp.
vbi sis? Quid mihi ostentas nullas facultates, cùm ego
uincam tantas cupiditates? Ecce iam compara duos. Iste
s est, ille pauper. Sed iste diues est, iam est, non vult fieri:
liues est aut de parentibus, aut de donis, & hæreditatibus.
amus, faciamus, diues est etiam de iniquitatibus: iam non
addere; imposuit modum, fixit limitem cupiditati, iam
le militat pietati. Diues, inquies? Respōdeo, diues est. Iterū
ccusator respondes, & dicis: De iniquitate diues est. Quid Luc. 16.
cit amicos de Mammona iniquitatis? Dominus nouerat,
d dicebat: vtique non errabat, quando præcipiebat: Facite Luc. 16.
is amicos de Mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant vos
abernacula æterna. Quid si hoc facit iste diues? Iam finit
iditatem, exercet pietatem. Tu nihil habes, sed diues vis
i; incidis *propria cupiditate grauatus* in tentationem, *sicut*
exoneratus surgit ab iniquitate. Et quomodo illum sua pietas
gat & releuat; sic te tua cupida voluntas maculat, & grauat.
uus incedis, & oneraris: anhelas ad refrigerium, quo magis
ammeris. Necdum est quod te perdat; sed quaeris vnde pereas.
Nam quid tibi prodest, si eges facultate, & ardes cupiditate? 5 August. in Psalm. 51. in medio.
ādo Dominus noster Iesus Christus abeunti à se illi diuiti
ristato dixerat: Vade, vende omnia quæ habes, & da pau- Matth. 19.
ibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me: &
gnam desperationē diuitibus pronunciarat, vt diceret, faci-
s posse camelum transire per foramen acus, quàm diuitem
rare in regnum cælorum: nónne continuò discipuli con-
tati sunt, dicentes apud seipsos: Quisnam poterit saluari?
go quando dicebant, Quisnam poterit saluari, diuites pau-
s attendebant? Latebat eos tanta pauperum multitudo? Non
poterant dicere; Si difficile est, imò impossibile, vt intrent
ites in regnum cælorum, sicut impossibile est vt intret ca-
lus per foramen acus: omnes pauperes intrant in regnum
lorum; diuites soli excluduntur. Quot sunt enim diuites?
verò pauperum milia innumerabilia. Non enim tunicas

inspectari sumus in regno cælorum: sed vestis cuiusque fulgor iustitiæ deputabitur. Erunt ergo pauperes æquales angelis Dei, induti stolis immortalitatis, & fulgebũt sicut sol in regno Patris sui. Quid nobis est de diuitibus paucis sollicitos esse, aut laborare? Non hoc senserunt Apostoli: sed cùm Dominus hoc dixisset; Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum: illi apud se dicentes, Quisnam poterit saluari; quid attenderunt? Non facultates, sed cupiditates. Viderunt enim etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, tamen habere auaritiam. Et vt noueris non pecuniam in diuite, sed auaritiam condemnari: aduerte quod dico. Respicis illum diuitem stantem iuxta te: & fortè in illo est pecunia, & non est auaritia: in te non est pecunia, & est auaritia. Pauper vlcerosus, ærumnosus, linctus à canibus, non habens opem, non habens escam, non habens fortè ipsam vestem, ablatus est ab angelis in sinum Abrahæ. Nõ est in hoc Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis. Nam vides qui sublatus est, non vides quò sublatus est. Quis est sublatus ab angelis? Pauper, ærumnosus, vlcerosus: quò sublatus est? In sinum Abrahæ. Lege scripturas, & inuenies diuitem Abraham. Vt noueris, quia nõ diuitiæ culpantur; habebat Abraham multũ auri, argenti, pecorum, familiæ. Diues erat, & in eius sinum Lazarus pauper sublatus est. In sinu diuitis pauper. An potius ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes? [6] Beati enim pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum. Qua paupertate etiam beatus Iob pauper fuit, & antequam magnas illas terrenas diuitias amisisset. Quod ideo cõmemorãdum putaui, quoniam sunt quidam, qui facilius omnia sua pauperibus distribuunt, quàm ipsi pauperes Dei fiant. Inflati sunt enim iactantia, qua putant sibi esse tribuendum, non gratiæ Dei, quod bene viuunt: & ideo iam nec bene viuunt, quantacunque bona opera facere videantur. De suo quippe habere se putant: & ideo gloriantur, quasi non acceperint. Diuites sui, non pauperes Dei: abundantes sibi, non egentes Deo. Sed ait Apostolus: Si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum vt ardeã, charitatem autẽ non habeã, nihil mihi prodest. Tamquã si diceret: si distribuero omnia mea pauperibus, & pauper Dei non fuero, nihil mihi prodest. Charitas enim non inflatur. Et ideo tales non pertinent ad populũ Dei, quia non sunt pauperes Dei: non sunt humiles, sed superbi. 7. Certè ille pauper

Margin notes: Matth. 13. — Luc. 18. — Vide Tom. 2. Epist. 89. quæst. 4. — Gen. 13. — 6 In Psal 71. in princip. Matth. 5. — 1 Cor. 13. — 7 In Psalm 73. in principio.

ianuam diuitis vlcerosus qui iacebat, ab angelis sublatus Luc. 16.
n finū Abrahæ: sic legimus, sic credimus *sic diximus*. Diues
illle qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quo-
e splendidè, ablatus est ad inferos, ad tormenta. Nunquid
illle pauper merito illius inopiæ ablatus est ab angelis:
s autem ille peccato diuitiarum suarū ad tormenta missus
In illo paupere humilitas intelligitur honorificata: in illo
te superbia damnata. Breuiter probo, quia non diuitiæ, sed
rbia in illo diuite cruciabatur. Si qui diues est, ad tormen-
pitur; quomodo Abraham præcesserat pauperem, vt ablatū
num suū susciperet? Sed erat Abraham in diuitiis pauper, Vide Tom. 2. epist. 89. qu. 4.
nilis, tremens omnia Dei præcepta, & obaudiens. Vsque- Gen. 22.
o autem pro nihilo habebat illas diuitias, vt iussus à Do-
o, filium suum immolaret, cui seruabat diuitias.

Cap. IIII

Et diuites & pauperes debent esse humiles.

T in istis diuitiis, quæ vulgo appellantur diuitiæ, quibus 1 D. August. Serm. 11. de Temp. in princ.
est contraria vulgaris ista paupertas, nihil est sic cauen-
, quàm superbiæ morbus. Qui enim nō habet pecuniam,
habet amplissimas facultates; non habet vnde se extollat.
rgo qui non habet vnde se extollat, non laudatur pro eo
d non se extollit: qui habet, laudetur si non se extollit.
id ergo laudo humilem pauperem? Vnde superbiat, non
et. Quis autem ferat & inopem & superbum? Lauda diui-
humilem, lauda diuitem pauperem: 2 &, vt citius dicam, 2 Ibidem infrà.
d paulo antè dixi, diuites pauperes noli contemnere,
auper. Esto & tu pauper, id est, humilis. Si enim diues fa-
s est humilis: quanto magis pauper debet esse humilis? Pau-
non habet vnde infletur: diues habet cum quo luctetur.
di ergo me, Esto verus pauper, esto pius, esto humilis. 3 Cę-
im his qui iam diuites sunt, adhuc cōsiliū dedit Apostolus: 3 D. August. Ho. 13. int. 50.
ecipe, inquit, diuitibus hujus mundi, non superbè sapere.
rmis diuitiarum superbia. Difficile est, vt non sit superbus,
diues est. Tolle superbiam, diuitiæ nō nocebunt. 4 Omne Vid ser. 205. de temp.
num, omne granum, omne frumentū, omne lignum habet 4 Aug. Ser. 5. de verbis Domini.
mem suū. Alius est vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius
ici: vermis diuitiarum, *vt dixi*, superbia. 5 Si *ergo* de his 5 August. in Psalm. 131. ferè in fine.
n præsumpseris, eris & pauper, de qualibus dictum est: Et

pauperes eius saturabo panibus. Aliquando autem, quod non est prætermittendum dicere, inuenis pauperem superbum, & diuitem humilem, *placentem Deo*. Quotidie patimur tales. Audis pauperem quasi gementem sub diuite, & quando potentior premit diues, tunc illum humilem vides: aliquando nec tunc, sed & tunc superbum: vnde vides, quis esset, si aliquid haberet. Ergo verus pauper Dei in animo est, non in sacculo. Procedit aliquando homo habens plenam domū, vberes terras, multa prædia, multum auri & argenti: nouit quia in ipsis non est præsumendum, humiliat se Deo, facit inde bene; ita cor ipsius erigitur ad Deum, vt nouerit quia non solùm nihil illi prosunt diuitiæ ipsę, sed & impediunt pedes ipsius, nisi ille regat, & subueniat *qui dedit*: & numeratur inter pauperes, *placētes Deo*. Inuenis alium mendicum inflatum, aut ideo non inflatum, quia nihil habet, quærentem tamē vnde infletur. Non attendit Deus facultatem, sed cupiditatem; & iudicat eum secundum cupiditatem, quia inhiat rebus temporalibus non secundū facultatem, quam non ei contigit adipisci. *Quàm enim superbus hic esset, si pauper non esset? Et fortè alius, qui diues est, fieret humilior, si esset ditior. Vnde neque diues poterit displicere Deo. modò se semper humiliet, & nunquam de diuitiis præsumat neque pauper placère, si superbiat; & ad id quod non habet, auara cupiditate anhelet.*

CAP. V.

Diuitibus inprimis vitanda est superbia: & quo ditiores sunt, eo solicitiores in timore esse debent.

1 August. in Psalm. 48 con 1. post princ.

1 HAbeat *proinde* quis multas facultates pecuniarum: si in eis non extollitur, pauper est: non habeat aliquis & cupiat, & infletur, inter diuites reprobos eum deputat Deus. Et diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca & domo. Nónne pauperes sunt, qui accipiunt, *& perficiunt* mandatum Apostoli dicentis Timotheo: Præcipe diuitibus huius sæculi, non superbè sapere? Quomodo eos, qui diuites erant, fecit pauperes? Tulit illis, quare quæruntur diuitiæ. Nemo enim vult esse diues, nisi vt infletur inter eos, inter quos viuit, & superior illis videatur. Cùm autem dixit, non superbè sapere, æquales eos fecit non habentibus: vt fortassis pauculis nummis mendicus plus extollatur, quàm ille diues, qui audit Apostolum *hoc* dicentem; Præcipe diuitibus huius sæculi, non superbè sapere. Vnde nō superbè sapere? Si faciant

1. Tim. 6.

quod

quod sequitur: Neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Non dixit, qui præstat illis: sed, qui præstat nobis. Nūquid ipse Paulus non habebat diuitias? Habebat plane. Quas diuitias? De quibus alio loco dicit scriptura: Fideli homini mundus totus diuitiarum est. Audi & ipsum confitentem: Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. [2] Hoc *ergo mandatum* diuites acceperunt: Non superbè sapere. Quod faciunt diuitiæ, hoc caueant in diuitiis: caueant in diuitiis superbiam. Ipsum enim malum est, quod important diuitiæ incautis hominibus. Non enim aurum malum est, quod Deus condidit; sed malus est homo auarus relinquens creatorem, conuersus ad creaturam. Hoc ergo sibi præcaueat, ne sit superbus. [3] Non enim *cùm Apostolus ista præciperet*, diuitias expauit, sed morbum diuitiarum. Morbus autem diuitiarum, est superbia magna. Nam grandis animus est, qui inter diuitias isto morbo non tentatur. Maior animus diuitiis suis, qui eas vincit, nō concupiscendo, sed contemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se ideo magnum putat, quia diues est. Qui autem ideo magnum se putat, superbus & egenus est: in carne crepat, in corde mendicat: inflatus est, non plenus. Vtres autem duos si videas, vnum plenum, alterum inflatum: in vtroque eadem est magnitudo, sed non in vtroque eadem plenitudo. Si attendis, falleris: si appēdis, inuenies. Qui plenus est, difficilè mouetur: qui inflatus est, citò aufertur. Præcipe ergo, inquit, diuitibus huius mundi, [4] non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarū. Inde enim superbit diues, quia sperat in incerto diuitiarum. Nam si incerta diuitiarū prudenter attenderet, nunquā superbiret, sed semper timeret. Quanto esset ditior, tanto fieret solicitior, & secundum hanc vitam, non solū secundùm illam. Multi enim in istis sæculi perturbationibus securiores pauperes fuerunt. Multi antē propter suas diuitias questi & correpti sunt. Multi se habuisse planxerunt, quod semper habere minimè potuerūt. Multos pœnituit consiliū sui Domini nō recepisse, qui dixit: Nolite vobis thesauros cōdere in terra, vbi tinea & comestura exterminat, & vbi fures effodiūt, & furantur; sed thesaurizate vobis thesaurum in cælis. Non dico vobis, vt perdatis, sed vt migretis. Multi enim hoc facere noluerunt: & non se obedisse doluerūnt, quando non solùm sua perdiderunt, sed propter illa & ipsi perierunt.

1. Cor. 6.
2 in Psal. 136. in medio.
3 D. Aug. Serm. 213. de Tem.
4 Ibidem infra.
Vide To. 4. lib. de Catech. rudib. Cap. 15. Matth. 6.

CAP. VI.

Quid sequatur mali ex ipsis diuitiis, ob quas homo hominem sicut piscis piscem deuorat.

1 Aug. in Psalm. 51. in med.

[1] PEtis *ergo* diuitias, ô homo? Quanti euersi sunt per diuitias suas? Vnde scis vtrum tibi sint profuturæ diuitiæ? Nónne multi pauperes tutius latebant: diuites facti, mox vt lucere, *& pecuniâ turgere* cœperunt, præda fortioribus fuerunt? Quanto melius laterent, quanto melius nescirentur, qui cœperunt quæri, non propter quod erant, sed propter quod habebant. *An magnum quid esse putas pecuniam? An in illa confidis?*

2 Aug. in Psalm. 131. à fine.

[2] Pecunia nihil est, non inde auxilium habebis. *Ecce quod dixi, repete.* Multi propter pecuniam, *de honorum gradibus* præcipitati sunt: multi propter pecuniā *funditus* perierunt. Multi propter pecuniam multam quæsiti sunt *à militibus*, à raptoribus. Tuti essent si non haberent quare quærerentur. Si autem inflaris inde, *quia diues & plenus tibi videris;* noli attendere quando eris præda hominu: iam diabolo præda es: *nec quā eum euadas, habes: nisi tumore deposito, & pennis à visco purgatis, sursum rapiaris in illam spem extensus, quæ præsentia despicit, futura promittit. Sed dicis mihi:*

3 In psal. 123. in medio.

[3] Malo quod teneo, quàm quod spero. O infelix, quid tenes? Ecce dicis, Malo quod teneo. Tene sicut non amittas; & dic, Malo quod teneo. Si autem non tenes, quare non tenes illud quod non potes amittere? Quid ergo tenes? Aurum. Tene ergo si tenes, non tibi auferatur inuito. Si autem & per aurum traheris quò non vis; & ideo te quærit maior raptor, quia inuenit minorem raptorem; ideo te quærit maior aquila, quia prior cepisti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris maiori. Hæc non vident homines in rebus humanis: tanta cupiditate cæcantur. Mira res est: horrent qui considerant. Quærit potentior infirmiorem; & quærit eum opprimere, non ob aliud, nisi quia habet quod illi auferat. Videt illum pati sub se tribulationem, non ob aliud, nisi propter quod habet. Et hoc ipse, propter quod ille patitur tribulationem, ad se congerit. Non attendebat, quando illum persequebatur. Ille fugiebat, ille torquebatur, ille timebat, ille vbi se absconderet quærebat. Vnde pateretur ista mala, nisi quia habebat? Vel in illo disce quid fugias: quia res quæ illum torquebat, te persequente, ne auferretur à te;

& te sic habet torquere, alio persequente. Attendis quia
guis est. Si propterea illum persequeris quia pinguis est,
pinguescere, ne alter te quærat: *time ditescere, ne alter te*
ret. An non attendisti hoc saculum esse veluti mare ama-
& turbulentum,[4] vbi homines cupiditatibus peruersis & 4 In Psal. 64.
is, facti sunt velut pisces, inuicem se deuorantes? *Si ante* vltra med.
attendisti, vel nunc attende mare malum, mare amarum,
tibus sæuum: attende qualibus hominibus plenum sit.
is optat hæreditatem, nisi morte alterius? Quis optat lu-
n, nisi damno alterius? Quàm multi aliorum defectione
iunt sublimari? Quàm multi, vt emant, optant alios ven-
e res suas? Quomodo se inuicem opprimunt, & qui pos-
t deuorant? Et cùm deuorauerit vnus piscis maior mino-
n, deuoratur & ipse à maiore. O piscis male, prædam vis de
uo, præda efficieris maiori. Quotidie ista eueniunt, ante
sunt: vitemus illa, horreamus.

CAP. VII.

Cùm hoc seculum sit velut mare, videat vnusquisque ne hic submergatur, vel fluctuet, per iniustitiam & rapinam.

PEr similitudinem *ergo* ipsa terra *meritò* mare *dicenda* 1 In Psal 76.
est. Quare? Quia vita humana amara est, & procellis in fine.
empestatibus subdita. Iam illud si attendas, quòd homines
anquàm pisces deuorant, cùm maior minorem absorbet:
ne mirum videbitur, quòd plerique omnes tantopere hic que-
at & ament diuitias, non vnde feliciter viuant, sed vnde pe-
litentur? In mari sunt, & nesciunt: & qui deuorari nolunt
maiore, prædari volunt minorem. O cæcas hominum mentes,
submersas quodammodo prauis istis desideriis, tanquam
fluantis maris fluctibus.[2] Habet hoc mare amaritudinem 2 In Psal 39. in medio.
xiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentatio-
m, *procellas cupiditatum*. Habet homines velut pisces de
malo gaudentes. *Tu verò, qui ista vides,* calca mare, ne
ergaris in hoc mari. Non autem calcabis, nisi ille iusserit
i prior in mari ambulauit. Sic enim ait Petrus: Si tu Matth. 14.
, iube me venire ad te super aquas. Et quia ipse erat, audi-
petentem, vocauit ambulantem, erexit emergentem. Non
et ille perire, qui te iubet ambulare. *Illius iussio, tua est*
conso-

1. Cor. 10. *consolidatio*. Quia enim iam in petra ambulas, (*petra autem*, *inquit*, *erat Christus*) nec in mari timebis: si sine petra fueris, in mari mergeris: quia in tali petra ambulandum est, quæ in mari non mersa est. *Denique, in mari quomodo se habet petra? Purgatur ibi, non sordidatur: & si procella surgit, manet petra immobilis. Non illam fluctus soluunt, sed ipsa potius frangit & dissipat fluctus irruentes. Talis esto & tu. Non te frangat aduersitas, non te dissoluat cupiditas. Velut petra adhæreas petræ, vt non succumbas fluctibus auaritiæ. Illa te seruabit, hæc perderet: illa solidabit, ista corrumperet. Quomodo fundamentum bonum seruat magnum ædificium, ne ventis, turbinibus, ac tempestatibus subuertatur: sic petra hæc, cui inniteris, te conseruabit illæsum ab omni cupiditatis illecebra. Sed sicut fundamentum rerum ad ima tendentium, in imo ponitur: sic ista sursum est: vt cùm ibi fundamentum tuum esse cognoueris, cor quoque sursum habeas erectum, non inclinatum deorsum in auaritiam.* [3] Hoc ergo dico, diuitiæ si affluant, ne apponas cor. Abundent licet, & sequatur te prosperitas sæculi, tu mari noli credere nec ridenti. Diuitiæ si affluant, si abundent, calca eas, & suspendere ex Deo tuo. Cùm enim eas subter te habueris, & ex illo pependeris, cùm fuerint subtractæ, non cades. *Neque solùm non cades, sed & rectus manebis: quandoquidem id quod pendet, semper rectum pendet. In quamcunque partem illud torseris, atque retorseris, ad suã recurrit rectitudinẽ. Et quid est rectus? Æquus. Ergo curuus, iniquus est. Quid autem iniquius, quàm quouis modo curuari ad terrenam substantiam, & violare diuinam iustitiam?* *Fortè enim* [4] non es diues, & rapere vis. Quid inuenis? Quid perdis? O lucra damnosa! Inuenis pecuniam, perdis iustitiam. Pauper sum, *inquis*, non habeo. Ideo rapere vis? Quid rapias, vides: à quo rapiaris, non vides? Nescis circuire inimicum, tanquam leonem rugientem, & quærentem quid rapiat? Præda illa, quam vis rapere, in muscipula est: tenes, & teneris. In rapinam ergo ne concupiscas, ô pauper, sed concupisce in Deum, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Pascet te, qui fecit te. Si pascit latronem, non pascet innocentem? Pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si pascit damnandos, non pascet liberandos? Ergo in rapinam noli concupiscere. Dictum est hoc pauperi, fortassis aliquid de necessitate rapturo. Diues procedat: non habeo, inquit, ego necessitatem

Vide in Psalm. 103. conc. 3 vltra medium.

3 In Psal. 51. non procul ab initio.

4 In Psal. 61. vltra mediũ.

1. Petr. 5.

1. Tim. 6.

Matth. 5.

a rapiendi, nihil mihi deest, abundant omnia. Et tu audi; tiæ si affluant, ne apponas cor. Ille non habet: iste habet. non quærat rapere quod non habet: iste non apponat cor quod habet. Diuitiæ si fluant, id est, si exundent, tann de fonte currant, ne apponas cor. Noli de te præsumenoli ibi te figere: certè vel hoc time, diuitiæ si fluant. a vides, quia si ibi cor posueris, & tu flues?

CAP. VIII.

Mundi negotia, ex quibus conflantur diuitiæ, flumina Babylonis sunt: currunt & transeunt.

Icut enim flumina currunt in mare: *sic* cupidi homines in amaritudinem huius sæculi prolabuntur. [2] An non est re hoc sæculum; *an flumen non est*, vbi se homines quasi ces deuorant? *Et* [3] quid est flumen? Flumen est omnis mortas sæculi. Vide flumen, alia veniunt & transeunt; alia tranra succedunt. Nónne sic fit in aqua fluminis, quæ de terra citur & manat? Omnis qui natus est, cedat oportet nascio: & omnis iste ordo rerum labentium, fluuius quidam. In istum fluuium non se mittat cupida anima: non se mit, stet. *Certè* [4] flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic *malè* mantur, & transeunt. Nescio, quis amauit (verbi gratia) riculturam ipsam exercere, inde ditescere, ibi occupare imum, inde percipere voluptatem: attendat exitum, & viat illud, quod amauit, non esse fundamentum Hierusalem *petra fundatum*; sed fluuium Babylonis. Alius dixit: Magna est militare. Omnes agricolæ formidant eos qui militant: sequuntur eis, tremunt eos. Si fuero agricola, timebo milirem: si fuero militaris, timebor ab agricola. O insane, in ium te Babylonis fluuium præcipitasti, turbulentiorem & paciorem: & cùm tu timeri vis à minore, time maiorem prestatem: te ipso maior fieri potest subitò, qui te timet: nunam autem erit minor, quem debes timere. Aduocatum e, inquit *iste*, magna res est; potentissima eloquentia in nnibus habere susceptos, pendentes ex lingua diserti patrosui, & ex ore eius sperantes vel damna, vel lucra, vel morm, vel vitam, vel perniciem, vel salutem. Nescis quò te miris. Alius & iste fluuius Babylonis est: & si attendas quia fluit labitur, caue, quia trahit. *Audiamus & alium: Prouentibus nuis in Ecclesia posse otiari, res est maxima: item pensionibus* abun-

[1] In Psal. 80. con. 1. in fine
[2] Ex millesq. serm. 53. de tefurr.
[3] In Psalm. 56. in med.
[4] In Psal. 136. in initio.

abundare, decimis ditari, & absque labore (non tamen sine pretio) multis beneficiis inaugurari, res exoptanda & perucunda est. Quid inquis? & hoc non esse fluuium Babylonis arbitraris? Imò præruptum barathrum est, quo si te præcipitaueris, non facilè enatabis. Nauigare, inquit alius, & negotiari, magnum est: scire multas prouincias, lucra vndique capessere, non esse obnoxium in ciuitate alicui potenti, semper peregrinari, & diuersitate negotiorum & nationum animum pascere, & augmentis lucrorum diuitem remeare, fluuius est & iste Babylonis. Lucra tua quando stabunt? quando præsumpturus, quando securus eris ex his quæ acquiris? Quanto eris ditior, tanto timidior. Vno naufragio nudus exibis, & rectè te planges in flumine Babylonis, quia noluisti sedere, & flere super flumina Babylonis.

CAP. IX.

De rerum abundantia non est gaudendum, sed de Deo, qui nostrum bonum & gaudium est.

a In Psal. 85. in medio.

AT *dicturus es: Cur plangerem?* [a] Abundant *mihi* omnia. Abundent omnia: vide si securus es, quia non pereunt omnia. Sed habeo quod non habebam; accessit pecunia quæ non erat. Fortè accessit & timor qui non erat. Fortè tanto securior eras, quanto pauperior. *Num igitur non præstitisset mansisse te pauperem, & iam multa cordis gaudere securitate; quàm sic esse diuitem, vt multis timoribus excrucieris? Si diues incidat in periculum bonorum suorum perdendorum, quàm facilè contristatur, quàm facilè conturbatur? Omitto dicere quòd & facilè Deum negat, facilè periurat, & blasphemat: pauper verò, quia nihil habet & nihil timet amittere, de solo Deo, qui eius bonum est, gaudet, & securus eum laudat.* Et [b] quàm sit secura ista laudatio, quamque sit securum *sic esse*, intellige de ipso bono. Nam si gaudes de bono quod tibi accidit per diem, fortasse transit alio die bonum hoc vnde gaudes. Bene fuit mihi, *dicis*: bonum diem duxi; quia fortè lucra venerunt, aut inuitatus es, aut in epulis diu fuisti. Gaudes quia in epulis diu fuisti: alter dolet, quia non erubuisti. Veruntamen de quocunque tali bono gaudeas, *certè flumen est*; certè transitorium est. Si autē gaudeas in Domino Deo tuo, tanto firmius gaudebis, quanto est certior in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, *ne tibi pereat*, times furem. Si autem gaudes de Deo,

b In Psal. 144. in initio.

quid times? Ne tibi quiſquam auferat Deum? Deum
emo auferet, ſi tu eum non dimiſeris: *nec etiam à te di-*
ſ, mihi peribit. 3 Nunc ergo quia totum gaudium no- 3 In Pſal. 84. in medio.
Deus eſt: qui vult ſecurus gaudere, in illo gaudeat qui
oteſt perire. Quid enim gaudere vis in argento? Aut
tum perit, aut tu; & nemo ſcit quid prius. Veruntamen
conſtat, quia vtrumque periturum eſt: quid prius, incer-
eſt. Nam nec homo hic poteſt manere ſemper, nec argen-
hic poteſt manere ſemper: ſic aurum, ſic veſtis, ſic domus,
cunia, ſic lata prædia. *Omnia tranſeunt & currunt veluti*
na: nihil eorum manet: Etſi fortaſſis quiſpiam in his omni-
ues & abundans inueniatur vſque ad extremam ſenectam,
nde turberis, ſed attende ſi ſic ſe ſuáque teneat, ne quid
t. 4 Labitur *enim* hoc ab illo quod tenet; vel ipſe ab eo 4 In Pſalm. 123. in med.
l tenet: neceſſe eſt tranſeat aut ipſe per res ſuas, aut res
s per illum. Per quem res tranſeunt ſuæ? Qui viuus la-
ctus ierit. Quis tranſit per res ſuas? Qui in diuitiis mo-
: quia cùm moritur, non eas ſecum auferet ad inferos.
num meam habeo, iactauit ſe. Quæris, Quam domum
? Quam mihi dimiſit pater meus. Et ille vnde habuit
domum? Auus noſter illi eam dimiſit. Recurre & ad
uum, inde ad atauum, & iam nomina non potes dicere.
ne inde potius terreris, quia multos attendis *tanquam*
rinos tranſiſſe per illam domum, & neminem ipſorum
n illam tuliſſe ad æternam domum? Pater tuus hic eam
ſit, tranſiit per illam: ſic & tu tranſibis. Si ergo tranſi-
habetis in domo veſtra, ſtabulum eſt itinerantium, *&*
rinantium, non habitatio commanentium: *quia* 5 hàc 5 In Pſal. 145. ante med.
itur. Sed intéreſt quò: quoniam & malus homo peregri-
r hic. Non enim bonus tranſit, & malus hic permanet:
nalus tranſit, & bonus hic permanet. Ambo tranſeunt, ſed
ambo ad vnum. Duo erant, pauper vlceroſus ad ianuam Luc. 16.
s diuitis; & diues indutus purpura & byſſo, in epulis quo-
ſplendidis. Ambo hic erant, ambo hinc tranſierunt; ſed
ad vnum locum: diuerſa loca ſuſcipiunt, quia diuerſa me-
perducunt. Tranſiit pauper in ſinum Abrahæ, & tranſiit
s in tormenta inferorum. Vicini corpore in terra: ille in
o, ille ante ianuam. Poſt mortem tantum ſeparati, vt dicat
aham; Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt.

CAP.

CAP. X.

Non potest innocens esse, qui vel emendo vel vendendo fraudulenter, lucra sibi conquirit.

1 Hom. 1. inter quinquag.

1 HAEc ergo cogitans, potes, *ô homo*, cum aliqua spe etiam diues esse. Si autem adhuc vis fieri diues; non solùm ea, quæ superflua tibi iacent, nō vis erogare indigentibus, sed etiam augere vis patrimonium tuum. Vnde vis augere? Emendo. *Cur non potius ipsas virtutes tibi comparando (iustitiam dico, & innocentiam) auges apud Deum meritum tuum: Apud homines* innocens tibi videris, quia emendo vis patrimonium augere. Fortè & de rapinis aliquam spem habes? Nisi fortè hoc dicas: Scit Deus, quia nō de rapinis volo augere patrimonium meum. Et de rapina non es malus, sed voto malus es. Si quis tibi dicat: Vende res tuas; exhorrescis, expauescis, maledictum putas. Cùm ergo emere cupis, nónne hoc optas, vt res suas alij vendant? Nam quomodo poteris emere, si alius non compulsus fuerit venundare? *Quid est enim emere, nisi quod non habebas dato eius pretio acquirere?* 2 Certè quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicū, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut lignum, aut vestem, aut aliquam supellectilem, aut quodcunque tibi opus est: das & accipis: aliquid amittis, aliquid accipis: hoc est emere. Nam si nihil amittas, & habeas quod non habebas, aut inuenisti, aut donatum accepisti, aut hæreditate acquisisti. Quando autem aliquid amittis, vt aliquid habeas, tunc emis. Quod habes, emptum est: quod amittis, pretium est. Quomodo ergo perdis nummos vt emas tibi panes; sic perde nummos, *vt accumules tibi virtutes; sic perde pecuniam, vt acquiras iustitiam & emas tibi innocentiam.* 3 Quid quæris multa verba? Innocens esto, & perfecisti iustitiam. Sed quid est esse innocentem? Duobus enim modis nocet homo, quantum in ipso est, aut faciēdo miserum, aut deserendo miserum: quia & tu non vis ab alio fieri miser, & non vis deseri ab alio, si miser fueris. Quis est, qui facit miseros? Qui infert violentias vel insidias, rapit res alienas, opprimit pauperes, furatur, coniugia aliena sollicitat, calumniosus est, vult inferre hominibus vnde doleant, studio maleuolentiæ. Quis est, qui deserit miseros? Qui videt inopem aliquo auxilio egentem; & cùm habeat quomodo præstet, contemnit, despicit, alienat cor suum. Quòd si iam omnino talis esset,

2 D. Aug. Hom. 10. inter 50. & est Serm. 24. de verbis Apostoli.

3 In Psal. 100. ante med.

, vt non opus haberet aliqua misericordia: superbus esset,
ferreret miserum. Adhuc in tribulatione carnis constitutus
nesciēs quid sibi possit cras accidere, & despicit lachrymas
erorū: non est innocens. Sed quis est innocens? Qui cùm
non nocet, nec sibi nocet. Qui enim & sibi nocet, non est
ocens. Ait aliquis: Ecce non tuli alicui, nec pressi aliquem;
e mea, de iusto labore meo bene mihi faciam, conuiuium
aratum habere volo, erogare volo, quantum me delectat;
re cum quibus volo, quantū me delectat. Cui aliquid tuli?
em pressi? Quis de me questus est? Innocens videtur. Sed
ipsum corrumpit, si templum Dei in se euertit, quid expe-
vt in alio faciat misericordiam, & parcat miseris? Qui in
sum crudelis est, esse in alium misericors potest? ⁴ Fallit ⁴ D. August. hom. 20. inter 50.
inde animam suam, qui sufficere existimat, si quod sibi
i non vult, nulli hominum faciat; seseque vita luxuriosa
orrūpit, vt Deo facere conetur quod fieri ab homine non
. Neque enim vult à quoquam peruerti domum suam,
in seipso domum Dei miserabili cæcitate peruertit, surdus
ersus Apostolum clamantem: Nescitis, quia templum Dei 1. Cor. 3.
s, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum
corrumpit, corrumpet illum Deus. Templum enim Dei
ctum est, quòd estis vos. Nemo se fallat. Quid ergo homo
r se putat seruare circa alios homines innocentiā suā, cùm
ita noceat, vt Deo careat habitatore, & puniatur vltore?
apropter si tu hunc vltorē sentire non vis, ⁵ custodi innocen- ⁵ In Psal. 36. conc. 3. ante finem.
n: tene, quomodo, cū auarus esses, saccellum tenebas. Quo-
do tenebas saccellū, ne tibi extorqueretur à fure: sic custodi
ocentiam, ne tibi extorqueatur à Diabolo. Sit illa certum
rimonium tuū, de qua sunt diuites & pauperes. Quid tibi
dest lucrum auri, & damnū innocētiæ? ⁶ Custodi, *inquam*, ⁶ Ibidem su-pra conc. 2.
ocentiam, pretiosa res est. Furari vis aliquid, credo, vt ac
ras; *vt multa bona possideas*: vide quò manum mittis, &
e tollis. Hàc vis acquirere, hàc perdis. Acquiris pecuniam,
dis innocentiam. Euigilet potius cor tuum, qui volebas
uirere pecuniam, & perdere innocentiam. Perde potius
uniam, custodi innocentiam. ⁷ Audi quid psalmus dicat: ⁷ In Psal. 83. 1. fine.
minus, inquit, non priuabit bonis ambulantes in innocen-
Quare ergo homines non volunt tenere innocentiam,
vt habeant bona? Non vis tenere innocentiā, vt nō reddat
od ille assignat? Aurum vis habere, & perdis innocentiam.

B Quid

Quid lucraris? quid damnificaris? Habes lucrum auri, passus es damnum innocentiæ. Est aliquid pretiosius innocentia? Sed si innocentiam retinebo, inquis, pauper ero; *absque bonis huius sæculi ero.* Paruæ ne diuitiæ, ipsa innocentia? Si arcam plenam auro habueris, diues eris: si cor habueris plenum innocentia, pauper eris? Sed hæc bona desiderans, modò in egestate, in tribulatione, in conualle plorationis, in pressura, in tentationibus serua innocentiam. Erit enim postea etiam bonum tuum, quod desideras: requies, æternitas, immortalitas, impassibilitas erit postea: ipsa sunt bona, quæ seruat Deus iustis suis. Nam bona, quæ modò desideras pro magno, propter quæ vis esse nocens, & non innocens: attende, illa qui habeant, qui talibus abundant. Vides diuitias apud latrones, apud impios, apud sceleratos, apud turpes: apud flagitiosos & sceleratos vides diuitias. Dat illis Deus ista, propter communionem generis humani, propter abundãtiam affluentiæ bonitatis suæ, qui etiam
Matth. 5. solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Tanta dat & malis, & tibi nihil seruat? Falsum est, quod tibi promisit? Seruat, securus esto. Qui misertus est tui, cùm esses impius; deseret te, cùm factus es pius? Qui peccatori donauit mortem filij sui, quid seruat saluato per mortem filij sui? Securus ergo esto. Tene debitorem, quia
Psalm. 83. credidisti in promissorem. Dominus non priuabit bonis ambulantes in innocentia; *qualis erat & iste qui dicebat: Credo*
Psalm. 26. *videre bona Domini in terra viuentium.*

CAP. XI.
Grauius damnum est fidei & iustitiæ, quàm vestis vel pecuniæ.

SEd interea tamen à labore, quo corpus exercetur, quo cupiditas refrenatur, cessandum non est; donec veniatur ad illa bona,
1 In Psalm. 7. in fine. *vbi quies est sempiterna.* [1] Hinc est enim illud; In labore man-
Gene. 3 ducabis panem tuum. Hinc etiam & illud; Venite ad me om-
Matth. 11. nes qui laboratis & onerati estis. Iugum enim meum lene est, & onus meum leue. Non enim poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat, quod inuito non possit auferri. Nam cùm ea diliguntur, quæ possumus contra voluntatem amittere, necesse est, vt pro his miserrimè laboremus: & vt hæc adipiscamur, in angustiis terrenarum ærumnarum, cùm sibi quisque illa rapere, & præuenire alterum, aut extorquere alteri cupit,
iniu-

iustitias machinemur. *In hoc genere mali, non iustus iustum*
dit. sed qui iustus est, læditur ab iniusto. Non enim qui iustus
t, alicui machinatur iniustitiam. [2] Sed vnde fieri potest, vt [2] Ibid. infrà.
iniquitas prius lædat hominem iustum, in quem procedit;
iàm cor iniustum, vnde procedit? Itaque fraudator pecuniæ,
erbi gratia, dum cupit alium damno lacerare, ipse auaritiæ
ulnere sauciatur. Quis autem vel demens non videat quan-
um inter hos distet; cùm ille patiatur damnum pecuniæ, ille
nocentiæ? [3] Ergo in eo quod fraudem facit, fraudem pati-
r. Quod iam dudum dixi, quale cor habet quis, vt lucretur, [3] In Psalm. 71. vltra med.
estem, & perdat fidem? Ille cui tulit vestem, passus est frau-
em, an iste qui tanto damno percutitur? Si pretiosior est ve-
is quàm fides; maiore damno ille afficitur. Si autem incom-
arabiliter fides excedit totum mundum, ille videbitur dam-
um vestis perpeti: huic autem dicitur: Quid prodest homini, Matth. 16.
totum mundum lucretur, animæ autem suæ damnum patia-
r? *An verò hoc grauius illo non est?* [4] Positus itaque *si fueris* [4] In Psal. 48 in fine.
anguſtiis, vt aut damno pecuniæ, aut damno iustitiæ *affi-*
aris: dicitur tibi, Perde potius pecuniam, ne perdas iustitiam.
u autem, cui non dulcis est in ore iustitia, contristatus eligis
quando magis amittere aliquid de iustitia, quàm vel num-
um de pecunia: & percutis te damno grauiore, implens
itiis sacellum tuum, & exinaniens *virtutibus* cor tuum.
O homo, cor tuum sit potius arca Dei, *plena Deo*, vbi habi- [5] In Psalm 63. in medio.
nt diuitiæ Dei: vbi sit nummus Dei mens tua; habens ima-
nē Imperatoris tui: *ne aliquando de te dicatur*: [6] Sperauit in
ultitudine diuitiarum suarum: & præualuit in vanitate sua.
uid enim vanius eo, qui putat plus valere nummum, quàm
eum? *stipem, quàm fidem?* [7] Ecce peccasti, & lucrum fe- [7] In Psal. 123. in medio.
ti. Quid est, quod fecisti lucrum? Vt lucrum faceres; Deum
endisti. Vt augeres pecuniam, fides diminuta est, & aurum
escit. Quid perdidisti? & quid acquisisti? Quod acquisisti;
rum vocatur: quod perdidisti, fides vocatur. Compara fidem
ro. Si venalis esset in nundinis fides, haberet pretium. Lu-
tua cogitas, damna tua nō cogitas? De arca gaudes, de corde
n plangis? Abundat nescio quid in arca tua, sed vide quid
minutum sit in corde tuo. Cùm aperueris arcam, inuenis
idos qui non erant. Bene, quia gaudes ibi esse quod non
at. Attende arcam cordis. Erat ibi fides, sed nō est. Si hac gau-
s, quare hoc non plangis? Plus perdidisti quàm acquisisti.

Vis videre quid perdideris? Nec naufragio tibi posset auferri. a Quid ergo acquisisti? Tolle tecum ad inferos, quod acquisisti. Quid facturus es? Acquisisti aurum, perdidisti fidem. Post paucos dies exis de hac vita; aurũ quod acquisisti perdita fide, auferre tecum non potes. Cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad coronam exiret. Ecce nihil est quod fecisti, & propter nihil Deum offendisti, *quando quod peccando acquisisti, vt etiam nihil tibi prodesset, sed magis obesset, effecisti.*

a Ibidem infra.

CAP. XII.

Quibus modis excusent se iniusti negotiatores de auaritia.

AVdiant *hac nostri* negotiatores, & mutent vitam: & si fuerunt *aliquando iniusti, deinceps* non sint: *quicquid non iustum est*, non cognoscant: quod fuerunt, obliuiscantur: postremò non approbent, non laudent, improbent, damnent, mutentur, si peccatum est *talis* negotiatio. Hinc enim auiditate (nescio qua) acquirendi, ô negotiator, quando damnum passus fueris, blasphemas, & pro pretiis rerum, quas vendis, non solum mentiris, verumetiam falsum iuras. Corrigant se Christiani, non sic negotientur. Sed ait mihi negotiator: Ecce ego adfero quidem ex longinquo merces ad ea loca in quibus non sunt ea quæ attulero: vnde viuam, tanquam mercedem laboris mei peto, vt carius vendam, quàm emerim. Vnde enim viuam, cùm scriptum sit, Dignus est operarius mercede sua? Sed agitur de mendacio, de periurio. Hoc vitium meum est, non negotiationis: neque enim non, si vellem, possem agere sine isto vitio. Nõ ergo culpam auctor ad negotium transfero: sed si mentior, egò mentior, non negotium. Possem enim dicere: tanto emi, sed tanto vendam: si placet, eme. Non enim istam veritatem audiens emptor repelleretur; & non omnes potius accurrerẽt: quia plus fidem quàm mercem diligerent. Hoc ergo, inquit, me mone, ne mentiar, ne periurem: non vt abiiciam negotium, vnde me transigo. Quò enim vocas, quando hinc reuocas? Fortè ad artem aliquam? Ero sutor, calciamenta faciam hominibus. Mendaces enim & ipsi non sunt? Periuri & ipsi non sunt? Nónne locatis ab alio calciamentis, cùm acceperint ab alio pretium, dimittunt quod faciebant, & ☞ suscipiunt alteri facere, & fallunt eum cui promiserant citò se facturos? Nónne sæpe dicunt: hodie facio, hodie impleo? Deinde


a In Psal. 70. conc. 1 vltra medium.

Luc. 10.

Deinde in ipsa futura tantas fraudes non faciunt? Faciunt ista, & dicunt ista: sed ipsi mali sunt, non ars quam profitentur. Si omnes ergo artifices mali, Deum non timentes, vel pro lucro, vel pro timore damni aut egestatis, mentiuntur aut periurant: quomodo reuocas me à negotiatione? An vt agricola sim, & aduersus Deum tonantem murmurem, vt grandinem timens, sortilegum consulam, vt quæram, quid faciam contra cælum, vt optem pauperibus famem, quò possem vendere, quod seruaui? Ad hoc me adducis? Sed non ea faciunt, inquis, agricolæ boni. Nec illa negotiatores boni. Quid enim! Vtrum & filios habere malum est, quia quando eis caput dolet, malæ & infideles matres ligaturas sacrilegas & incantationes quærunt? Ista hominum, nō rerum peccata sunt. Potest mihi hoc dicere negotiator. Quære ergo, *inquit*, quemadmodum intelligas negotiationes, quas legisti in psalterio: ne forte tu non intelligas, & me à negotiatione prohibeas. Mone ergo quemadmodum viuam. Si bene; bene mihi erit: vnum tamen scio, quia si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea. *Verúmne dico? Et* quando verum dicitur, non est quod contradicatur. *Assentior. Sed habeo adhuc quod contra te, ô negotiator, dicam. Nunquid Abel iustus, negotiator fuit? Vnde se transegit, quamdiu vixit? Nónne in sudore vultus sui vescebatur pane suo? Quid Enoch, quid Noë vir agricola, quid Patriarcha pastores ouium fecerunt; negotiati sunt? Et vixerunt tamen, & quidam eorum diutius etiam vixerunt: sed non de eo, quod illos sustentaret, malè solliciti fuerunt. Quis Israelitarum exeuntium de Aegypto, tantam multitudinem pauit? nónne Deus eorum & Dominus? Quis pauit Heliam? Coruus & paupercula vidua, iussi à Deo, ministrarunt Prophetæ. Denique sanctus ille Ioannes, in deserto victitans, vnde sustentatus fuit? locustísne & melle siluestri? Et Dominus Iesus, cùm quadraginta dies & noctes ieiunasset, posséique sibi lapides in panes mutare; esurire tamen dignatus est, ac deinde ab angelis sibi voluit ministrari. Quare autem hæc dico? Vt te doceam ô negotiator; si sanctorum vitam imitari, & à negotiatione cessare velis; nunquam Deo defuturum vnde te sustentet. Hoc ergo age in omni negotio tuo, quod agere necesse est, non vt viuas simpliciter, sed vt bene viuas. Viues autem bene, si iustè viuas.*

Nos habemus litteraturam; ibi legit August. negotiationes.

Genes. 4.
Ibidem 3.
Genes. 9.
Ibidem 47.
Exod. 16.
3. Reg. 17.
Matth 3.
Matth. 4.



CAP. XIII.

Quomodo de sua iniustitia se excusent fœneratores, & alij similis farinæ homines; ne auari videantur: cùm iustitiam amantibus, & timentibus Deum nihil desit.

1 In Psal. 128. in medio. 1 AVdent etiam fœneratores dicere: Non habeo aliud vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret, deprehensus in fauce: hoc & effractor diceret, deprehēsus circa parietem alienum: hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quicquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent vnde viuerent, quia inde se pascerent: quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, vnde vitam transigant: & inde se volunt pascere, vnde offendant eum à quo omnes pascuntur.

2 In Psalm. 33. conc 21. in medio. 2 Dicitur illis, *Nolite malè agere*, nolite fraudem facere. Et dicunt: Vnde me pasco? Non potest ars sine impostura esse: non potest negotium esse sine fraude. Sed fraudē punit Deus. Time Deum. Sed si timuero Deum, non habebo vnde viuam.

Psalm. 33. *Quid ergo est quod dicit*: Timete Dominū omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum? Copiam promittit trepido & dubitanti, ne si fortè timuerit Dominum; deserant illum superflua. Pascebat te Dominus contemnentem se, & deseret te timentem se? Attende, & noli dicere; Ille diues est, & ego pauper sum: ego timeo Dominum, ille nō timendo quantum acquisiuit? & ego timendo nudus sum. Vide enim quid

Psalm. 33. sequitur. Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Sed si ad literam accipias hoc, videtur te fallere. Respicis enim multos diuites iniquos mori in diuitiis suis, non factos fuisse pauperes cùm viuunt: vides illos senescere, perduci ad vltimum vitæ inter magnas copias diuitiarum, celebrari eis pompam funeris in magnis effusionibus: perduci ad sepulchrum diuitem, qui & expirauit in lectis eburneis, circumflente familia suorum: & dicis in animo tuo, si fortè nosti aliqua & peccata & scelera ipsius: Ego noui quāta fecerit iste homo: ecce senuit, mortuus est in lecto suo, deducunt illum sui, pompa tanti funeris celebratur: agnoui, quæ fecerit, decepit me scriptura, & fefellit, vbi

Psalm. 33. audio & canto: Diuites eguerunt, & esurierunt. Quando iste inops fuit? quando esuriuit? Inquirentes autem Dominum

non

on minuetur omni bono. Quotidie ad basilicam surgo, quotidie genu flecto, quotidie inquiro Dominum, & nihil boni abeo: iste non inquisiuit Dominum, & inter tanta bona defunctus est. Sic cogitantem suffocat laqueus scandali. Escam enim mortalem quærit in terra, & veram mercedem non quærit in cælo: & mittit caput in laqueum Diaboli: constringuntur ei fauces, & tenet Diabolus ad malefaciendum: & sic imitatur illum diuitem, quem videt in tanta copia defunctum. Noli ergo sic intelligere. Et quomodo intelligam? in bonis spiritalibus. Sed vbi sunt? Non videntur oculis, sed corde. Non video, inquis, ipsa bona. Videt illa, qui amat. Iustitiam non video. Non enim aurum est, non argentum est. Si aurum esset, videres: quia fides est, non vides. Et si non vides fidem, quare amas seruum fidelem? Interroga teipsum, qualem seruum diligis. Fortè habes seruum formosum, staturosum, bene compositum; sed furem, nequam, fraudulentum. Habes autem alium fortè paruum statura, deformem facie, colore tetrum; sed fidelem, parcum, sobrium. Attende, rogo te, quem istorum duorum diligis? Si oculos carnis interrogas; vicit apud te pulcher iniustus; si oculos cordis; vincit deformis fidelis. Ergo quod vis, vt exhibeat tibi alter, id est, fidem: exhibe illi & tu. *Noli fœnerari, noli quemquã fraudare, quantauis inopia labores, quàmlibet indigeas. noli errare.* 3 Ferenda est enim magis omnis necessitas, quàm perpetranda aliqua iniquitas. Tamẽ aliud est de necessitate peccare, aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Diues abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? ideo macro cùm dicis, Quare hoc fecisti? humiliter afflictus & abiectus respondet; Necessitas coëgit me. Quare non timuisti Deum? Egestas compulit. Dic diuiti: Quare hæc facis, & non times Deum? (Si tamen tantùs es, qui possis dicere:) vide si vel dignatur audire. Iam enim præceptoribus & correptoribus suis inimicitias diuites indicunt: & fiunt inimici verum dicentibus, iam sueti palpari verbis adulantium, aure molli, corde non sano. Quis dicit diuiti; malè fecisti rapiẽdo res alienas? Aut fortè, si ausus fuerit aliquis dicere, & talis est cui nõ possit ille resistere; quid respondet? Totum in contemptũ Dei loquitur. Quare? Quia superbus est, *quia auarus est; & magis aurem præbet Diabolo suggerenti spem lucri de manifesta rapina, quàm Deo promittenti salutem de pij timoris & laboris disciplina.* Quod

Vide in Psal. 123 in med & in Psalm. 36. conc. 2. post initium.

3 In Psal. 72. in medio.

quidem in ipsis diuitibus si bene aduertatur, *non debet mirum videri:*[4] cum in omni genere humano plures alliciat auaritia quàm peritia. Et in eis ipsis qui sunt artificiosi, rarò inuenies hominem, qui non habeat artem suam pecuniaria mercede venalem: plurisque pendatur semper propter quod aliquid fit, quàm id quod propter illud fit.[5] Vsque adeò autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpãtur iura, sententia ipsa venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa. *Quare:*[6] Quoniam nõ sufficit auaritiæ, nosse & amare aurum, nisi & habeat; neque nosse & amare honores & imperia, nisi proueniãt. Quæ tamẽ omnia nec adepta sufficiũt. Qui enim biberit ex hac, inquit Christus, aqua, sitiet iterũ. Ideoq; & in psalmo; Concepit, inquit, dolorẽ, & peperit iniquitatem. Dolorem, vel laborem dicit cõcipi, cùm ea concipiuntur, quæ nosse ac velle non sufficit, & inardescit atque ægrotat animus indigentia, donec ad ea perueniat & quasi pariat ea: (vnde eleganter in Latina lingua parta dicuntur & reperta atque comperta: quæ verba quasi à partu dicta resonant) Quia concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.

[4] To. 5. Lib. 7. deciuit. ca. 3.
[5] Serm. 19 de verb. Domini, qui D. Maxim. ascrib.
[6] Tom. 3 lib. 9 de Trinit. ca. 9.
Ioan. 4.
Psalm. 17.
Iacobi 1.

CAP. XIIII.

Christi sententia explicatur; Cauete ab omni auaritia: & exemplum diuitis stulti adiungitur.

PRæcepit autem nobis veritas, quæ nec fallit, nec fallitur: audiamus, timeamus, caueamus. Quid ergo præcepit?[1] Dico, inquit, vobis, abstinete ab omni auaritia. Quid est, Ab omni auaritia? Quid est, Ab omni? Quare addidit, Ab omni? Posset enim & sic dicere; Cauete ab auaritia. Pertinuit ad eũ vt adderet, Ab omni, & diceret: Cauete ab omni auaritia. Quare hoc dixerit, velut occasio ipsa, vnde natus est sermo, apparet nobis in sancto Euangelio. Interpellauit enim eum quidam contra fratrem suum, qui totum patrimonium abstulerat, & fratri suo partem suam non reddebat. Quàm bonam ergo causam habuerit iste interpellator, aduertis. Non enim rapere quærebat aliena, sed sua à parentibus sibi relicta quærebat; ipsa Domino interpellato & iudicãte poscebat. Habebat iniquum fratrem: sed iustum iudicem inuenerat contra iniquum fratrem. Deberet ergo perdere in tam bona causa occasionem istam? Aut quis diceret fratri eius; Redde partem suam fratri tuo,

[1] D. August. Ser. 63 inter impres. Louã. est Serm. 169. de temp.
Luc. 12.
Vide Serm. 91. inter diuers. in editione Plantini.

tuo, si Christus non diceret? Ille-iudex hoc dicturus erat, quem * furto frater ditior, & raptor, præmio corrumpebat? al.forte.
Miser ergo & paternis opibus destitutus, tali ac tanto iudice inuento, accedit, interpellat, rogat, causam suam breuissimè exponit. Vt quid enim opus erat causam perorare, quando ei loquebatur, qui cor poterat & videre? Domine, inquit, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Non ei dixit Dominus: Veniat frater tuus; sed nec misit vt adesset; aut cùm affuisset, interpellatori dixit: Proba, quòd dicebas. Petebat dimidiam hæreditatem. Petebat in terra dimidiam: & in cælo Dominus offerebat totam. Plus Dominus dabat, quàm ille postulabat.[2] Sed audiamus & iudicantem & docentem. Homo, [2] Ibidem sup.
ait homo. Qui enim pro magno habes istā hæreditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere aliquid plus quā est homo. Quid eum plus volebat facere? Dico vobis: Ego dixi, Dij estis, Psalm.81.
& filij altissimi omnes. Ecce quod eum volebat facere; inter deos numerare, qui auaritiam non habet. Homo, quis me, inquit, constituit diuisorem inter vos? Petisti beneficium, audi consilium. Ego dico vobis: Cauete ab omni cupiditate. Fortè, Luc.12.
inquit, tu auarum & cupidum diceres, si quæreret aliena: ego autem dico, cupidè & auarè nō appetas nec tua. Cauete, inquit. Quid? Vnde? Ab omni auaritia. M[illegible]m seruo, alienum non tollo. Non solùm auarus est qui rapit aliena: sed & ille auarus est, qui cupidè seruat sua. Sed si sic culpatur qui cupidè seruat sua: quomodo damnatur, qui rapit aliena? Vide quid mali [3] Ibidē supra.
facias, non audiendo Christum dicentem, Cauete ab omni auaritia. Ecce amas tua, non tollis aliena: de labore habes: de iustitia habes: hęres relictus es: donauit tibi, quem promeruisti: nauigasti, periclitatus es, fraudem non fecisti, mendacium non iurasti, quod Deus voluit, acquisiuisti: & seruas cupidè tanquam in bona conscientia, quia non habes de malo, & non quæris aliena. Si non audieris illum, qui dixit, Cauete ab omni Luc.12.
auaritia: audi quanta mala facturus es propter tua. Ecce contigit, verbi gratia, vt fieres iudex. Non corrumperis, quia non quæris aliena: nemo tibi dat præmium, & dicit: Iudica contra aduersarium meum. Absit homo, qui nō quæris aliena. Quando tibi hoc persuaderi potest? Vide quid mali facturus sis propter tua. Ille qui vult vt malè iudices, & pro ipso feras sententiam contra aduersarium ipsius, fortè potens homo est, & potest tibi calumniam facere, vt perdas tua. Attendis potentiam

ipsius, cogitas illam, cogitas tua, quæ seruas, quæ amas: non quæ possedisti, sed quibus malè inhæsisti. Attendis viscum tuum, propter quod liberas virtutis non habes pennas: & dicis apud teipsum, Offendo hominem istum: multum potest ad tempus, suggerit de me mala, & proscribor, & perdo quod habeo. Iudicaturus es malè, non cùm quæris aliena, sed cùm

q Ibidē supra. seruas tua. q Ex hac ergo occasione, quia interpellator ille partem suam quærebat, non alienam inuadere cupiebat: nata est ista sententia Domini, vt non diceret: Cauete ab auaritia, sed adderet, Ab omni auaritia. Parum fuit: dat alterum exemplum de quodam diuite, cui successerat regio. Quid est, suc-

Luc. 12. cesserat? Magnos fructus attulerat regio, quam possidebat. Quàm magnos fructus? vt non inueniret vbi poneret: factus est subitò per abundantiam angustus, auarus antiquus. Quot enim anni iam transierant, & tamen horrea illa suffecerant? Tantum ergo natum est, vt loca non sufficerent quæ solebant: & quærebat consilium miser, non quomodo erogaret quod plus natum erat, sed quomodo reseruaret. Et cogitando inuenit consilium. Destruam, inquit, horrea vetera, & faciam noua ampliora, & implebo ea: & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos plurimos reposita, requiesce, manduca, bibe, epulare. Hoc dixit sapiens inuentor consilij, animæ suæ. Et Deus ad illum, qui nec cum stultis loqui dedignatur: Stulte, inquit, stulte, quid tibi sapiens videris? Hodie repetitur à te anima tua, cui dixisti: Habes multa bona: hodie repetitur, & nullum habet bonum. Contemnat hæc bona, & fit ipsa bona, vt, quando repetitur, exeat secura. Quid enim est iniquius illo homine, qui multa bona vult habere, & bonus esse ipse non vult? Indignus es, qui habeas, qui non vis esse quod vis habere. Nunquid enim vis habere villam malam? Non vtique, sed bonam. Nunquid vxorem malam? Non, sed bonam. Nunquid denique casulam malam? nunquid vel caligam malam? Quare animam solam malam? Non hic dixit stulto huic vana cogitanti, horrea ædificanti, & ventres pauperum non videnti: non illi ait, Hodie anima tua rapietur ad gehennam: nihil horum dixit: sed, Repetitur à te: *tanquam diceret: Propterea repetitur, quia ipsa bona non est, cui tam multa bona præparasti.*

B

CAP.

CAP. XV.

Exemplum diuitis purpurati proponitur, qui non quia aliena rapuit, sed quia sua sibi seruauit, damnatus est.

1 NVnquid ergo iste diues aliena quærebat? Fructus suos colligere disponebat; vbi poneret, consulebat: non de cuiusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumuento simplice: sed tantummodo de suis colligendis cogitabat. Cùm ergo se prudentissimum consilium inuenisse arbitraretur, de apothecis veteribus angustis deiiciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & omnibus suis fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiscendis atque rapiendis; ait illi Deus, Stulte, vbi tibi sapiēs videris, ibi stulte. Stulte, inquit, hac nocte repetūt à te animam tuam; hæc, quæ præparasti, cuius erunt? Si seruaueris, tua non erunt: si erogaueris, tua erunt. Quid, inquit, reponis quod relicturus es? Ecce increpatus est stultus malè recondens. Si stultus est qui recondit sua: tu inueni nomen ei qui tollit aliena. Si sordidus est reconditor suorum, vlcerosus est raptor alienorum. Sed non qualis ille vlcerosus, qui iacebat ante ianuam diuitis, & cuius canes lingebant vlcera. Ille enim vlcerosus erat in corpore, non raptor in corde. Fortassis aliquis respondeat, & dicat: Non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus, stulte. Non sic dicit Deus, stulte, quomodo homo dicit. Tale enim in quenquam Dei verbum, iudicium est. Nunquid enim Deus stultis daturus est regnum cælorum? Quibus autem non est daturus regnum cælorum, quid eis restat, nisi pœna gehennarum? Conicere hoc videmur: apertè hoc manifesteque videamus. Nam & ille diues, ante cuius ianuā iacebat pauperrimus vlcerosus, non est dictus raptor rerum alienarum. Erat quidam diues, inquit, qui induebatur purpura & bysso. Diues, inquit, erat. Non dixit, calumniator: non dixit, pauperum oppressor: non dixit, rerum alienarum aut delator aut receptor: nō dixit, pupillorum expoliator: non dixit, viduarum persecutor. Nihil horum: sed, Erat quidam diues. Quid magnum est? Diues erat, de suo diues erat. Cui aliquid tulerat? Quod ergo eius crimen, nisi iacens ante ianuam vlcerosus, & non adiutus? Hoc enim apertè de illo dictum est, quòd immisericors erat. Nunquid enim si pauper ille ante ianuā iacens, sufficientē panē à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis quæ

1 D. August. Serm. 19 de verbis Apost.

Luc. 16.

Nota. quæ cadebant de mensa diuitis? Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem, ante ianuam suam iacentem, nec congruè digneque pascebat; mortuus est, & sepultus. Et cùm apud inferos in tormẽtis esset, leuauit oculos suos, vidit pauperem in sinu Abrahæ. Et quid pluribus immorer? Desiderauit guttam, qui non dedit micam. Nónne accepit iustam sententiam, qui nõ dedit propter crudelem auaritiam? Si hæc erga pœna est auarorum; quæ pœna raptorum? Sed ait mihi raptor rerum alienarum: Ego similis illius diuitis non sum: Agapen facio, inclusis in carcere victum mitto, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas, tollere noli, & dedisti. Cui dederis, gaudet: cui abstuleris, plorat. Quem duorum istorum exauditurus est Dominus? Dicis ei cui dederis: Gratias age, quia accepisti: sed alter tibi ex alia parte dicit: Ego gemo, cui abstulisti. Et penè totum tulisti, & exiguum illi dedisti. Si ergo quod alteri abstulisti, egẽtibus dedisses; nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus: Stulte, iussi vt dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo. Si non habes quod des de tuo; melius nulli dabis, quàm alteros spoliabis. Dicturus est Dominus Christus, cùm in iudicio suo sederit, & alios ad dexteram, alios

Matth. 25. ad sinistram separauerit, bene operantibus: Venite benedicti patris mei, percipite regnum: Esuriui, & dedistis mihi manducare. Attende *etiam* quid sinistris dicturus est: Ite in ignem æternum. Quare? Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: nudus fui, & non vestistis me. Si ergo in ignem æternum ibit, cui dicturus est Christus; Nudus fui, & non vestisti me: quem locum habebit in igne æterno, cui dicturus est; Vestitus fui, & spoliasti me? Hic fortasse vt euadas hanc vocem, ne tibi dicat Christus, Vestitus fui & spoliasti me; mutata consuetudine, cogitas spoliare paganum, & vestire Christianum. Et hic respondebit tibi Christus, imò nunc respondet tibi per seruum suum qualemcunque ministrũ suum: Et iam hîc parce damnis meis. Cùm enim tu, qui Christianus es, spolias paganum, impedis fieri Christianũ. Etiã & hic fortasse respondebis adhuc: Ego non odio pœnã ingero, sed dilectione potiùs disciplinæ. Ideo spolio paganum, vt per hanc asperam ac salubrem disciplinam faciam Christianum. Audirem & crederem, si

[a] Hom. 7. inter 50. desumpta ex serm. 19. de verb. Apostol. quod abstulisti pagano, redderes *iã facto* Christiano. [a] Fortè & hoc secum cogitat aliquis, & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi: non habeo peccatum, si illis abstulero, &

pau-

ribus dedero. Vnde enim illi nihil boni faciunt, mercedẽ
e potero, si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re
vnusquisque animæ suæ: quia huiusmodi cogitatio ex
i calliditate suggeritur. Nam etiam si totum tribuat
abstulerit, addit potiùs peccata, quàm minuat.

Cap. XVI.

ari malè intelligunt hanc scripturam: Nemo quod suum est quærat: sed quod alterius.

Iximus iam multa contra vnum vitium rapinarum, quo res humanæ vsquequaque vastantur. Diximus: sed necista quæ dicta sunt, sufficiunt: quia nec etiam ipsis rapaci- & auaris, quantacumque habuerint, quomodolibet acqui- ufficere possunt. Ergo aduersus hoc vitium amplius dimi- um est; & imprimis eisdem telis confodiendum, quibus ab s muniri posse videtur. Nam & quandam scripturam dum ene eam intelligunt, sibi in hoc vitio patrocinari arbitran- Sed quomodo miseri fallantur, iam paucis aperiendum est,
laude enim charitatis ex Apostolo audiuimus, Charitas quærit quæ sua sunt. Non quærit quæ sua sunt: quo- donat quæ possidet. Alio loco periculosius dictum est, n intellexeris. Secundum enim ipsam charitatem præ- ns Apostolus fidelibus membris Christi, ait: Nemo d suum est quærat, sed quod alterius est. Auaritia nam- hoc audito, fraudes parat, vt in negotio quasi alienum rens, aliquem circumueniat; & quærat non suum, sed alie- . Compescat se auaritia: procedat iustitia. Audiamus, in- gamus. Charitati dictum est: Nemo quod suum est quæ- sed quod alterius. Verùm tu auare, si resistas, & magis ad præceptum redigis, vt alienum concupiscas; perde tuum. quomodo te noui, habere vis & tuum & alienum. Frau- facis, vt habeas alienum: furtum patere, vt perdas tuum. n vis quærere tuum, sed tollis alienum. Quod si facis, non bene; *furtum enim facis*. Audi, ô auare, ausculta. Apo- is tibi eodem loco apertiùs exponit hoc quod dixit: Ne- quod suum est quærat, sed quod alterius. Ait quippe de so: Ego autem non quærens quod mihi vtile est, sed quod tis, vt salui fiant. *Qui æternam salutem fidelibus quærebat, deret fraudem? quibus optabat cælum, suggereret furtum?*
Quod

ı D. August. Serm. 96. inter diuersos ex edit. Plant.
ı Cor. 13.
ı Cor. 10.
Ibidem.

1 Tom. 10. ex fragmento Serm. de Decalog. quem citat Eugyppius in edit. Plantini.

1 Quod per furtum, contra hoc præceptum, subducis proximo, de cælo perdis. Nemo enim habet iniustum lucrum, sine iusto damno. Verbi gratia, Qui furatur, acquirit vestem: sed cælesti iudicio amittit fidem. Vbi lucrum, ibi damnum: visibiliter lucrum, inuisibiliter damnum. *Non ergo fraudem tuam, ô homo, non rapinam, non auaritiam commendat scriptura: sed quid à te ipsa charitas exigat, tibi veritas ostendit; & proposuit in Apostolo quod imiteris, vt Dei præceptum perficias.*

CAP. XVII.

Aliena non sunt rapienda; quod illustri exemplo declaratur.

1 D August. Serm. 110. de Tempore, ante finem.

1 SEd fortè inde factus es pauperrimus & egentissimus, quia nescio quid habebas paternum quod te sustentaret, & calumnia aliqua competitoris abstulit. Gemis hinc, audio: tempora accusas. Quod gemis, si possis, non facis? An non videmus, an non quotidianis exemplis plena sunt omnia? Heri quispiam gemebat, quia perdebat sua: hodie pergens ad maiorem, rapit aliena: *si non re, saltem cupiditate.*[2] Alius potens est, & rapit; tu in manu raptoris gemis: quia rapere non potes, ideo non facis. habeto facultatem, & ibi laudabo domitam cupiditatem. Beatum sancta Scriptura dicit, qui post aurum non abiit; qui potuit trãsgredi, & nõ est transgressus; qui facere mala potuit, & non fecit. Tu autem dicis; Nunquam negaui rem alienam. Quia fortè nemo tibi commendauit, aut fortè commendauit, sed sub testibus commendauit. Dic mihi, reddidisti quando à solo solus accepisti, vbi Deus inter vos fuerat? Si tunc reddidisti: si mortuo eo qui commendauit, nescienti filio reddidisti, tunc te laudabo, quia post aurum non isti; quia potuisti transgredi, & non es transgressus; quia potuisti mala facere, & non fecisti. Si fortè alienum sacculum solidorum, vbi nemo te vidit in via, inuenisti, & sine vlla mora, ei, cuius fuerat reddidisti.[3] Ecce hoc quod propono, in eo te examina, in eo te appende, in eo ascende ad mẽtis tuæ tribunal, & constitue te ante te, & iudica te. Et si te prauũ inueneris, corrige te. Considera quod propono. Deus dicit in lege sua, inuentionem esse reddendam. Deus in lege sua dicit, quam priori populo dedit, pro quibus Christus nondum erat mortuus: vt quicunque rem cuiuscunque inuenerit, tanquam alienam citò restituat: quia sine dubio, & si ipse perdidisset, hoc sibi ab alio fieri voluisset:

2 D. August. Serm. 19. de verb. Apostoli

Eccl. 31.

3 Hom. 9. inter quinqua. quæ est conflata ex Ser. 19 de verbis Apostoli.

Leuitic. 6.

voluisset: secundum illud quod scriptum est: Omnia quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos faciatis illis similiter. Si quispiam, verbi gratia, inueniat in via alienum sacculum solidorum, debet reddere. Sed nescit cui. Se excusat ignorantia, si non dominetur auaritia. Dicam quid fecerit homo quidam pauperrimus, eo tempore quo Sanctus Ambrosius Mediolani erat episcopus, vbi tunc præsens erat etiam Augustinus nondum episcopus. Tã pauper erat ille, de quo loquimur, vt proscholasticus esset grammatici; sed planè verus & perfectus Christianus. Sed melior fuit ille qui ad velum stabat, quàm ille qui in cathedra sedebat. Pauper ergo iste inuenit sacculũ ducentorum solidorum: memor tamen diuinæ legis, *de qua iam diximus*, proposuit pitacium publicè. Qui solidos perdidit, veniat ad illum locum, vt quærat illum hominem. Ille, qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pitacio, venit ad hominem. Et ne fortè alienũ quæreret, sed suum; quæ fuit signa, interrogauit sacculi qualitatem, solidorũ etiam numerum. Cùm omnia fideliter etiam ille respondisset, reddidit quod inuenerat: obtulit illi solidos viginti. Noluit accipere. Obtulit decẽ, noluit recipere. Saltem rogauit, vt vel quinque reciperet. Noluit. Ille stomachans proiecit sacculum. Nihil perdidi, ait. Si non vis à me aliquid recipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus. Theatrum mundus, spectator Deus. Victus ille, quod offerebatur accepit; & continuò totum *pauper* pauperibus erogauit. vnũ solidum in domum suã non misit. Considerate *Christiani*, tam gloriosum exemplum, & tam admirabile factum. Facite hoc. Nolite putare vos damnum pati, si quod à vobis inuentum fuerit, reddideritis. Credite, quia magnum lucrum est, si feceritis quod suggero. Fortè aliquis veniens, in domo tua perdidit solidos. Terra communis est, in vna domo estis in hoc mundo; ambo viatores estis huius vitæ. Vnum stabulum intrastis. Posuit ille, oblitus est; vel cecidit ab illo. Inuenisti, qui in lege audisti inuentionem esse reddendam. [4] Quis inuenisti? Christianus. Quis inuenisti? Qui legem audisti. Qui cùm audires multa, laudasti; tu inuenisti. Si ergo veraciter laudasti, redde quod inuenisti. Si ergo non reddidisti quod inuenisti; quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Nam quod inuenisti, & non reddidisti; rapuisti. Quantum potuisti, fecisti: quia plus non potuisti, ideo plus nõ fecisti. Qui alienũ negat; si posset,

Matth. 7.

Loquitur de seipso August. tan quam de altero.

4 D August. Serm. 19. de verbis Apost.

Nota.

Quid est, it post te? Tu ducis, non duceris: quia possides, non possideris. Non faciunt bonos mores, nisi amores boni. Tollatur aurum de rebus humanis: imò adsit aurum, vt probet res humanas. Præcidatur lingua humana propter Dei blasphematores: & vnde erũt Dei laudatores? Quid tibi fecit lingua? Sit qui bene cantet; bonum est organum. Da mentem bonam ad linguam: bona dicuntur, discordes concordantur, lugẽtes consolantur, luxuriosi corripiuntur, iracundi refrenantur, Deus laudatur, Christus commendatur, mens ad amorem inflammatur, sed diuinum, non humanum; spiritalem, non carnalem. Hæc bona facit lingua. Quare? Quia bona est mens, quæ vtitur lingua. Da malum hominem ad linguam: erunt blasphematores, litigatores, calumniatores, delatores. Omnia mala de lingua, quia malus est qui vtitur lingua.

CAP. XIX.

Quædam bona solùm in bonis sunt: quædam bonis & malis communia.

1 QVapropter non tollantur res de rebus humanis: sint res, & adsit vsus rerum bonarum. Alia enim sunt bona quæ non sunt nisi in bonis: & alia sunt bona quæ sunt communia bonis & malis. Bona quæ non sunt nisi in bonis, pietas, fides, iustitia, prudentia, modestia, charitas, & cætera huiusmodi. Bona quæ sunt communia bonis & malis, pecunia, honor, huius sæculi potestas, administratio aliqua, salus ipsa corporis. Et hæc bona sunt, sed bonos quærunt. Iam hic murmuratur. Reprehensor & argumentator mox mihi obiecturus est: Et quare Deus, qui omnia gubernat, bona ista dat malis? Non illa daret nisi bonis. Expectas à me audire consilium Dei? Audi; Quòd ista bona dat Deus & malis, si vis intelligere, eruditio tua est, non aduersitas Dei. Hinc est quòd surrepsit quibusdam lethalis impietas, vt animo credant, Deum non aspicere res humanas. Dicunt enim & disputant: Nunquid si Deus res humanas attenderet, haberet ille diuitias, haberet ille honores; haberet ille potestatem? Non curat Deus res humanas. Nam si curaret, ista solis bonis daret. Redi ad cor, & inde ad Deum. De proximo enim redis ad Deum, si redieris ad cor tuum. Nam quando te offenderunt ista, exiisti & à te. Exul factus es & pectoris tui. Moueris rebus quæ sunt foris à te, & perdis te. Tu intus es; ista foris adiacent. Foris bona sunt, sed

1 Ibidem immediatè.

CAP. XX.

Duplex est bonum: alterum facit hominem bonum: de altero homo facit bonum, dum illud leuat in cælum.

a D. August. Serm. 5. de verbis Dom. in initio.

1 Bonæ sunt ergo ipsæ diuitiæ, in quibus homines extolluntur, & pares suos homines alios non agnoscunt; in quibus, inquam, homines extolluntur, magis amantes vestem fulgentem, quàm cogitantes communem cutem. Ipsæ diuitiæ bonæ sunt, sed à bonis & malis haberi possunt. Et cùm bonæ sint, bonos tamen facere non possunt. Est ergo bonum quod faciat bonum: & est bonum vnde facias bonum. Bonum quod facit bonum, Deus est. Non enim facit hominem bonum, nisi ille qui semper bonus est. Ergo vt sis bonus, *Deum ama*, Deum inuoca. Aliud autem bonum est, vnde facias bonum, id est, quicquid habueris. Aurum est, argentum est; bonum est, non quod facit bonum, sed vnde facias bonum. Habes aurum, habes argentum: & concupiscis aurum, & concupiscis argentum. Et habes, & concupiscis: & plenus es, & sitis: morbus est, non opulentia. Sunt homines in morbo; humore pleni sunt, & semper sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem conscientiam? habes ergo aurum, bonum est: habes non vnde sis bonus, sed vnde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus sum de auro? Non audisti psalmum: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi? Hoc est bonum: hoc est bonum vnde sis iustitia bonus, si habes bonum vnde sis bonus. Habes pecuniam, eroga: erogando pecuniam, auges iustitiam. Vide quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur iustitia. Illud minuitur quod eras dimissurus; illud minuitur quod eras relicturus: illud augetur quod in æternum es possessurus. Consilium do lucrorum: disce mercari. Laudas enim mercatorem qui vendit plumbum, & acquirit aurum: & non laudas mercatorem qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam? Sed ego, inquis, non erogo pecuniam, quia non habeo iustitiam: eroget pecuniam, qui habet iustitiam. Ego non habeo iustitiam; habeam vel pecuniam. Ergo quia non habes iustitiam, ideo non vis erogare pecuniam. Magis eroga pecuniam, vt habeas iustitiam. A quo enim habebis iustitiam, nisi à Deo fonte iustitiæ? a Quid ergo ego amplius dicam? Iam

Psalm. 111.



a D. August. Serm. 50 de temp. in med.

am me Euangelium hac cura liberauit. Non ego nunc lego, ed lecta recolo. Consilium quæris in causa tua deficiens, vide quid dicat fons *iustitiæ*, fons recti consilij, fons, vnde quicquid mples, venenum non times. *Quid dicit?* Nolite vobis con- Math. 6.
dere thesauros in terra, vbi tinea & comestura exterminat: & vbi fures effodiunt & furantur: sed thesaurizate vobis thesauros in cælo, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Quid expectas amplius? Res aperta est. Consilium patet, sed cupiditas latet: mò non latet; sed etiam ipsa, quod peius est, patet. Non enim cessat rapina grassari: non enim cessat fraudare auaritia: non enim cessat periurare malitia. Totum vt quid? Vt thesaurizetur. Et vbi ponatur? In terra. Rectè quidem à terra interam. Homini enim dictum est peccanti: Terra es, & in terram Genes. 3.
ibis. Meritò thesaurus in terra, quia cor in terra. Vbi est ergo quod habemus ad Deum? Dole qui intellexisti: corrigere si soluisti. Quamdiu vis laudare, & non facere? Verum est, nihil verius. Fiat ergo quod verum est: & noli tibi condere thesaurum in terra, siue expertus quomodo pereat quod in terra reconditur; siue non expertus, sed ex alteris metuens experiri. Quem non corrigunt verba, corrigant experimenta. Non surgitur, non proceditur, nisi vna voce dicatur ab omnibus: Væ nobis, ruit mundus. Si ruit, quare non migras? Si tibi architectus diceret ruituram domum tuam; nónne prius migrares quàm murmurares? Structor mundi tibi dicit ruiturum mundum; & non credis? Audi vocem prædicentis: Et Luc. 13.
cælum & terra transibunt. Vox commonentis est: Nolite vobis condere thesaurum in terra. Ergo si credis prædicenti, si non contemnis commonentem, fiat quod dicit. Non enim ille te fallit, qui tale consilium dedit. Non perdes quod dedisti, sed sequeris quod misisti. Consilium ergo do: Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Non sine thesauro manebis: sed quod habes in terra solicitus, habebis in cælo securus. Consilium do seruandi, non perdendi. Ha- Matth. 19.
bebis, inquit, thesaurum in cælo, & veni sequere me, vt ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium. Cur silent homines? Audiant vel experti, quod timeant: faciant vnde non timeant, *exonerati* migrent in cælum.

quidem in ipsis diuitibus si bene aduertatur, *non debet mirum videri:* [4] cum in omni genere humano plures alliciat auaritia quàm peritia. Et in eis ipsis qui sunt artificiosi, rarò inuenies hominem, qui non habeat artem suam pecuniaria mercede venalem: plurisque pendatur semper propter quod aliquid fit, quàm id quod propter illud fit. [5] Vsque adeò autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpatur iura, sententia ipsa venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa. *Quare:* [6] Quoniam nō sufficit auaritiæ, nosse & amare aurum, nisi & habeat; neque nosse & amare honores & imperia, nisi proueniāt. Quæ tamē omnia nec adepta sufficiūt. Qui enim biberit ex hac, inquit Christus, aqua, sitiet iterū. Ideoq́. & in psalmo; Concepit, inquit, dolorē, & peperit iniquitatem. Dolorem, vel laborem dicit cōcipit, cùm ea concipiuntur, quæ nosse ac velle non sufficit, & inardescit atque ægrotat animus indigentia, donec ad ea perueniat & quasi pariat ea· (vnde eleganter in Latina lingua parta dicuntur & reperta atque comperta: quæ verba quasi à partu dicta resonant) Quia concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.

[4] To. 5. Lib 7. de ciuit. ca 3.

[5] Serm 19. de verb. Domini, qui D. Maxim. ascrib.

[6] Tom. 3 lib. 9 de Trinit. ca. 9.

Ioan. 4.

Psalm. 17.

Iacobi 1.

CAP. XIIII.

Christi sententia explicatur; Cauete ab omni auaritia: & exemplum diuitis stulti adiungitur.

PRæcepit autem nobis veritas, quæ nec fallit, nec fallitur: [1] audiamus, timeamus, caueamus. Quid ergo præcepit? Dico, inquit, vobis, abstinete ab omni auaritia. Quid est, Ab omni auaritia? Quid est, Ab omni? Quare addidit, Ab omni? Posset enim & sic dicere; Cauete ab auaritia. Pertinuit ad eū vt adderet, Ab omni, & diceret; Cauete ab omni auaritia. Quare hoc dixerit, velut occasio ipsa, vnde natus est sermo, apparet nobis in sancto Euangelio. Interpellauit enim eum quidam contra fratrem suum, qui totum patrimonium abstulerat, & fratri suo partem suam non reddebat. Quàm bonam ergo causam habuerit iste interpellator, aduertis. Non enim rapere quærebat aliena, sed sua à parentibus sibi relicta quærebat; ipsa Domino interpellato & iudicāte poscebat. Habebat iniquum fratrem: sed iustum iudicem inuenerat contra iniquum fratrem. Deberet ergo perdere in tam bona causa occasionem istam? Aut quis diceret fratri eius; Redde partem suam fratri tuo,

[1] D August. Ser. 63 inter impres. Louā. est Serm. 169. de temp.

Luc. 12.

Vide Serm 91. inter diuers. in editione Plantini.

tuo, si Christus non diceret? Ille iudex hoc dicturus erat, quem * furto frater ditior, & raptor, præmio corrumpebat? al. fortè.
Miser ergo & paternis opibus destitutus, tali ac tanto iudice inuento, accedit, interpellat, rogat, causam suam breuissimè exponit. Vt quid enim opus erat causam perorare, quando ei loquebatur, qui cor poterat & videre? Domine, inquit, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Non ei dixit Dominus: Veniat frater tuus; sed nec misit vt adesset; aut cùm affuisset, interpellatori dixit: Proba, quòd dicebas. Petebat dimidiam hæreditatem. Petebat in terra dimidiam: & in cælo Dominus offerebat totam. Plus Dominus dabat, quàm ille postulabat. [2] Sed audiamus & iudicantem & docentem. Homo, ait homo. Qui enim pro magno habes istā hæreditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere aliquid plus quā est homo. Quid eum plus volebat facere? Dico vobis: Ego dixi, Dij estis, & filij altissimi omnes. Ecce quod eum volebat facere; inter deos numerare, qui auaritiam non habet. Homo, quis me, inquit, constituit diuisorem inter vos? Petisti beneficium, audi consilium. Ego dico vobis: Cauete ab omni cupiditate. Fortè, inquit, tu auarum & cupidum diceres, si quæreret aliena: ego autem dico, cupidè & auarè nō appetas nec tua. Cauete, inquit. Quid? Vnde? Ab omni auaritia. M[eu]m seruo, alienum non tollo. Non solùm auarus est qui rapit aliena: sed & ille auarus est, qui cupidè seruat sua. Sed si sic culpatur qui cupidè seruat sua: quomodo damnatur, qui rapit aliena? Vide quid mali facias, non audiendo Christum dicentem, Cauete ab omni auaritia. Ecce amas tua, non tollis aliena: de labore habes: de iustitia habes: heres relictus es; donauit tibi, quem promeruisti: nauigasti, periclitatus es, fraudem non fecisti, mendacium non iurasti, quod Deus voluit, acquisiuisti: & seruas cupidè tanquam in bona conscientia, quia non habes de malo, & non quæris aliena. Si non audieris illum, qui dixit, Cauete ab omni auaritia: audi quanta mala facturus es propter tua. Ecce contigit, verbi gratia, vt fieres iudex. Non corrumperis, quia non quæris aliena: nemo tibi dat præmium, & dicit: Iudica contra aduersarium meum. Absit homo, qui nō quæris aliena. Quando tibi hoc persuaderi potest? Vide quid mali facturus sis propter tua. Ille qui vult vt malè iudices, & pro ipso feras sententiam contra aduersarium ipsius, fortè potens homo est, & potest tibi calumniam facere, vt perdas tua. Attendis potentiam

2 Ibidem supra. Psalm. 81. Luc. 12. 3 Ibidē supra. Luc. 12.

ipsius, cogitas illam, cogitas tua, quæ seruas, quæ amas: non quæ possedisti, sed quibus malè inhæsisti. Attendis viscum tuum, propter quod liberas virtutis non habes pennas: & dicis apud teipsum, Offendo hominem istum: multum potest ad tempus, suggerit de me mala, & proscribor, & perdo quod habeo. Iudicaturus es malè, non cùm quæris aliena, sed cùm

ᵠIbidē supra. seruas tua. ᵠ Ex hac ergo occasione, quia interpellator ille patrem suam quærebat, non alienam inuadere cupiebat: nata est ista sententia Domini, vt non diceret: Cauete ab auaritia, sed adderet, Ab omni auaritia. Parum fuit: dat alterum exemplum de quodam diuite, cui successerat regio. Quid est, suc-

Luc. 12. cesserat? Magnos fructus attulerat regio, quam possidebat. Quàm magnos fructus? vt non inueniret vbi poneret: factus est subitò per abundantiam angustus, auarus antiquus. Quot enim anni iam transierant, & tamen horrea illa suffecerant? Tantum ergo natum est, vt loca non sufficerent quæ solebant: & quærebat consilium miser, non quomodo erogaret quod plus natum erat, sed quomodo reseruaret. Et cogitando inuenit consilium. Destruam, inquit, horrea vetera, & faciam noua ampliora, & implebo ea: & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos plurimos reposita, requiesce, manduca, bibe, epulare. Hoc dixit sapiens inuentor consilij, animæ suæ. Et Deus ad illum, qui nec cum stultis loqui dedignatur: Stulte, inquit, stulte, quid tibi sapiens videris? Hodie repetitur à te anima tua, cui dixisti: Habes multa bona: hodie repetitur, & nullum habet bonum. Contemnat hæc bona, & fit ipsa bona, vt, quando repetitur, exeat secura. Quid enim est iniquius illo homine, qui multa bona vult habere, & bonus esse ipse non vult? Indignus es, qui habeas, qui non vis esse quod vis habere. Nunquid enim vis habere villam malam? Non vtique, sed bonam. Nunquid vxorem malam? Non, sed bonam. Nunquid denique casulam malam? nunquid vel caligam malam? Quare animam solam malam? Non hic dixit stulto huic vana cogitanti, horrea ædificanti, & ventres pauperum non videnti: non illi ait, Hodie anima tua rapietur ad gehennam: nihil horum dixit: sed, Repetitur à te: *tanquam diceret: Propterea repetitur, quia ipsa bona non est, cui tam multa bona præparasti.*

CAP.

CAP. XV.

Exemplum diuitis purpurati proponitur, qui non quia aliena rapuit, sed quia sua sibi seruauit, damnatus est.

1 NVnquid ergo iste diues aliena quærebat? Fructus suos colligere disponebat; vbi poneret, consulebat: non de cuiusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumuento simplice: sed tantummodo de suis colligendis cogitabat. Cùm ergo se prudentissimum consilium inuenisse arbitraretur, de apothecis veteribus angustis deiiciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & omnibus suis fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiscendis atque rapiendis; ait illi Deus, Stulte, vbi tibi sapiēs videris, ibi stulte. Stulte, inquit, hac nocte repetūt à te animam tuam; hæc, quæ præparasti, cuius erunt? Si seruaueris, tua non erunt: si erogaueris, tua erunt. Quid, inquit, reponis quod relicturus es? Ecce increpatus est stultus malè recondens. Si stultus est qui recondit sua: tu inueni nomen ei qui tollit aliena. Si sordidus est reconditor suorum, vlcerosus est raptor alienorum. Sed non qualis ille vlcerosus, qui iacebat ante ianuam diuitis, & cuius canes lingebant vlcera. Ille enim vlcerosus erat in corpore, non raptor in corde. Fortassis aliquis respondeat, & dicat: Non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus, stulte. Non sic dicit Deus, stulte, quomodo homo dicit. Tale enim in quenquam Dei verbum, iudicium est. Nunquid enim Deus stultis daturus est regnum cælorum? Quibus autem non est daturus regnum cælorum, quid eis restat, nisi pœna gehennarum? Conticere hoc videmur: apertè hoc manifesteque videamus. Nam & ille diues, ante cuius ianuā iacebat pauperrimus vlcerosus, non est dictus raptor rerum alienarum. Erat quidam diues, inquit, qui induebatur purpura & bysso. Diues, inquit, erat. Non dixit, calumniator: non dixit, pauperum oppressor: non dixit, rerum alienarum aut delator aut receptor: nō dixit, pupillorum expoliator: non dixit, viduarum persecutor. Nihil horum: sed, Erat quidam diues. Quid magnum est? Diues erat, de suo diues erat. Cui aliquid tulerat? Quod ergo eius crimen, nisi iacens ante ianuam vlcerosus, & non adiutus? Hoc enim apertè de illo dictum est, quòd immisericors erat. Nunquid enim si pauper ille ante ianuā iacens, sufficientē panē à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis quæ

1 D. August. Serm. 19 de verbis Apost.

Luc. 16.

Nota. quæ cadebant de mensa diuitis? Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem, ante ianuam suam iacentem, nec congruè digneque pascebat; mortuus est, & sepultus. Et cùm apud inferos in tormētis esset, leuauit oculos suos, vidit pauperem in sinu Abrahæ. Et quid pluribus immorer? Desiderauit guttam, qui non dedit micam. Nónne accepit iustam sententiam, qui nō dedit propter crudelem auaritiam? Si hæc erga pœna est auarorum; quæ pœna raptorum? Sed ait mihi raptor rerum alienarum: Ego similis illius diuitis non sum: Agapen facio, inclusis in carcere victum mitto, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas, tollere noli, & dedisti. Cui dederis, gaudet: cui abstuleris, plorat. Quem duorum istorum exauditurus est Dominus? Dicis ei cui dederis: Gratias age, quia accepisti: sed alter tibi ex alia parte dicit: Ego gemo, cui abstulisti. Et penè totum tulisti, & exiguum illi dedisti. Si ergo quod alteri abstulisti, egētibus dedisses; nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus: Stulte, iussi vt dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo. Si non habes quod des de tuo; melius nulli dabis, quàm alteros spoliabis. Dicturus est Dominus Christus, cùm in iudicio suo sederit, & alios ad dexteram, alios

Matth.25. ad sinistram separauerit, bene operantibus: Venite benedicti patris mei, percipite regnum: Esuriui, & dedistis mihi manducare. Attende *etiam* quid sinistris dicturus est: Ite in ignem æternum. Quare? Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: nudus fui, & non vestistis me. Si ergo in ignem æternum ibit, cui dicturus est Christus; Nudus fui, & non vestisti me: quem locum habebit in igne æterno, cui dicturus est; Vestitus fui, & spoliasti me? Hic fortasse vt euadas hanc vocem, ne tibi dicat Christus, Vestitus fui & spoliasti me; mutata consuetudine, cogitas spoliare paganum, & vestire Christianum. Et hic respondebit tibi Christus, imò nunc respondet tibi per seruum suum qualemcunque ministrū suum: Et iam hîc parce damnis meis. Cùm enim tu, qui Christianus es, spolias paganum, impedis fieri Christianū. Etiā & hic fortasse respondebis adhuc: Ego non odio pœnā ingero, sed dilectione potiùs disciplinæ. Ideo spolio paganum, vt per hanc asperam ac salubrem disciplinam faciam Christianum. Audirem & crederem, si quod abstulisti pagano, redderes *iā facto* Christiano. [a] Fortè & hoc secum cogitat aliquis, & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi: non habeo peccatum, si illis abstulero, & pau-

[a] Hom. 7. inter 50. desumpta ex serm. 19. de verb. Apostol.

pauperibus dedero. Vnde enim illi nihil boni faciunt, mercedẽ habere potero, si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re parcat vnusquisque animæ suæ: quia huiusmodi cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur. Nam etiam si totum tribuat quod abstulerit, addit potiùs peccata, quàm minuat.

Cap. XVI.

Auari malè intelligunt hanc scripturam: Nemo quod suum est quærat: sed quod alterius.

Diximus iam multa contra vnum vitium rapinarum, quo res humanæ vsquequaque vastantur. Diximus: sed necdum ista quæ dicta sunt, sufficiunt: quia nec etiam ipsis rapacibus & auaris, quantacumque habuerint, quomodolibet acquisita sufficere possunt. Ergo aduersus hoc vitium amplius dimicandum est; & imprimis eisdem telis confodiendum, quibus ab auaris muniri posse videtur. Nam & quandam scripturam dum non bene eam intelligunt, sibi in hoc vitio patrocinari arbitrantur. Sed quomodo miseri fallantur, iam paucis aperiendum est,

[1] In laude enim charitatis ex Apostolo audiuimus, Charitas non quærit quæ sua sunt. Non quærit quæ sua sunt: quoniam donat quæ possidet. Alio loco periculosius dictum est, si non intellexeris. Secundum enim ipsam charitatem præcipiens Apostolus fidelibus membris Christi, ait: Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius est. Auaritia namque hoc audito, fraudes parat, vt in negotio quasi alienum quærens, aliquem circumueniat; & quęrat non suum, sed alienum. Compescat se auaritia: procedat iustitia. Audiamus, intelligamus. Charitati dictum est: Nemo quod suum est quærat: sed quod alterius. Verùm tu auare, si resistas, & magis ad hoc præceptum redigis, vt alienum concupiscas; perde tuum. Sed quomodo te noui, habere vis & tuum & alienum. Fraudem facis, vt habeas alienum: furtum patere, vt perdas tuum. Non vis quærere tuum, sed tollis alienum. Quod si facis, non facis bene; *furtum enim facis*. Audi, ô auare, ausculta. Apostolus tibi eodem loco apertiùs exponit hoc quod dixit: Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Ait quippe de seipso: Ego autem non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. *Qui æternam salutem fidelibus quærebat, suaderet fraudem? quibus optabat cælum, suggereret furtum?* Quod

[1] D. August. Serm. 96. inter diuersos ex edit. Plant.
1 Cor 13.
1 Cor, 10.
Ibidem.

[1] Tom. 10. ex fragmento Serm. de Decalog. quem citat Eugyppius in edit. Plantini.

[1] Quod per furtum, contra hoc præceptum, subducis proximo, de cælo perdis. Nemo enim habet iniustum lucrum, sine iusto damno. Verbi gratia, Qui furatur, acquirit vestem: sed cælesti iudicio amittit fidem. Vbi lucrum, ibi damnum: visibiliter lucrum, inuisibiliter damnum. *Non ergo fraudem tuam, ô homo, non rapinam, non auaritiam commendat scriptura: sed quid à te ipsa charitas exigat, tibi veritas ostendit; & proposuit in Apostolo quod imiteris, vt Dei præceptum perficias.*

CAP. XVII.

Aliena non sunt rapienda; quod illustri exemplo declaratur.

[1] D August. Serm. 110. de Tempore, ante finem.

[2] D. August. Serm. 19. de verb. Apostoli

Eccl. 31.

[1] SEd fortè inde factus es pauperrimus & egentissimus, quia nescio quid habebas paternum quod te sustentaret, & calumnia aliqua competitoris abstulit. Gemis hinc, audio: tempora accusas. Quod gemis, si possis, non facis? An non videmus, an non quotidianis exemplis plena sunt omnia? Heri quispiam gemebat, quia perdebat sua: hodie pergens ad maiorem, rapit aliena: *si non re, saltem cupiditate.*[2] Alius potens est, & rapit; tu in manu raptoris gemis: quia rapere non potes; ideo non facis. habeto facultatem, & ibi laudabo domitam cupiditatem. Beatum sancta Scriptura dicit, qui post aurum non abiit; qui potuit trāsgredi, & nō est transgressus; qui facere mala potuit, & non fecit. Tu autem dicis; Nunquam negaui rem alienam. Quia fortè nemo tibi commendauit, aut fortè commendauit, sed sub testibus commendauit. Dic mihi, reddidisti quando à solo solus accepisti, vbi Deus inter vos fuerat? Si tunc reddidisti: si mortuo eo qui commendauit, nescienti filio reddidisti, tunc te laudabo, quia post aurum non isti; quia potuisti transgredi, & non es transgressus; quia potuisti mala facere, & non fecisti. Si fortè alienum sacculum solidorum, vbi nemo te vidit in via, inuenisti, & sine vlla mora, ei, cuius fuerat reddidisti.[3] Ecce hoc quod propono, in eo te examina, in eo te appende, in eo ascende ad mētis tuæ tribunal, & constitue te ante te, & iudica te. Et si te prauū inueneris, corrige te. Considera quod propono. Deus dicit in lege sua, inuentionem esse reddendam. Deus in lege sua dicit, quam priori populo dedit, pro quibus Christus nondum erat mortuus: vt quicunque rem cuiuscunque inuenerit, tanquam alienam citò restituat: quia sine dubio, & si ipse perdidisset, hoc sibi ab alio fieri voluisset:

[3] Hom. 9. inter quinqua. quæ est conflata ex Ser. 19 de verbis Apostoli.

Leuitic. 6.

oluisset: secundum illud quod scriptum est: Omnia quæ vul- Matth. 7.
s, vt faciant vobis homines, & vos faciatis illis similiter. Si
uispiam, verbi gratia, inueniat in via alienum sacculum soli-
orum, debet reddere. Sed nescit cui. Se excusat ignorantia, si
on dominetur auaritia. Dicam quid fecerit homo quidam
auperrimus, eo tempore quo Sanctus Ambrosius Mediolani Loquitur de seipso August. tan quam de altero.
rat episcopus, vbi tunc præsens erat etiam Augustinus non-
um episcopus. Tã pauper erat ille, de quo loquimur, vt pro-
holasticus esset grammatici; sed planè verus & perfectus
hristianus. Sed melior fuit ille qui ad velum stabat, quàm
le qui in cathedra sedebat. Pauper ergo iste inuenit sacculũ
ucentorum solidorum: memor tamen diuinæ legis, *de qua
m diximus*, proposuit pitacium publicè. Qui solidos perdi-
it, veniat ad illum locum, vt quærat illum hominem. Ille,
ui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pita-
io, venit ad hominem. Et ne fortè alienũ quæreret, sed suum;
uæ fuit signa, interrogauit sacculi qualitatem, solidorũ etiam
umerum. Cùm omnia fideliter etiam ille respondisset, reddi-
it quod inuenerat: obtulit illi solidos viginti. Noluit accipe-
e. Obtulit decẽ, noluit recipere. Saltem rogauit, vt vel quin-
ue reciperet. Noluit. Ille stomachans proiecit sacculum. Ni-
il perdidi, ait. Si non vis à me aliquid recipere, nec ego ali-
uid perdidi. Quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus.
heatrum mundus, spectator Deus. Victus ille, quod offereba-
ır accepit; & continuò totum *pauper* pauperibus erogauit.
nũ solidum in domum suã non misit. Considerate *Christiani*,
m gloriosum exemplum, & tam admirabile factum. Facite
oc. Nolite putare vos damnum pati, si quod à vobis inuen-
um fuerit, reddideritis. Credite, quia magnum lucrum est,
fecceritis quod suggero. Fortè aliquis veniens, in domo tua
erdidit solidos. Terra communis est, in vna domo estis in
oc mundo; ambo viatores estis huius vitæ. Vnum stabulum
trastis. Posuit ille, oblitus est; vel cecidit ab illo. Inuenisti,
ui in lege audisti inuentionem esse reddendam. [4] Quis in- 4 D August. Serm. 19. de verbis Apost.
enisti? Christianus. Quis inuenisti? Qui legem audisti. Qui
im audires multa, laudasti; tu inuenisti. Si ergo veraciter lau-
asti, redde quod inuenisti. Si ergo non reddidisti quod inue-
isti; quando laudasti, testimoniũ contra te dixisti. Nam quod
nuenisti, & non reddidisti; rapuisti. Quantum potuisti, fecisti: Nota.
uia plus non potuisti, ideo plus nõ fecisti. Qui alienũ negat;
si posset,

si posset, & tolleret. Quod non tollis, timor prohibet: non bonum facis, sed malum metuis. Quid est magnum, timere malum? Magnum est, non facere malum? Magnum est, amare bonum. Nam & latro timet malum, & vbi non potest, non facit: & tamē latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ouile ouium, quærit inuadere, quærit iugulare, quærit deuorare. Vigilant pastores, latrant canes; nihil potest, non aufert, non occidit: sed tamen lupus venit, lupus redit. Nunquid quia ouem non tulit, ideo lupus venit, & ouis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens: lupus est tamen & fremēs & tremens. Interroga ergo te, & vide, si tūc non facis malè; quādo potes facere, & ab homine non puniri. Tunc time Deū, quando nemo est ibi, nisi tu, & ille, cui facis malum; & Deus, qui ambos videt. Parum autem est si dico, Ibi time malum: imò ibi ama bonum. Nam etiā si timore gehennę non facis malum, nondum es perfectus: audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum; est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse iudicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid est, quod dixi? Quia si timore gehennæ non facis malum; non amore iustitiæ facis bonum. Aliud est timere pœnam: aliud est amare iustitiam.

CAP. XVIII.

Bonus bene vtitur auro, malus malè.

QVemadmodum ergo hi, qui ad malum alicui inferendum, aut ad illatum sibi vindicandum, [1] potentes videntur in sæculo, laudantur, quando minus faciunt quàm possunt: sic ipsum laudauit scriptura, qui potuit transgredi, & non est transgressus, qui post aurum non abiit. *Hóccine audis, Christiane?* Post te debet ire aurum, non tu post aurum. Nam bonum est aurum. Non enim aliquid mali creauit Deus. Tu noli esse malus, & bonum erit aurum. Ecce pono aurum, inter hominem bonum & malum. Tollat malus: inopes opprimuntur, iudices corrumpuntur, leges peruertuntur, res humanæ perturbantur. Quare? Quia aurum tulit malus. Tollat bonus; pauperes pascuntur, nudi vestiuntur, oppressi liberantur, captiui redimuntur. Quanta bona de auro quod habet bonus? quanta mala de auro quod habét malus? Vt quid ergo dicis aliquando stomachatus? O si non esset ipsum aurum. Tu noli amare aurum. Si malus es, is post aurum: si bonus es, it post te.

[1] D. August. Serm. 5. de S. Cypr. qui est de diuers. 115.
Eccl. 31.

Quid

Quid est, it post te? Tu ducis, non duceris: quia possides, non possideris. Non faciunt bonos mores, nisi amores boni. Tollatur aurum de rebus humanis: imò adsit aurum, vt probet res humanas. Præcidatur lingua humana propter Dei blasphematores: & vnde erũt Dei laudatores? Quid tibi fecit lingua? Sit qui bene cantet; bonum est organum. Da mentem bonam ad linguam: boná dicuntur, discordes concordantur, lugẽtes consolantur, luxuriosi corripiuntur, iracundi refrenantur, Deus laudatur, Christus commendatur, mens ad amorem inflammatur, sed diuinum, non humanum; spiritalem, non carnalem. Hæc bona facit lingua. Quare? Quia bona est mens, quæ vtitur lingua. Da malum hominem ad linguam: erunt blasphematores, litigatores, calumniatores, delatores. Omnia mala de lingua, quia malus est qui vtitur lingua.

Cap. XIX.

Quædam bona solùm in bonis sunt: quædam bonis & malis communia.

1 Quapropter non tollantur res de rebus humanis: sint res, & adsit vsus rerum bonarum. Alia enim sunt bona quæ non sunt nisi in bonis: & alia sunt bona quæ sunt communia bonis & malis. Bona quæ non sunt nisi in bonis, pietas, fides, iustitia, prudentia, modestia, charitas, & cætera huiusmodi. Bona quæ sunt communia bonis & malis, pecunia, honor, huius sæculi potestas, administratio aliqua, salus ipsa corporis. Et hæc bona sunt, sed bonos quærunt. Iam hic murmuratur. Reprehensor & argumentator mox mihi obiecturus est: Et quare Deus, qui omnia gubernat, bona ista dat malis? Non illa daret nisi bonis. Expectas à me audire consilium Dei? Audi; Quòd ista bona dat Deus & malis, si vis intelligere, eruditio tua est, non aduersitas Dei. Hinc est quòd surrepsit quibusdam lethalis impietas, vt animo credant, Deum non aspicere res humanas. Dicunt enim & disputant: Nunquid si Deus res humanas attenderet, haberet ille diuitias, haberet ille honores; haberet ille potestatem? Non curat Deus res humanas. Nam si curaret, ista solis bonis daret. Redi ad cor, & inde ad Deum. De proximo enim redis ad Deum, si redieris ad cor tuum. Nam quando te offenderunt ista, existi & à te. Exul factus es & pectoris tui. Moueris rebus quæ sunt foris à te; & perdis te. Tu intus es; ista foris adiacent. Foris bona sunt, sed

1 Ibidem immediatè.

foris sunt. Aurum, argentum, omnis pecunia, vestes, clientela, familiæ, pecora, honores, foris sunt. Si ista bona infima, bona terrena, bona temporalia, bona transitoria non donarentur malis, crederentur bona esse à bonis. Ergo Deus, qui dat malis ista bona, te docet concupiscere meliora. Ecce dico: Ista in consideratione rerum humanarum quodammodo te alloquitur Deus, pater tuus; & quasi puerum desipientem docet his verbis, quæ, sicut possum, profero ad te tanto fidentius, quanto magis ille dignatur manere in me. Constitue tibi dicere Deum, qui te renouauit, qui te adoptauit: ô fili, quid est, quòd quotidie surgis, & oras, & genu figis, & fronte terram percutis, & aliquando etiam lachrymas, & dicis mihi; Pater meus, Deus meus, da mihi diuitias? Si dem tibi aliquid boni, tunc putas te magni aliquid adeptum. Quia petisti, accepisti: fac inde bene. Antequam haberes, humilis eras; habere diuitias cœpisti, & pauperes contempsisti. Quale bonum est vnde peior factus es? Peior factus es, quia malus eras; & quid te peiorem posset facere, nesciebas. Ideo hæc à me petebas. Dedi & probaui; inuenisti, & inuentus es. Latebas quando non habebas. Corrigere, euome cupiditatem, bibe charitatem. Quid est magnum quod à me petis? Dicit tibi Deus tuus: Non vides quibus ea dederim? non vides qualibus ea dederim? Si magnum bonum esset quod à me petis, haberet hoc latro, haberet hoc perfidus, haberet hoc blasphemator meus, haberet hoc infamis, haberet meretrix impudica? Hi omnes haberent, si magnum bonum esset aurum? Sed dicis mihi: Non est ergo bonum aurum. Imò bonum est aurum, *(ait enim per Prophetam Deus, Meum est aurum & meum est argentum)* sed mala faciunt de bono auro mali: bona faciunt de bono auro boni.[a] Et vis videre, quàm iusti iudicis res est aurum & argentum? Auarus vnde torquetur, inde misericors adiuuatur; rem suam diuina distribuente iustitia, & rectè facta inde manifestantur; & peccata inde puniuntur. Nunquid non aurum & argentum, atque omnis terrena possessio, & exercitatio humanitatis est, & suppliciũ cupiditatis? Cùm talia Deus bonis hominibus tribuit, ostendit in eis, quanta contemnat animus, cuius diuitiæ sunt ipse Deus qui tribuit. Non enim potest quisque apparere contemptor, nisi eius rei, cuius possessor effectus est. Nam & qui non habent, possunt ista contemnere; sed vtrum fingant, an verè contemnant, Deus videt, qui cordis inspe-

Aggæi. 2.

a D. August. Hom. 30. int. quinqua est Serm. 15. inter diuers. in edit. Plātini.

inſpector eſt: hominibus autem, vt imitari poſſint, cogitatio concem nentis non niſi in manibus erogantis inſpicitur. Cùm autem malis hominibus Deus iſta concedit, oſtendit in eis quomodo & in ipſis bonis quæ Deus largitur, crucietur animus, cui viuit qui tāta largitur. Bonis autē adminiſtrat occaſiones beneficiorum, malos autē torquet timore damnorum. Et ideo ſi amittant vtrique aurum & argentum: iſti cæleſtes diuitias læto corde retinebunt; illis autem & bonis temporalibus inanis domus, & bonis æternis inanior conſcientia remanebit. Illius eſt ergo aurum & argentum, qui nouit vti auro & argento. Nam etiam inter ipſos homines tunc quiſque habere aliquid dignus eſt, quando bene vtitur: nam quod iuſtè non tractat, iure non tenet. Quod autē iure non tenet, ſi ſuum eſſe dixerit, non erit vox iuſti poſſeſſoris, ſed impudentis incubatoris improbitas. Quapropter ſi homo non importunè dicit aliquid ſuum, non quod iniqua & ſtulta cupiditate occupauerit, ſed quod prudentiſſima poteſtate, & moderatione iuſtiſſima tractauerit: quantò magis Deus verè ac perfectè ſuum eſſe dicit aurum & argentum, quod & largiſſima bonitate condidit, & iuſtiſſimo adminiſtrat imperio: vt ſine ipſius nutu atque dominatu, nec mali ad auaritiæ ſupplicium, nec boni ad vſum miſericordiæ poſſint habere aurum & argentum? Quod tamen inſtituere vt ſit, & vt alteri adſit, alteri deſit; diſtribuere atque ordinare non poſſunt. Si autem ſolis bonis in poteſtate daretur aurum & argentum, rectè putaretur magnum aliquod bonum. Rurſus, ſi ſolis malis deeſſet, videretur magna pœna paupertas. Si autē ſolis bonis deeſſet, videretur ſumma beatitudo paupertas. Nunc verò ſi ſcire vis aurū poſſe bene haberi, habent & boni: non eos per aurum bonos eſſe, habent & mali. Ita ergo aurum & argentum diſtribuit hominibus conditor rerum & adminiſtrator Deus, vt ipſum per ſe natura & genere ſuo bonum ſit, quamuis non ſummum & magnum bonum: copia verò eius non extollat bonos, nec lædat inopia: malos autem & cùm aufertur excruciet. 3 Ac per hoc malis malum eſt aurum & argentum, & bonis bonum: non quia eos bonos aurum & argentum facit, ſed quia bonos inuenit, in vſum bonum conuertitur.

3 D. Auguſt. Serm. 12. de verb. Apoſtoli in medio.

CAP. XX.

Duplex est bonum: alterum facit hominem bonum: de altero homo facit bonum, dum illud leuat in cælum.

a D.August. Serm. 5. de verbis Dom. in initio.

1 BOnæ sunt ergo ipsæ diuitiæ, in quibus homines extolluntur, & pares suos homines alios non agnoscunt; in quibus, inquam, homines extolluntur, magis amantes vestem fulgentem, quàm cogitantes communem cutem. Ipsæ diuitiæ bonæ sunt, sed à bonis & malis haberi possunt. Et cum bonæ sint, bonos tamen facere non possunt. Est ergo bonum quod faciat bonum: & est bonum vnde facias bonum. Bonum quod facit bonum, Deus est. Non enim facit hominem bonum, nisi ille qui semper bonus est. Ergo vt sis bonus, *Deum ama*, Deum inuoca. Aliud autem bonum est, vnde facias bonum, id est, quicquid habueris. Aurum est, argentum est; bonum est, non quod facit bonum, sed vnde facias bonum. Habes aurum, habes argentum: & concupiscis aurum, & concupiscis argentum. Et habes, & concupiscis: & plenus es, & sitis: morbus est, non opulentia. Sunt homines in morbo; humore pleni sunt, & semper sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem conscientiam? habes ergo aurum, bonum est: habes non vnde sis bonus, sed vnde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus sum de auro? Non audisti psalmum: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi? Hoc est bonum: hoc est bonum vnde sis iustitia bonus, si habes bonum vnde sis bonus. Habes pecuniam, eroga: erogando pecuniam, auges iustitiam. Vide quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur iustitia. Illud minuitur quod eras dimissurus; illud minuitur quod eras relicturus: illud augetur quod in æternum es possessurus. Consilium do lucrorum: disce mercari. Laudas enim mercatorem qui vendit plumbum, & acquirit aurum: & non laudas mercatorem qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam? Sed ego, inquis, non erogo pecuniam, quia non habeo iustitiam: eroget pecuniam, qui habet iustitiam. Ego non habeo iustitiam; habeam vel pecuniam. Ergo quia non habes iustitiam, ideo non vis erogare pecuniam. Magis eroga pecuniam, vt habeas iustitiam. A quo enim habebis iustitiam, nisi à Deo fonte iustitiæ? [a] Quid ergo ego amplius dicam? Iam

Psalm. 111.

☞

a D. August. Serm. 50 de temp. in med.

Iam me Euangelium hac cura liberauit. Non ego nunc lego, sed lecta recolo. Consilium quæris in causa tua deficiens, vide quid dicat fons *iustitiæ*, fons recti consilij, fons, vnde quicquid imples, venenum non times. *Quid dicit?* Nolite vobis condere thesauros in terra, vbi tinea & comestura exterminat: & vbi fures effodiunt & furantur: sed thesaurizate vobis thesauros in cælo, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Quid expectas amplius? Res aperta est. Consilium patet, sed cupiditas latet: imò non latet; sed etiam ipsa, quod peius est, patet. Non enim cessat rapina grassari: non enim cessat fraudare auaritia: non enim cessat periurare malitia. Totum vt quid? Vt thesaurizetur. Et vbi ponatur? In terra. Rectè quidem à terra in terram. Homini enim dictum est peccanti: Terra es, & in terram ibis. Meritò thesaurus in terra, quia cor in terra. Vbi est ergo quod habemus ad Deum? Dole qui intellexisti: corrigere si doluisti. Quamdiu vis laudare, & non facere? Verum est, nihil verius. Fiat ergo quod verum est: & noli tibi condere thesaurum in terra, siue expertus quomodo pereat quod in terra reconditur; siue non expertus, sed ex alteris metuens experiri. Quem non corrigunt verba, corrigant experimenta. Non surgitur, non proceditur, nisi vna voce dicatur ab omnibus: Væ nobis, ruit mundus. Si ruit, quare non migras? Si tibi architectus diceret ruituram domum tuam; nónne prius migrares quàm murmurares? Structor mundi tibi dicit ruiturum mundum; & non credis? Audi vocem prædicentis: Et cælum & terra transibunt. Vox commonentis est: Nolite vobis condere thesaurum in terra. Ergo si credis prædicenti, si non contemnis commonentem, fiat quod dicit. Non enim ille te fallit, qui tale consilium dedit. Non perdes quod dedisti, sed sequeris quod misisti. Consilium ergo do: Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Non sine thesauro manebis: sed quod habes in terra solicitus, habebis in cælo securus. Consilium do seruandi, non perdendi. Habebis, inquit, thesaurum in cælo, & veni sequere me, vt ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium. Cur silent homines? Audiant vel experti, quod timeant: faciant vnde non timeant, *exonerati* migrent in cælum.

Matth. 6.

Genes. 3.

Luc. 23.

Matth. 19.

CAP. XXI.

Aliud iubet auaritia, aliud pigritia, aliud Christus.

a D. August. Serm. 22. de verbis Apost. ante mediu.

1 QVid *ergo amplius* expectas, ô auare, amplectens onus tuum, & catenis cupiditatis alligans malam sarcinam sub humeros tuos? Quid expectas? quid laboras? quid inhias? quid concupiscis? Nempe satiare auaritiam. O vota inania, & facta nequissima. Expectas ergo satiare auaritiam. Illa te potest premere: tu illam non potes satiare. An fortè non est grauis? Vsqueadeò sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? Non est grauis auaritia? Quare ergo te de somnio excitat, quæ te etiam aliquando dormire non sinit? Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ: & ista duo nequissima onera, secumque pugnantia premunt te, & dilaniant te. Non enim paria imperant; non enim similia iubent. Pigritia dicit, Dormi. Auaritia dicit; Surge. Pigritia dicit; noli pati frigidos dies: auaritia dicit; tolera in mari etiam tempestates. Illa dicit; quiesce: illa non sinit quiescere: iubet non solum, procede, sed & nauiga trans mare, quære terras quas ignoras; merces in Indiam deportandæ sunt: non nosti linguam Indorum, sed intelligibilis videtur sermo auarorum. Venies ignotus ad ignotum: das, accipis, emis, portas, periclitatus venisti, cum periculo redis, exclamas in mari exagitatus tempestate; Deus libera me. Non audis respondentem, Quare? Misi te? Auaritia tibi iussit vt acquireres quod non habebas: ego tibi iussi vt sine labore ante ostium tuum pauperi dares quod habebas. Illa te ad Indos misit ad reportandum aurum: ego tibi ante ostium Christum posui, à quo emeres regnum cælorũ. Laboras in iussione auaritiæ, in iussione mea non laboras. Ambo iussimus, non audisti me: cui obaudisti, liberet te. *Itaq; auarus qui Christi non obtemperauit præcepto, dum illi bene fuit, nec Christi liberabitur auxilio, cùm periculum aduenerit, vt vel ipse pereat, vel sua perdat quæ habet. Et licet solo amore perfici possit quod Christus præcipit; non autem acquiri sine magno labore quod auaritia promittit; plerique tamen omnes huic idolorum seruituti se libentiùs subdunt, quàm Dei. Et ideo hoc etiam magis diligi ab ipsis creditur, cuius adipiscendi gratia amplius atque feruentius per eos laboratur.*

Vide Ser. 245 de Tempore in medio.

1 Tom. 9. Tract. 10. in epist. Ioannis ante mediũ.

1 O homo, qui laboras amando auaritiam, cum labore amatur quod amas: sine labore amatur Deus. Auaritia iussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes; & obtem-

temperaturus es. Quo fine? Vt habeas quo impleas arcam, & perdas securitatem. Securior fortè eras antequam haberes, quàm cùm habere cœpisti. Implesti domum, timentur latrones; acquisisti aurum, & perdidisti somnum. Ecce quid tibi iussit auaritia: Fac, & fecisti. Quid tibi iubet Deus? Dilige me. Aurum diligis: quæsiturus es aurum, & fortè non inuenturus. Quisquis me quærit, cum illo sum. *Posset ergo & illud auaro homini dici: Si Deum tuum diligeres, odisses auaritiam.* 3 Non est dignus *enim* Christus, cum quo simul diligas auaritiam. Amas illum, debes odisse quod odit. Homo est inimicus tuus, hoc est quod tu: creati estis ab vno creatore in vna conditione: & tamen si filius tuus loquatur cum inimico tuo, & veniat ad domum inimici tui, & assiduas collocutiones habeat cum illo, exhæredare illum vis, quia loquitur cum inimico tuo. Et quomodo? Quia iustam vocem videris tibi habere: Amicus es inimici mei, & quæris aliquid de re mea. Ergo attende. Diligis Christum: inimica Christi est auaritia. Quare cum ea loqueris? Non dico loqueris cum illa; quare illi seruis? Nam multa iubet Christus, & non facis: iubet ipsa, & facis. Iubet Christus vt vestias pauperem, & non facis: iubet ipsa auaritia vt facias fraudem, & hoc potius facis. Si hæc ita sunt, si talis es, noli tibi multum promittere hæreditatem Christi, *quia cum auaritia non consistit hæreditas Christi.* 4 Contradicit enim Christus auaritiæ, & vult nihil possideri ab auaritia. Ego possideam, clamat. Quid vis ab auaritia possideri? Dura iubet, leuia iubeo. Onus eius graue, sarcit a mea leuis est. Iugum eius asperum est, iugum meum leue est. Noli velle ab auaritia possideri. Iubet auaritia vt mare transeas, & obtemperas; iubet vt te ventis procellisque committas: iubeo ego vt ante ostium tuum ex eo quod habes, des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, *vt acquiras vitam æternam*: & strenuus es ad transeundum mare, *vt corradas tibi pecuniam.* Quia auaritia imperat, seruis: quia Deus iubet, edisti. 5 Ecce hoc dicit tibi ipsa sapientia, Ama me tanquam pecuniam. Indignum est, iniuriosum est, vt sapientia pecuniæ comparetur: sed amor amori comparatur. Video enim, inquit, hic vos *auaros* amare pecuniam, vt iubente amore pecuniæ, labores suscipiatis, ieiunia toleretis, mare transeatis, ventis & fluctibus vos committatis. Habeo vnde eligam quod ametis; sed non habeo quod

3 In Psalm. 96. circa medium.

4 In Psal. 128. post princip.

Matth. 11.

5 Tom. 9 lib. de disciplina Christ. cap. 8. in fine.

addam ad amorem, quo amatis. Sic me amate, plus nolo me amari, dicit Dominus. Improbis loquor, auaris loquor. Pecuniam diligitis, tantum me diligite. Certè melior sum incomparabiliter. Nolo à vobis ampliorem amorem. Quantum diligitis pecuniam, tantum me amate. *Hæc diuina dicit sapientia.*

6D. Aug. Ser. 341 de temp. in medio. ⁶ Quid ergo magnum tibi imperat illa sapientia, quod non posset imperare & auaritia? Tamen cùm imperat auaritia, facis. Et cùm feceris quod imperauerit auaritia, quid habebis? Plenam domum auro & argento. Non legisti; Quanquam in

Psalm. 38. imagine Dei ambulet homo, tamen vanè conturbabitur: Thesaurizat, & nescit cui ea colligat? Quare ergo non percipis auribus verba eius? Si enim accusaueris auaritiam, inuitaberis ad sapientiam suam. Sed cùm suscepero, *inquis*, iugum sapientiæ, laboriosa erit. Laboriosa planè: sed vide quo fine, qua mercede. Nunquid quæ per sapientiam colligis, nescis cui colligas ea? Tibi colligis. Expergiscere, euigila, habeto cor formicæ. Aestatis tempus est: collige quod tibi ad hiemem prosit.

CAP. XXII.

Item aliud iubet auaritia, aliud luxuria, aliud Dei iustitia.

1D. August. Serm. 128. inter impressos Louanij. ¹ ALiquando etiam possident hominem duæ hæ dominæ contrariæ, auaritia & luxuria. Auaritia dicit, Serua: Luxuria dicit, Eroga. Sub duabus dominis diuersa iubentibus, diuersa exigentibus, quid facturus es? Habent allocutiones suas ambæ. Et quando cœperis nolle obtemperare, & in libertatem tuam ire; quia iubere non possunt, blandiuntur. Et plus sunt cauenda earum blandimenta, quàm iussa. Quid dicit auaritia? Serua tibi, serua filijs tuis: si egebis, nemo tibi dabit. Noli ad tempus viuere, consule tibi in futurum. Contrà luxuria: Viue cùm viuis, fac bene cum anima tua; moriturus es, & quando, nescis: cui relicturus, an sit possessurus, ignoras. Tu demis & subtrahis gutturi tuo: ille fortè, cùm mortuus fueris, calicem super te non ponet. Aut si fortè calicem ponet, ipse inebriabitur: ad te nulla stilla descendet. Fac ergo bene cum anima tua, quando potes, cùm potes. Aliud iubebat auaritia: Serua tibi, consule tibi in posterum. Aliud luxuria: Eroga, fac cum anima tua bene. Tædeat te, ô liber, in libertatem vocate; tædeat te talium dominarum seruitutis. Agnosce redemptorem tuum, manumissorem tuum. Illi serui, faciliora iubet, contraria non iubet. Amplius audeo dicere: contraria iubebant

auaritia

auaritia & luxuria, ita vt ambabus obtemperare non posses. Et dicebat vna; Serua tibi, & consule in posterum: dicebat alia; Eroga, fac bene cum anima tua. Procedat Dominus tuus eadem dicturus; & contraria non dicturus redemptor tuus. Si nolueris; domui eius non est necessarius qui seruit inuitus. Attende redemptorem tuum; attende pretium tuum. Venit vt redimat: sanguinem fudit. Charum te habuit, quem tam charè emit. Agnoscis qui emerit, attende vnde redimat. Taceo de cæteris superbè in te dominantibus vitiis: innumerabilibus enim malis dominis seruiebas. Has duas dico iubentes contraria, in diuersa rapientes, auaritiam & luxuriam. Eripe te ab his, veni ad Deum tuum. Si seruus eras iniquitatis, esto seruus iustitiæ. Verba quæ tibi dicebant, & contraria iubebant ipsa audis à Domino Deo tuo, & non cõtraria iubet. Verba earum tollit? Non; sed potestatem tollit. Quid tibi dicebat auaritia? Serua tibi, consule in posterum. Verbum non mutatur, homo mutatur. Iam si placet, compara consulentes. Illa auaritia est, ista iustitia. Ipsa contraria discute. Serua tibi, inquit auaritia. Pone te velle obtemperare: interroga vbi serues. Illa tibi monstratura est munitum locum, muratum cubiculum, arcam ferream. Omnia muni: fortè domesticus fur etiam interiora perrumpet; & cùm pecuniæ tuæ consulis, vitæ tuæ timebis. Fortè dum multum seruas, qui vult eripere, cogitat & occidere. Postremò, aduersus fures licet quocunque munimine thesaurum tuum & vestem tuam communias: communi ea aduersus rubiginem & tineam. Quid facturus es? Non est foris hostis auferens, sed est intus absumens. Non ergo bonum consilium dedit auaritia. Ecce iussit vt serues: & non inuenit dare locum vbi serues. Dicat etiam consequentia: Consule in in posterum. In quãtum posterum? In dies paucos & incertos. Dicit, Consule in posterum, homini fortassis victuro nec in crastinum. Sed ecce viuat, quantum putat auaritia, non quantum ostendit, non quantũ docet, non quantum fidit; sed quantum putat, vixerit, senuerit, finierit, adhuc senex incuruus baculo innixus lucrũ quærit, & audit auaritiam dicẽtem: Cõsule in posterum. [2] Sed Dominus eadem dicat, iustitia iam loquatur, ipsa erũt verba, nõ sententia ipsa. Serua tibi, ait Dominus tuus, cõsule in posterum. Et hunc interroga: Vbi seruabo? Habebis thesaurum in cælo, vbi fur non accedit, neque tinea corrumpit. In quantum posterum seruabis? Venite benedicti Patris

[2] Ibidẽ infrà.

Matth. 19.

Ibidem 6.

Ibidem 25.

Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Hoc regnum quantorum dierum est, ostendit finis ipse sententiæ. Cùm de sinistris diceret, Sic ibunt illi in ambustionem æternam; ait de dexteris, Iusti autem in vitam æternam. Hoc est consulere in posterum: posterũ quod posteriora non habeat. [s] De faciendis ergo eleemosynis, & comparanda animæ requie in posterum, vt faciamus bene cum anima nostra, quod peruersè dixit luxuria, dicit & Dominus. Ipsum audi, accipe bonum consilium. Noli parcere thesauris tuis, eroga quantum potes. Luxuriæ vox erat: Domini vox facta est, Eroga quantum potes, fac bene cum anima tua. *Ergo (vt opinor) iam vides, quanto sit melius obtemperare iustitiæ quæ tibi ad vitam sempiternam consulit, quàm vel luxuriæ, vel auaritiæ, quæ consulunt huic vitæ.*

s Ibidé infra.

CAP. XXIII.

Auari redarguuntur de inani studio diuitias conquirendi.

a In Psal. 38. in medio.

SEd [a] delirare tibi videor, auare, cùm hæc loquor: anicularia tibi videntur hæc verba. Tu enim videlicet homo magni consilij, magnæque prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura, fortassis & de eloquio, de iuris consultatione, de militia; addis & de fœnore. Homo cordatus nihil prætermittis omnino, vnde nummus super nummum, & in occulto diligentius acquiratur. Deprædaris hominem, caues deprædatorem: quod facis, times ne patiaris: & in eo quod pateris, non te corrigis. Sed non pateris. Prudens enim homo es, bene seruas, non solùm bene colligis. Habes vbi ponas, cui committas, quomodo nihil pereat ex eo quod congregasti. Interrogo cor tuum, discutio prudentiam tuam. Ecce collegisti, ecce ita seruasti, vt nihil possis amittere eorum, quæ seruasti. Dic mihi, cui seruas? Non tecum iterum ago, non commemoro, non exaggero, quicquid mali habet auaritia vanitatis tuæ: non dico ne fortè, dum colligis, colligaris: non dico, ne fortè, cùm vis esse prædo, sis præda: hoc apertius eloquar. Fortassis enim cæcus auaritia, nõ audisti, aut non intellexisti: non dico, inquam, ne fortè, cùm vis esse prædo minoris, sis præda maioris. Non enim sentis te esse in mari, nec cernis minores pisces à maioribus deuorari. Non dico ista, non dico difficultates & pericula in ipsa conquisitione pecuniæ, quanta patiantur qui eam colligunt, quàm in omnibus

peri-

ericlitentur, in omnibus penè mortem videant; tranſeo hæc mnia. Prorſus colligis, nullo contradicente: ſeruas nullo uferente: excute cor tuum, ac prudentiam tantam, qua me dedes. qua me inſipientem putas hæc loquentem, & dic mihi: Theſaurizas, cui congregabis ea? Video quid velis dicere, quaſi uod vis dicere, huic non occurrerit. Dicturus es, Filiis meis ſeruo. Hæc eſt vox pietatis, excuſatio iniquitatis. Filiis meis, nquit, ſeruo. Nam ecce diſcutio te cũ filiis tuis: ſeruas trãſituus tranſituris, imò verò tranſiens tranſeuntibus. Nã tranſitum te ſic dixi, quaſi nunc maneas. Ipſum hodie, ex quo loqui cœpimus, vſque ad hoc momentum, ſentis, quia ſenuimus. Neque enim cernis & incremẽta capillorum tuorum: & nunc ortè cùm ſtas, cùm hîc *vel iſtic* es, cùm agis aliquid, in te creſunt capilli tui. Neque enim repentè creuerunt, vt tonſorem uæreres. Agitur ergo ætas tranſuolans & in intelligentibus, non ſentientibus, & in aliud malè occupatis: tranſis tu, & eruas tranſeũti filio tuo. Primò hoc à te quæro: Scis eum poſeſſurum, cui ſeruas? aut ſi nondum natus eſt, ſcis naſciturum? eruas filiis: incertum eſt an futuris, an poſſeſſuris: nec reponis heſaurum, vbi reponendus eſt, *nec id agis quod agendum eſt.* Per diem vexaris laboribus, per noctem agitaris timoribus. Vt ſaccellus tuus impleatur numis, anima tua febricitat curis. Video, doleo; & ſicut dicit, qui fallere neſcit, vanè conturbaris. Theſaurizas enim, vt bene proueniat quicquid agis: vt amna taceamus, vt tanta pericula, & in ſingulis lucris ſingulas nortes, (mortes dico non corporum, ſed malarum cogitatio-num:) vt accedat aurum, perit fides: vt foris veſtiaris, intus exoliaris: vt iſta omittamus, vt alia taceamus, vt aduerſa prætereamus, proſpera ſola cogitemus. Ecce theſaurizas, ecce vndique lucra confluunt, & more fontium numi currunt. Vbique rdet inopia, vbique fluit copia. Non audiſti, Diuitiæ ſi afluant, ne apponatis cor? Ecce acquiris, non infructuosè conurbaris, tamẽ vanè cõturbaris. Quare, inquis, vanè cõturbor? Ecce ſaccos impleo, parietes mei vix capiũt quod acquiro: quae vanè cõturbor? Theſaurizas, & ignoras cui ea cõgreges. Aut i ſcis cui, obſecro, dic & mihi. Audiã te, cui? Si nõ vanè cõturbaris, dic cui theſaurizas? Mihi, inquis. Hoc audes dicere morituri?: Filijs meis, inquis. Hoc audes dicere de morituris? Magna pietas, theſaurizat pater filiis: imò magna vanitas, theſaurizat moriturus morituris. Si propter te, quia moriturus dimittis, quid

2 D. Aug Ser. 50. de temp. in initio. Pſalm. 38.

Pſalm. 61.

quid colligis? Hæc causa & filiorum: successuri sunt, non permansuri. Omitto dicere qualibus filiis, ne fortè quod congregauit auaritia, perdat luxuria. Alius fluendo perdit, quod tu laborando congregasti. Sed omitto hoc. Fortè erunt boni filij, luxuriosi non erunt: seruabunt quod dimisisti; augebunt quod seruasti: non perdent quod congregasti. Filij tui tecum sunt pariter vani, si hoc faciunt, si te patrem in hoc imitantur. Illis dico quod tibi dicebam: Filio tuo dico, Cui seruas? Illi dico, Thesaurizas, & nescis cui congreges ea. Sicut enim tu nescisti, sic & ille nescit. Omitto dicere, quia fortè dum viuis, thesaurizas furi. Vna nocte venit, & tot diebus ac noctibus cõgregatum, paratum inuenit. Thesaurizas fortè latroni, fortè prædoni. Nolo amplius dicere, ne commemorem & refricem perpessorum dolores. Quàm multa, quæ congregauit inanis vanitas, parata inuenit hostilis crudelitas? Nõ est enim meum optare, sed omnium est timere, *& dicere,* Auertat hoc Deus: sufficiant flagella ipsius. Sed omitto pœnaliter victuros filios, sicut optat inimicus: sic viuant, vt optat pater: quàm multi in casus *varios & graues* inciderunt? Dixi, commemoraui: horruisti, & non correxisti. Quid enim responsurus es, nisi hoc dicas, Fortè non? Et ego sic sum locutus: Fortè, inquam, furi, fortè latroni, fortè prædoni. Non dixi, certè; sed fortè. Inter fortè fiet, fortè non fiet, nescis ergo quid fiet? sed vanè conturbaris. Vides quàm verum dixerit veritas: quàm inaniter conturbetur vanitas.

Cap. XXIIII.

Refellitur excusatio auarorum, quam causa filiorum prætendunt.

Serm. 128. inter impress. Louanij.

1 RESTAT, vt iterum dicas: Et quid igitur ago de filiis meis? Audi & vide consilium Domini tui: Si tibi dicat Dominus tuus: Melius ego cogito qui creaui, quàm tu qui generasti: fortè quod dicas, non habebis. Sed diuitem illum *adolescentem, vt habet Matthaus; & principem, vt dicit Lucas,* adspecturus es, qui *consilio perfectionis audito,* tristis abscessit, & in Euangelio reprehensus est, & dices tibi; Fortè ille diues malè fecit, non vendere omnia, & dare pauperibus, quia filios non habebat: ego autẽ filios habeo; habeo quibus seruem. Et in hac infirmitate consistit tibi Dominus tuus. Audeam tibi dicere per eius misericordiam; audeam aliquid dicere non de u ea

Matth. 19. Luc. 18.

præ-

ꝛſumptione, ſed de ipſius miſeratione. Serua & filiis tuis, audi me: ſi(vt ſunt humana) de filiis quinque ſuis aliquem iſerit, intendat quia auaritia excuſatione non habet, neque ꝛ, neque in futuro ſæculo. Amiſſus eſt aliquis Chriſtianus. iriſtianum filium amiſiſti. Nõ ergo amiſiſti, ſed præmiſiſti. eque enim ille deceſſit, ſed præceſſit. Interroga fidem tuam: rte & tu illò iturus es, quò ille anteceſſit. Rem breuem dico, i(puto) quòd nemo reſpondeat. Viuit filius tuus? Interroga lem tuam. Viuit, inquis. Si ergo viuit, quare inuaditur pars is à fratribus eius? Sed dices, Nunquid rediturus eſt, & poſ- ſurus, qui [6] mortuus eſt? Sed præceſſit ad Deum: pars ipſius betur pauperibus. Illi debetur ad quem perrexit: Chriſto ꝛbetur; ad ipſum enim perrexit. Sed quid dicis? Seruo fratri- is ipſius. Si viueret ille, non erat cum ſuis fratribus diuiſu- s? O fides mortua: mortuus eſt enim filius tuus. Quicquid cas, mortuo debes quod viuo ſeruabas. Mortuus eſt filius eus, ſed tamen partẽ filij mei ſeruo fratribus ipſius. Si credis ia mortuus eſt, ſi pro illo Chriſtus mortuus non eſt, mor- ius eſt ipſe: ſi autẽ in te fides eſt, viuit filius tuus. Vit ipror- s, non deceſſit, ſed præceſſit. Qua fronte vẽturus es ad filium um, qui præceſſit, cui præcedenti non mittis partem ſuam in clum? An non poteſt mitti in cælum? Poteſt prorſus. Audi ſum Dominum dicentem, Theſaurizate vobis theſauros in celo. Si ergo ille theſaurus meliùs eſt cuſtoditus in cælo: nun- uid non tunc mittendus eſt filio; quando, ſi miſſus fuerit, non eribit? [7] Mittatur ergo illi, quò præceſſit ille; ad rem ſuã ve- ire non poteſt; res eius ad eum ire poteſt. Vide cum quo ſit. i in palatio militaret filius tuus, & amicus Imperatoris fieret; diceret tibi, Vende ibi partem meam, & mitte mihi; nũquid nuenires quid reſponderes? Modò cum Imperatore omnium mperatorum, & cum Rege omnium regum, & cum Domino mnium dominorum eſt filius: mitte illi, nõ dico neceſſarium abet ipſe Dominus ipſius, apud quem eſt filius tuus: eget in erra. Hic vult accipere quod dat in cælo: quod facere nonnulli uari ſolent; fac traiectitium. Da in peregrinos, quod recipias patria tua. Poſtremò, iam de te nihil, de filio tuo loquor. Dubitas dare tuum; dubitas & reddere alienum: certè conuin- eris, quia non filiis tuis ſeruabas. Ecce non das filiis tuis, uia tollis filiis tuis. Huic certè tollis. Quare indignus eſt ccipere, quia cum digniore viuit? Meritò ſi ille cũ quo viuit, nollet

[6] Tom. 9. lib. de decem chordis ca. 12.

Matth. 6.

[7] Serm. 128. inter impreſ. Louan. nunc eſt 43. inter diuerſ. in edit. Plant.

nollet accipere, iam domui tuæ, si domui Dei, diues. Absit ergo vt tibi dicam, Da quod habes: sed dico tibi, redde quod debes. Sed habebunt illud, ais, fratres illius. O mala doctrina, docens filios tuos mortem optare fratribus suis. Si de rebus fratris sui mortui ditiores erunt, vide quemadmodum se attendant in domo tua. Quid ergo facies? Patrimonium diuidis, & parricidia doces. Sed nolo dicere de vno amisso, ne casus humanos videar minari. Non dico vnum minus habebis, computa quia vnum plus habes. Fac locum Christo cum filiis tuis; accedat familiæ tuæ Dominus tuus: accedat ad prolem creator tuus: accedat ad numerum filiorum tuorum, frater tuus. Cum enim tantum intersit, & pater esse dignatus est. Et cum sit pater vnicus, voluit habere cohæredes. Ecce ille quàm largiter? tu quare tam steriliter?

CAP. XXV.

Quomodo diues & pauper portare debeant onus, alter alterius: & inter diuitis alicuius hæredes, Christus etiam vnus est computandus.

a D. August. Serm. 146. de tempore. 2 Cor. 8. 2 Tom. 9 lib. de Disc christ. cap 1. post. medium. 3 D. August. Serm. 5. de verbis Dom.

1 SEd auarus es. Dicit tibi Deus: Me conueni: ego filium diuitem, pauperem propter te feci. Propter nos enim pauper factus est, cùm diues esset.[a] Erubesce, ille diues pauper esse voluit, vt haberes pauperes quibus dares. Da aliquid fratri tuo, da aliquid proximo tuo, da aliquid comiti tuo. Tu diues es, ille pauper est. Vita ista via est: simul ambulatis. 3 Ille nihil portat, tu nimium oneratus es. Ille nihil secum portat, tu interim plus portas quàm opus est. Oneratus es; da illi de eo quod habes, & illum pascis, & onus minuis. 4 Vide autem ne fortè, cùm te interpellabit paupertas, dicas: Vnusquisque onus proprium portabit. Hic alterum præceptum audi: Inuicem onera vestra portate. Paupertas non est onus tuum, sed est onus fratris tui. Vide ne diuitiæ sint maius onus tuum. Nam non habes onus paupertatem, sed habes onus diuitias. Si bene intendas, onus est. Ille alterum onus habet, tu alterum. Porta cum illo, & portet tecum, vt inuicem onera vestra portetis. Quod est onus paupertatis? Non habere. Quod est diuitiarum onus? Plus quàm opus est, habere. Et ille oneratus est, & tu oneratus es. Porta cum illo non habere; portet tecum plus habere, vt fiant æquales sarcinæ vestræ. Si enim dederis indigenti, minuis illi non habenti, onus ipsius, quod erat non habere: si ei

4 D. August. Serm 22. de verb. Apost. Galat 6.

si ei dederis, incipit habere. Minutum est illi onus, quod vocatur non habere; minuit & ipse onus tuum, quod vocatur plus habere. [5] Sed forte dicis; Ego diues, ille pauper est. Simul ambulatis, an non? Quid est, quod dicis, nisi, ego oneratus, ille leuis? Ego diues; ille pauper. Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas. Et quod grauius est, constrinxisti ad te sarcinam tuam: ideo non potes porrigere manum tuam. Onerate, ligate, quid te iactas? Solue vincula tua, minue sarcinam tuam. Da comiti, & illum adiuuas, & te releuas. Inter has voces tuas laudantes sarcinam tuam, adhuc Christus petit & non accipit, & obtendis nomen pietatis, crudelibus vocibus, & dicis; Et quid seruo filiis meis? Christum illi oppono; filios suos mihi opponit. Ita verò magna iustitia, vt habeat vnde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus. Cùm enim vni ex minimis meis fecisti: non legisti, non aduertisti? Cùm vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis: non legisti? non timuisti? Ecce quis eget, & filios tuos numeras? Postremò, numera filios tuos; adde vnum illum, inter illos, Dominum tuum. Vnum habes, sit ille secundus: duos habes, sit ille tertius: tres habes, sit ille quartus: [6] decem habes, vndecimus sit. Nolo amplius dicere: vnius filij tui serua locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit, & filiis tuis. Quod autem malè seruas filiis tuis, & tibi oberit, & filiis. Dabis autem portionem vnam, quam vnius filij deputasti. Deputa te vnum amplius genuisse. Quid magnum? Puto, quia parua & facilis cogitatio est, putare patrē filiorum, habere vnum filium amplius. [7] Sed *iam aliquoties* dixisti: Habeo quibus dimittam. Pone quia habebunt filij, quibus dimittis: tu nihil habebis, quia nihil ante te misisti. De filiis curam gessisti, tibi autem non profuisti. Audis, Sursum corda, & corde dicere; Habemus ad Dominum. Si aliquid illuc misisti, habes quod ibi quæras. Si nihil misisti sursum, non habes quod ibi quæras. In terra vbi posuisti, ibi quære. [8] Cur sic prouidus filiorum ex istis? Cur *& aliena tuis* rapis, qui post te ne fortè maneant, nescis? Hinc & tibi perpetuā pœnam nutris, & filiis tuis dolorē dimittis. Dicit enim sapientissimus Salomon: Qui congregat aliena, relinquit filiis dolorem. Et rursum dicitur in Psalmis: Veruntamē in imagine pertrāsit homo; vanè conturbatur, & nescit cui congregat ea. Quid thesaurizas auare, quod nescis? Quid auri argentique pondere delectaris, & condis?

[5] To. 9. lib. de Disc. Christ., cap. 6.

Matth. 25.

[6] Serm. 128. inter imp. essos Louanij, ante finem. Vide ibidem Serm. 1. ad popu. Hipp. de commun. vita cleric. in medio.

[7] Hom. 43. inter quinqu.

[8] Ibidē supra.

Psalm. 38.

condis? Quid imaginem regis sculptam seruas in solidis, & Matth. 22. imaginem Dei in hominibus detestaris? Redde, dictum est, Cæsari, quæ sunt Cæsaris; & Deo, quæ sunt Dei. Maiores nostri ideo copiis omnibus abūdabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modò autem, quia decessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas: modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non 9 In Psal. 146. ante finem. accipit Christus. 9 Fiscus enim scis quid sit? Fiscus saccus est: vnde & fiscellæ & fiscinæ dicuntur. Ne putes quia aliquis draco est fiscus, quia cum timore auditur exactor fisci. Fiscus saccus est publicus, *in quem plerumque quoquo modo ab importunis Principum Regumq́ exactoribus corrasum atque extortum colligitur quicquid aut iniustè ab iniustis possessum, aut, dum tempus erat, indigentibus non expensum fuit. Sic misero auaro suus labor iniustus perire solet, vel cùm ipse adhuc viuit, vel cùm iam mortuus filios sui similes habet successores.*

CAP. XXVI.

Epilogus adhortationum prædictarum.

1 In Psal. 48. conc. 1. in fine. *POstremo verò, vt ista prædicta concludamus,* 1 quomodo post mortem etiam insultatur hominibus, qui, *cùm filios non haberent, neque relinquerent hæredes alios: tamen* thesaurizarunt, & in vanum laborauerunt: qui non intellexerunt quid facerent de diuitiis, cùm viuerent; & putauerunt se beatos futuros, si haberent memoriam marmoream, quasi æternam domum? Quomodo eis à viuentibus insultatur? *Auarus iste terram quæsiuit, iam terram habet, sepultus in terra. Nunquid ipsa sufficiens fuit ad sepulchrum eius replendum? Meritò deest illius sepulchro, cuius nunquam defuit desiderio. Possessiones eius amplissimæ vbi sunt? Vbi domus sumptuosa, & splendida supellex? Relicta ab eo sunt omnia, nihil horum secum sumpsit. Iam si do-* 2 Serm. 219. de tempore. *mus, quam inhabitauit, spectetur: etiā ipsa maledicitur.* 2 Vnusquisque enim prætereuntium dicit: Hæc domus illius est raptoris, prædonis, auari. Quantas viduas afflixit? Quantos orphanos denudauit? quantos miseros fecit; vt hanc domum tantis expensis de iniquitate quæsitis erigeret? Nunc vicinus eius, quem ipse fortè oppresserat, ditior factus eam habet: aut hostis eius, vel tyrannus aliquis occupauit. *Tanta illius solicitudo quid profuit? Quid profuere diuitiæ tot fraudibus partæ, & iniustis lucris conquisitæ? Sic insultatur, & maledicitur his,*

qui,

qui dum adhuc viuerent, non cogitarunt nisi omni genere diuitiarum replere domum suam perituram, quam morientes morituris erant relicturi. 3 Debuerunt autem contrà præparare sibi domum æternam in bonis operibus, præparare sibi vitam immortalem, mittere ante se sumptus, sequi opera sua, attendere comitem egentem, dare ei cum quo ambulabant, non contemnere Christum ante ianuam vlcerosum, qui dicit: Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Et modo tales, vel similes illorum, qui filios habent, si rogantur pro quibus laborent, &* 4 quare laborent: quid respondent? Filiis meis, inquiunt. Et ipsi cui? Filiis suis. Et ipsi quibus? Filiis suis. Nemo ergo sibi.

3 In Psal 48. conc. 1. in fine.

Matth. 25.

4 In Psal. 125. in princ. exposit.

Et ipsi filij seruant quod reliquerunt parentes sui. Parum est quia seruant, & augent. Quibus & ipsi seruant? Filiis suis, & illi filiis, & tertij filiis. Quid Christo? Quid animæ suæ? Omnia filiis. Inter filios suos quos habent in terra, computent vnum fratrem quem habent in cælo: cui totum dare debebant, vel diuidant cum illo. 6 Non equidem totum dent. Teneant sibi quantum sufficit, teneant plus quàm sufficit. Dent inde quandam partem. Quam partem? Decimam partem. Decimas dabant Scribæ & Pharisæi. Erubescamus. Decimas dabant, pro quibus Christus nondum sanguinem fuderat. Decimas dabant Scribæ & Pharisæi, ne fortè aliquid magnum facere te putes, quia frangis panẽ pauperi, & vix est millesima ista facultatum tuarum; & tamen non reprehendo. Vel hoc fac. 7 Quare enim non accipiat partem de substantia tua, qui tibi præmia præparauit æterna? Quare non accipiat decimum, qui contulit totum? 8 Cur in hoc opere bono non attenditur ille Zacchæus, qui dimidium rerum suarum dedit pauperibus? Sed optare cogimur vt attendatur saltem ille Pharisæus, qui omnium quæ possidebat, decimas dabat. Noli parcere thesauris caducis, thesauris vanis. Noli sub imagine pietatis augere pecuniam *dicens*: Filiis meis seruo. Magna excusatio, Filiis meis seruo. Videamus: seruauit tibi pater tuus; setuas tu filiis tuis; filij tui filiis suis: & sic per omnes, & nullus facturus est præcepta Dei. 9 Et mentiuntur quidẽ homines; mala est, inquiũt auaritia. Palliare se volunt nomine pietatis, & dealbare, vt quasi propter filios videantur seruare homines, quod propter auaritiam seruant. Nam vt noueris quia sic plerumque contingit, dicitur de quodam: Quare non facit eleemosynam? Quia seruat filiis suis. Contingit vt amittat vnum: si propter

5 In Psal. 84. conc. 1. in fine.

6 D. August. Serm 105. de temp. Vide in Psal. 146. ante fin.

Luc. 18.

7 Ser. 117. de temp. in finé Vidẽ ser. 219. de tempore.

8 Tom. 9. lib. de 10. chordis, cap. 12.

Luc. 19.

Ibidem 12.

9 Ibidẽ infra.

filios seruabat; mittat post illum partem suam. Quare illam
10 Ibidē infra tenet in sacculo, & illum relinquit ab animo? Redde illi quod suum est, redde quod illi seruabas. [10] Certè ea quæ hic tenes, & non vis mittere post filium tuum, quibus commēdas? Actoribus tuis commendas illius partem, qui præcessit; & Christo non commendas, ad quem præcessit? An idoneus est tibi pro-
11 Serm. 76. de Tempore. curator tuus, & minus idoneus est Christus? [11] Quid vereris Christo committere, quod à latronibus vix poteris reseruare? Qui dat, inquit, pauperi; non egebit. Diuidis patrimonium tuum hæredi; & Christus est indignus de tuo aliquid tecum tollere, aliqua tecum in futura sæcula deportare? Quid hæredi seruas, quo si vtatur, ignoras? Quid substantiam cumulas, quam fortassis ingrato relinquis? Forsitan illi præstabis quicquid misericordię causa de eius portione detraxeris. Quare fac primò quod iubetur, vt possis accipere quod promittitur. Nō potest vsuras accipere, qui Dominum noluerit fœnerare. Qui
Prou. 19. dat, inquit, pauperibus, Deum fœnerat. Nec enim potest diuina promissa percipere, qui præcepta cælestia noluerit obseruare. *Hæc de illis dicta sufficiant, qui se propter filios de auaritia excusare, & nomine pietatis suam cupiditatem palliare volunt apud homines, sed apud Deum non possunt.*

CAP. XXVII.

Post mortem nihil prosunt diuitiæ diuitibus, qui malè vixerunt, & in suis deliciis obdormierunt.

1 In Psal. 84. conc. 1. vltra medium. [1] IAm etiam attendamus illos diuites, qui *filios habentes, & eos hæredes relinquentes* malè vixerunt, quique superbè egerunt: *& videamus, an ipsis post mortem suam diuitiæ prodesse potuerunt*. Mortui enim sunt, & reliquerunt, non dico extraneis, sed filiis suis reliquerunt diuitias suas: *& tamen ipsi filij dum viam parentem suorum sequuntur, facti sunt illis tanquam extranei*. Sicut illi superbi, ita & isti: sicut illi rapaces, ita & isti: vt illi auari, & isti, *& ob id extranei, siue* alieni ab illis sunt,
2 Ibidē supra. [2] Quomodo alieni sunt filij? Iniquorum filij alieni sunt. Nam inuenimus quendam extraneum propinquum factum, quia profuit. Si quis tuorum tibi nihil prodest, alienus est. Vbi inuenimus exterum propinquum factum, quia profuit? In
Luc. 10. Euangelio. Iacebat quidam vulneratus à latronibus. Transiuit quidam Samaritanus, nescio quis extraneus: ipse ad illum accessit, inspexit miseriam eius, & misericordia motus curauit

vulnera

vulnera eius: leuauit in iumentum, & duxit in stabulum, commendauit stabulario. Si ergo extraneus Samaritanus, faciendo misericordiam & subueniendo, proximus factus est: quicunque tibi in tribulatione subuenire non possunt, alieni à te facti sunt. Nam vt noueris quia illi alieni sunt, subuenirent illi diuiti, qui ardebat in flamma, successores ipsius diuitiarum. Sed fortè non habuit qui illi succederent, & alieni possederunt diuitias ipsius. Inuenimus in ipso Euangelio, quia habuit. Ait enim ibi ipse, Habeo quinque fratres. Fratres ipsius subuenire illi ardenti in flamma non potuerunt. Quid tibi diceret diues? Quid? Vnum fratrem mihi amicum non feci, qui iacebat ante ianuam meam. Illi mihi fratres subuenire non possunt, qui possident diuitias meas: alieni à me facti sunt. Vides quia omnes qui malè viuunt, alienis relinquunt diuitias suas? *Quid ergo eis contingit*, [3] nisi quod in psalmo dicitur; Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis? Amauerunt præsentia, & dormierunt in ipsis præsentibus: & sic illis facta sunt ipsa præsentia deliciosa, quomodo qui videt per somnium inuenisse se thesauros, tamdiu diues, quamdiu non euigilet. Somnium illum diuitem fecit: euigilatio pauperem fecit. Tenuit illum somnus fortassis in terra dormientem, & in duro iacentem pauperem, & fortè mendicum. In somnis vidit se iacere in lecto eburneo vel aureo, & in plumis aureis altiùs extructis: quamdiu dormit, bene dormit; euigilans inuenit se iacere in duro, in quo illum somnus tenuerat. Tales sunt & isti. Venerunt in hanc vitam, & per cupiditates temporales quasi obdormierunt hîc, & exceperunt illos diuitiæ, & vanæ pompæ volaticæ, & transierunt; non intellexerunt quãtum inde boni posset fieri. Nam si noscent aliam vitam, illic sibi thesaurizarent quod hîc erat periturum. Ergo dormierunt somnum suum viri diuitiarum, & nihil inuenerũt in manibus suis. Dormierunt enim in cupiditatibus suis: trãsit somnus iste, trãsit vita ista, & nihil inuenerũt in manibus suis: quia nihil posuerunt in manu Christi. Vis aliquid inuenire in manibus tuis posteà? Noli cõtemnere modò manum pauperis: & respice manus inanes, si vis habere manus plenas. Dicit enim Dominus: Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Esurire in pauperibus voluit, qui diues in cælo est: & tu dubitas homo dare homini, cùm scias te Christo dare quod das, à quo accepisti quicquid das? Sed illi dormierunt

Luc. 16.

3 In Psal. 75. conc. 1. vltra mediũ.

Vide Ho. 19. in medio.

Psalm. 75.

Matth. 25.

somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in
4 In Psalm. 72. ante finem. manibus suis. 4 Cùm ergo euigilauerint de hac vita, transit illud quod quasi somno tenebatur, velut somnium exurgen-
Psalm. 72. tis, & completur *quod in alio Psalmo dicitur*; *Velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihi-*
5 Ibidē infra. *lum rediges.* Iam 5 exhorrescant omnes nostri diuites, abundantes pecunia, auro, argento, familia, honoribus; exhorrescant quod modò dictum est: Domine in ciuitate tua imaginem illorum ad nihilū rediges. Nonne digni sunt hæc pati, vt Deus in ciuitate sua imaginem illorum ad nihilum redigat, quia & ipsi in ciuitate sua terrena imaginē Dei ad nihilū redegerunt?

Cap. XXVIII.

Diuites, cùm moriuntur; nihil eorum, quæ hic possident, secum tollunt; & insuper laborabunt in æternum.

1 In Psalm. 72. vltra med. 1 QVid ergo? parua tibi videtur, *dum viuūt*, claritas eorum, parua tibi videtur pompa eorum, parui tibi videntur ti-
2 in Psal. 48. côc. 2. in med. tuli, imagines, statuæ, laudes, cunei clientum? *Audi:* 2 Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam non, cùm morietur, accipiet hæc omnia. Vides viuentem diuitem, cogita morientem. Quid hîc habeat attendis: quæ secum tollat attende. Quid secum tollit? Multum auri habet; multum argenti habet, multum prædiorum, mancipiorum: moritur, remanent illa nescio quibus. Etsi enim dimittit quibus vult, non seruat quibus vult. Multi enim & non sibi dimissa acquisierunt, & multi
al. tollit. sibi dimissa perdiderunt. Remanent enim illa omnia; & * tulit secum. Quid? Fortè dicit aliquis: Illud secum tollit, vnde inuoluitur, & quod illi erogatur ad pretiosum & marmoratum sepulchrum, ad instruendam memoriam: hoc secum tollit. Ego nec hoc dico. Exhibentur enim ista non sentienti. Si dormientem & non vigilantem ornas, in lecto secum illa habet. Fortè ornamenta insunt in corpore iacentis, & fortè ille in somnis in pannis se videt. Quod sentit, ei plus est, quàm quod non sentit. Quanquam & illud, cùm euigilauerit, non erit: tamen dormienti maius illud erat, quod in somnis videbat, quàm illud quod non sentiebat. Quid ergo dicunt sibi homines? Erogem, *quæ habeo*, ad mortem meam: quare dimitto hæredes meos diuites? Multa habebunt de meo, habeam & ego aliquid de meo in corpore meo. Quid habebit corpus mor-

mortuum? Quid habebit caro putrescens? Quid habebit caro non sentiens? Si aliquid habuit diues ille, cuius lingua sicca erat: tunc habebit homo aliquid de suo. Nunquid sic legimus in Euangelio, quia diues ille cum holosericis & byssinis tegumentis apparebat in igne? Nunquid qualis erat in epulis ad mensam, talis erat & apud inferos, cùm sitiret, & stillam desideraret? Non ibi erāt illa omnia. Non ergo secū accipit homo omnia; nec quod tollit sepultura, tollit secum mortuus. Vbi enim sensus, ibi homo: vbi nullus sensus, non est homo. Iacet vas quod continebat hominē, domus quæ habebat hominem. Corpus dicamus domum: spiritum dicamus habitatorem domus. Spiritus torquetur apud inferos: quid illi prodest, quia corpus iacet in cinnamis & aromatibus, inuolutum pretiosis linteis? Tanquam si dominus domus mittatur in exilium, & tu ornes parietes ipsius. Ille in exilio eget, & fame deficit; vix sibi vnam cellam inuenit, vbi somnum capiat; & tu dicis, felix est: nam ornata est domus illius. Quis te non aut iocari aut insanire arbitretur? Ornas corpus: torquetur spiritus. Da aliquid spiritui, & dedisti aliquid mortuo. Sed quid illi dabis, quando iste vnam guttam desiderauit, & nō accepit? Hic enim contempsit mittere ante se aliquid. Quare contempsit? quia non putauit vitam, nisi præsentem: non cogitauit nisi quemadmodum pretiosis vestibus obuolutus sepeliretur. Ablata est ab illo anima eius, sicut Dominus dicit; Stulte, hac nocte auferetur anima tua; & quæ parasti, cuius erunt? Et impletum est in illo, quod psalmus dicit: Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam non, cùm morietur, accipiet hæc omnia. 3 Et quid *idem iste Psalmus* dixit de tali homine? Et laborabit, inquit, in æternum, & viuet in finem. Labor eius sine fine erit, vita ipsius habebit finem. Quare hoc dixit, viuet in finem? Vitam quippe non ponunt isti, nisi delicias quotidianas. Adeò sunt multi inopes & pauperes nostri, parum firmi, & non intuentes quid illis promittat Deus pro istis laboribus: cùm viderint diuites in epulis quotidianis; in splendore & nitore auri & argenti, quid dicunt? Soli sunt isti; isti verè viuunt. Viuant; finietur vita ipsorum; labor non finietur. Laborabunt in æternum, & viuēt in finem. Quomodo viuent in finē? Quomodo viuebat ille qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, & iacentem vlcerosum ante ianuam, cuius vlcera

Luc. 16.
Similitudo pulchra.
Luc. 12.
Psal. 48.
3 in Psalm. 48. conc. 2. in fine.
Luc. 16.

Vide Ser. 227. de temp. in medio. canes lingebant, & desiderantem micas, quæ de mensa eius cadebant, superbus & tumidus contemnebat. Quid illi profuerunt illæ diuitiæ? Mutauerunt vicem ambo: ille à ianua diuitis sublatus est in sinum Abrahæ; ille ab epulis splendidis missus est in ignem. Ille requiescebat, ille ardebat; satiabatur ille, ille sitiebat. Ille laborauerat in finem, viuet in æternum; ille vixerat in finem, laborabit in æternum. Et quid profuit diuiti, qui quæsiuit apud inferos in tormentis positus, stillari sibi guttam aquæ in linguam suam de digito Lazari, dicens; Quoniam ardeo hic in flamma: & non illi concessum est? Sic desiderauit ille guttã de digito, quomodo ille micas de mensa diuitis. Sed illius labor finitus est, & illius vita finita est. Labor huius in æternum: vita illius in æternum. Non hîc habemus vitam, qui fortè hic laboramus in terra, & non fuerimus postea: erit enim vita nostra Christus in æternũ. Illi autem qui hîc volũt habere vitam, laborabunt in æternum, & viuent in finem.

Cap. XXIX.

Grauiter peccant, qui quasi iustè ab aliquo hæredes institui concupiscunt: similiter qui ex auaritia aut paucos hæredes, aut nullos habere volunt.

CVm ergo nemo sit, qui natus est, qui mori non debeat; nemo, qui moritur, qui vitam sine morte non optet: sic certè vnicuique laborandum & viuendum est, vt illa vita haberi possit

c In Psal. 75. versus mediũ. *quæ post mortem laborem non habet.* c Est enim quidam modus viuendi communis omnibus. Furtum non facere, *non seruo præcipitur, & domino non præcipitur. Incontinenter non viuere*, non castimoniali præcipitur, & nuptæ non præcipitur: adulterium non facere, omnibus præcipitur. Non amare violentiam, qua ingurgitatur anima, & corrumpitur in se templum Dei, omnibus æqualiter præcipitur. Non superbire, omnibus æqualiter præcipitur. Non hominem occidere, non odisse fratrem, non aduersus aliquem tenere perniciem, *non concupiscere rem proximi*, omnibus in communi præcipitur.

a Ex fragmẽto Serm. de Decalog. ad pop. Hipponens. impress. cum cæter. Louan. & nunc habetur To. 10. in edit. Plantini. *Sed vbi* a de furto commune præceptum est, ibi intellige & rapinam. Non enim de furto præciperet, & de rapina taceret scriptura, nisi te sic intelligere voluisset. Quia si pœnale est clanculò auferre, multo maioris pœnæ est, violenter eripere. Auferre ergo nolenti, siue occultè, siue palam; habet præceptum suum. Concupiscere autem rem proximi, quod notat

Deus

Deus in corde, etiam si iustam ibi successionem quæras, non licet. Denique qui volunt res alienas tanquam instè possidere, hæredes se quærũt fieri à moriẽtibus. Quid enim tam iustum videtur, quàm rem sibi derelictã possidere, habere iure communi? Quid hoc apud te facit homo? Dimissum est mihi, inquit. Hæreditatem consecutus sum. Testamentum lego: nihil videtur iustius ista voce auaritiæ. Tu laudas quasi iure possidentem: Deus damnat iniustè concupiscentem. Vide qualis es qui optas te ab aliquo hæredem fieri: non vis vt habeat hæredes, *ne tu eius nõ sis hæres.* 3 Eris enim primò sine dubio simulator, obsequens non charitate sed fraude, veluti amans eum à quo te cupis fieri hæredem: amando eum, mori quæris; & vt in re eius te videas possessorem, illi inuides successorem. *Quid ista cupiditate inhumanius? quid truculentius? Optas mori hominem, vt eius hæreditatem habeas: times nasci hominem, ne solus non possideas. Quò te cæca cæcum trahit auaritia? Hoc enim optando, & charitati iniuriam irrogas, & naturæ. Vis tibi ditandi materiam multiplicari, alteri non generandi: qua tamen multiplicatione nihil fructuosius: quia non venit nisi de benedictione Domini.* 4 Multæ quippe sunt terrenæ multiplicationes; felicior autem filiorum: quanquam & hominibus auaris etiam ipsa fœcunditas molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur, qui multi nasci potuerunt. Quæ solicitudo plerosque ad impietatem coëgit, vt obliuiscerentur quòd parentes essent: omniq́ue humanitatis affectu expoliati, exponerent filios suos, vt eos facerent alienos: proiiceret quæ peperit, colligeret quæ non peperit: illa contemneret, illa diligeret: illa frustra mater carne, illa verior voluntate. *Si facit hoc auaritia in istis qui modum à procreando feriantur, quid mirum, si, qui rerum alienarum cupidi sunt, vt suo malo voto potiantur, desiderent & illos, qui nati sunt, citius mori; & non alios nasci qui essent successuri?* 5 Tales, quando illis laudatur vita æterna, & dicitur illis, cõtemptores diuitiarum esse debere in nomine Christi; torquentur in corde suo. Et si non audent in facie, ne erubescant, aut ne corripiãtur ab hominibus, in corde id faciũt, contemnunt: & remanet eis in ore benedictio, & in corde maledictio. *Ore Deum benedicunt, si semper inueniant quod quærunt: si soli accipiant quod volunt: corde verò maledicunt quodammodo illis, quibus vel aliena, vel sua possidenda inuiti relinquunt, quæ ipsi dum moriuntur, tenere non possunt.*

3 Ibidẽ infra.

4 In Psal. 127. vltra mediũ.

5 In Psal. 48. cõc. 1. in fine.

O diram, miserámq́; dolorum seruitutem, quam nec communis humani generis amor vincit, nec vltima mortis perhorrescit necessitas, nec ipsa propinquioris sanguinis, cui hæreditas morientium debetur, cognatio extinguit. Sunt enim & parentes ipsi aliquando tã auari, vt si semper hic viuere suisq́; bonis tẽporalibus æternaliter inhærere possent; nec suis quidem filiis ista obtinenda & vtenda concederent. Sunt item & alij ita terrenarum rerum visco illigati, & diuitiarum suarum dulci voluptate ebrij, vt etiam per mortem hinc migrantes, totum quod possident (si foret possibile) aut penitus deuorare, aut secum deferre desiderarent, nihilq́; eorum quæ hic habere & amare potuerunt, posteritati relinquerent. Ex quo manifestum euadit, quod tales nec viuentes nec morientes filiis suis ex animo bene velint: quandoquidem eos non vt hæredes amare, sed veluti fures aut prædones bonorum suorum reformidare videntur. ¶ Hoc tamen dico, *non multos, sed* paucos esse eius animi homines, & qui post mortem suam, quid suis boni malíue contingat, saltem dum viuunt, negligant, atque omnino contemnant: multos autem, quod indicat etiam tanta cura commendandæ vltimæ voluntatis, & qualiumcunque testamentorum, satis agere, vt, cùm defuncti fuerint, suis bene sit. Permansionem verò posteritatis suæ, per successiones generationum, soli laudabiliter spernunt, qui seipsos abscindunt propter regnum cælorum; & filios suos hoc facere cupiunt, vel exoptant vel martyrio coronari, ita vt nullus eorum in terra remaneat. Cæteri autem omnes, aut penè omnes, felices volunt suos esse in hac vita post mortem suam; & suum genus interire nolunt.

¶ In Psal. 103. in fine 1. exposit.

CAP. XXX.

Exaggeratio malorum, quæ suggerit auarorum cupiditas, Apostolico consilio refrenanda.

VNde etiam prudentiores quique parentes secũdum sæculum, quàm diligentissimè satagunt, vt iis quos relinquunt hæredes, & sui generis propagatores, nihil desit, quod vel ad corporis alimentum pertineat, vel vitæ commodum: aut quod ad gradum alicuius honoris acquirendum conducat. Quare sæpe adhuc tenellos, lucri gratia, ad artes exercendas applicant; aut grandiores iam negotiationi addicunt; aut mittunt ad scholas, erudiendos in literarum scientia. Quorsum ista solicitudo tendit? quis eius scopus est? 1 Ipsi Christiani filiis suis hoc dicunt. Quid? *Disce*

1 Tom. 9. lib. de disc. Christ. cap. 2.

ope-

operari, disce mercari, disce literas. Quare? Vt sis homo. Quid enim? Modò pecus sum? Quod dico, vt sis homo, hoc est, vt sis eminens inter homines. Vnde & illud prouerbium: Quantum habebis, tantus eris. Vt habeas quantum cæteri, aut quantum pauci: aut plus quàm cæteri, aut plusquam pauci: habeas inde honorem, habeas inde dignitatem, *habeas inde vtilitatem.* [a] Quantum enim habebis, tantus eris. *Sed istud* prouerbium auarorum est, rapacium est, innocentes opprimentium, res alienas inuadentium, commendata negantium. Quale hoc prouerbium: Quantum habebis, tantus eris? id est, quantum habueris pecuniæ, quantum plus acquisieris, tanto plus poteris. *Certè qui sic iudicant, secundum carnem iudicant, & in insipientia sua terram sapiunt; non cor sursum habent erectum, sed deorsum incuruatum. Hi non suis consulunt ad salutem, sed in cæcitate ambulantes, & se & suos præcipites dant in perditionem. Quid enim boni tale consilium potest importare? Imò verò quanta mala non inde proueniunt? Qui hoc molitur, ne, iuxta prouerbium prædictum, impar sit cæteris, sed fortè superior omnibus, in dignitate in diuitiis, in possessionibus: nónne omne humanitatis & consanguinitatis ius, & communis boni amorem violaturus est? nonne & illam ipsam auaritiæ scholam, hoc est, paternam domum, vnde istud commentum prodit, dissipaturus?* [b] Vnde inter fratres discordia? vnde perturbatio pietatis? Vnde vnus vterus, & non vnus animus? *vna hæreditas, & non vna charitas?* nisi dum curuatur anima eorum, & partem suam quisque respicit, & parti suæ opimandæ & exaggerandæ operam impendit, & in possessione sua vult habere vnitatem, qui cum fratre suo possidet diuisionem? Bona est ista possessio. Cuius est? Nostra est. Magna possessio. Sic dici solet: Tota tua est frater, non habes hic consortem? Sed si vult Deus, vendet mihi consors partem suam, Adulator respondet: facit Deus. Quid facit Deus? Vt prematur vicinus, & partem suam vendat vicino? Facit Deus: bene cogitas, *sed non bona mente disputas.* Complaceat tibi Deus, quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ; & qui iniqua gerit, benedicitur. Quid tam iniquum, quàm velle ditescere alterius paupertate? Et tamen abundat hoc. Qui iniqua gerit, benedicitur: & fortè præualuit, & fortè pressit & oppressit: torsit & extorsit non quemcunque consortem, sed forsitan fratrem. Melius est, inquit, vt ego emam, quàm extraneus. *Itáne bone vir, sub prætextu*

[a] In Psal. 51. vltra med.

[b] D. August Serm. 91. inter diuers. im press. per Plät. anno 1579.

Auaritia amat etiam vnitatē. Vide in Psal. 39 vlt. med.

iustæ emptionis, cupiditatis iniustæ viscum extēdis, vt fratris tui, qui fortè pauper est, qualiscunque portiuncula tuis amplissimis possessionibus conglutinetur? Hoc te facere parentes monuerunt? dixerunt tibi. Quantum habebis, tantus eris: nunquid dixerunt, Tu solus, si auarus es, habebis omnia: & fratres, si iusti fuerint, pauperes remanebunt? Quod etiam si dixissent, iniustè dixissent: sicut & tu iniustè facis, non, dum emis iustè, quod fratris aut alterius est; sed concupiscendo iniustè, quod tuum non est. Hanc autem concupiscentiam, non solùm iustitiæ, sed & charitati esse contrariam, quæ nunquam quærit quæ sua sunt; quis dubitat?

a Cor 13. b Hom. 8. inter 50.

b Et quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas; simul ambæ esse non possunt: nisi vna radicibus euulsa fuerit, alia plantari non poterit. Sine causa ergo aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit euellere. Sic enim ait Apostolus: Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei, hæc fuge. Audiamus ergo consilium illius, in quo Christus Dominus loquebatur: & quantum possumus, studeamus amaritudinem auaritiæ fugere, si volumus ad charitatis dulcedinem peruenire. Sed quando de contemptu diuitiarum loquimur, respondet aliquis diues: Didici non sperare in incerto diuitiarum, nolo diues fieri, ne incidam in tentationem. Sed quia iam sum, quid facturus sum de his quæ mihi iam contigit habere? Sequitur Apostolus, dicens: Facilè tribuant, communicent. Quid est communicare? Communem rem tuam facere cum illo qui non habet. Si ergo communicare cœperis, non eris ille prædo, ille raptor, qui necessariis pauperum tanquam rebus alienis incubat. s Hic iam auaritia contrahit se, quando audit: Facilè tribuant, communicent; veluti aqua frigida perfunditur, rigescit, stringit sinum, & dicit, Non perdo labores meos. Infelix, perdere non vis labores tuos? Ecce morieris, & qui huc nihil attulisti, nihil hinc potes auferre. Cùm nihil abstuleris, nónne perdidisti omnes labores tuos? Audi ergo consilium Dei: nolo terrearis quia dixit, Facilè tribuant, cōmunicent. Audi & quod sequitur. Expecta; noli cōtra me claudere ostium, nec aditum cordis tui. Thesaurizent, inquit, sibi fundamentum bonum in futuro, vt apprehendant veram vitam. Ista ergo, quæ te delectat, falsa vita est: quasi in somnis hîc viuis. Si quasi in somnis hîc viuis, euigilaturus es, quando

a Tim. 6.

s D. August. Hom. 13. in medium.

a Tim. 6.

quando morieris, & sic nihil habes in manibus tuis inuenire. Quomodo si mendicus dormiat, & in somnis illi veniat hæreditas, nihil illo felicius, antequam surgat. Videt se in somnis tractare manibus vestes egregias, pretiosa vasa aurea & argentea, intrare in amœnissima & amplissima prædia, obsequi sibi magnas familias. Euigilat, & plorat. Et quomodo vigilans accusat hominem qui illum expoliauit: sic *qui somniauit*, illum accusat, qui illum excitauit. Apertissimè hinc locutus est Psalmus: Dormierunt, inquit, somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis, postea quàm finierunt somnum suum. Quia ergo nihil attulisti, nihil hinc ablaturus es. Mitte sursum quod inuenisti, & non perditurus es. Das Christo, & perdis? Non perdis. Si commendas seruo tuo quod acquisisti, & non perdis: perdes, si commendas Domino tuo, quod accepisti ab ipso Domino tuo? [a] Et Dominus noster hoc monet: Facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cælis: quò fur non accedit, neque tinea corrumpit. Noluit Deus vt perdas diuitias tuas, sed vt locum illis mutes. Consilium tibi dedit. Modò si amicus tuus intraret in domum tuam, & inueniret te in loco humido frumenta posuisse, qui fortè sciret naturam corruptionis frumentorum, quam tu nescires, daret tibi huiusmodi consilium, dicens: Frater, perdis quod cum magno labore collegisti: in loco humido posuisti: paucis diebus ista putrescunt. Et quid facio, frater? Leua in superiora. Audires amicum suggerentem, vt frumenta leuares de inferioribus ad superiora: & non audis Christum monentem, vt thesaurum tuum leues de terra ad cælum, vbi non hoc tibi reddatur quod hîc serues; sed serues terram, accipias cælum: serues mortalia, accipias sempiterna? Fœnerare Christo: accipiat in terra parua, vt reddat tibi in cælo multa.

Psalm. 75.

a In Psalm. 48. conc. 1. in medio.

Luc. 12.

Vide Ser. 50. de tempore. in med. & in Psal 85. ante medium.

Cap. XXXI.

Quomodo Deo fœnerandum sit: & quàm tutò seruetur quod Deo committitur.

CAEterum (*quæso*) *ne putetis vos, qui estis mediocriter Christiani, & auditis Christo esse fœnerandum. quòd hac adhortatio nostra patrocinium vestræ cupiditatis sit, non præconium virtutis, quæ cælum spectat, non lucrum: quæ dare mauult, quàm fenerari.* [1] Nolo quippe sitis fœneratores: & ideo

1 in Psalm. 36. conc. 3. ante medium.

ideo nolo, quia Deus non vult. Nam etsi ego nolo, & Deus vult, agite. Si autem Deus non vult, etiã si ego vellem, malo suo
Psalm. 14. ageret, qui ageret. Vnde apparet Deum hoc nolle? Dictum est: Qui pecuniã suã non dedit ad vsuram. Et quàm detestabile sit, quàm odiosum, quàm execrandum, puto quia *non solùm tu nosti qui bonus es Christianus, sed* & ipsi fœneratores nouerunt. Rursus autem ego ipse, imò Deus noster, qui te prohibet esse fœneratorem, iubet te esse fœneratorem, & dicitur tibi: Fœnera Deo. Si fœneraueris homini, habes spem: & si fœneraueris Deo, spem non habebis? Si fœneraueris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus, quàm dedisti, expectas accipere: non pecuniam solam, sed aliquid plus, quàm dedisti: siue illud triticũ sit, siue vinum, siue oleum, siue quodlibet aliud: si plus quàm dedisti, expectas accipere, fœnerator es, in hoc improbandus, non laudandus. Quid ergo, inquis, facio, vt sim vtilis fœnerator? Attende quid facit fœnerator. Minus vult dare certè, & plus accipere. Hoc fac & tu.
Vide Ho 42 inter 50 & Ser. 146. de Tempore. Da modica, accipe magna. Vide quã latè crescat fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cælum. Et cui dabo? fortè dicis. Ipse Dominus procedit, quem fœneres. Audi
Prou. 19. scripturam, quomodo fœneres Dominum. Fœnerat, inquit, Dominum, qui miseretur pauperis. Non enim eget à te Dominus, sed habes alium qui à te egeat. Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper quod tibi retribuat: & tamẽ ipse vult retribuere, & non inuenit quid: sola in illo remanet beneuolentia orandi pro te. Cùm autem pauper orat pro te, tanquam
al. fide duc. Deo dicit: Domine, mutuum accepi, * fide dic me. Proinde etsi non tenes pauperem redditorem, sed idoneum tenes fideiussorẽ. Ecce Deus tibi de Scriptura sua dicit: Da, securus esto, reddam. Quomodo solent dicere fideiussores? Ego reddo, ego accipio, mihi das. Putamúsne & hoc dicit Deus: Ego accipio, mihi das? Planè si Deus Christus, quod non dubitatur. Ipse
Matth. 25. dixit: Esuriui, & dedistis mihi manducare. Et cùm illi dicerẽt: Quando te vidimus esurientem? vt ostenderet se pauperum fideiussorem, omniũ membrorum suorũ sponsorem (quia ille caput, illi membra: & cùm accipiũt mẽbra, accipit caput;) Cũ
Nota. vni, inquit, ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. Eia auare fœnerator, vide quid dedisti, vide quid accepturus es. Si dedisses paucã pecuniam, & ille cui dederas pro parua pecunia tua, daret tibi magnam villam, incomparabiliter amplius valentem

ea

ea quam tu pecuniam dederas: quantas gratias ageres, quanta lætitia tollereris? Audi quam possessionē det, quem fœnerasti. Venite benedicti patris mei, percipite. Quid? Quod dedistis? Matth. 25. Absit. Terrena dedistis, quæ si non dedissetis, in terra putrescerent. Quid enim inde facturus esses, si non dedisses? Quod periturum erat in terra, seruatum est in cælo. Ergo quod seruatum est, hoc accepturus es. Seruatum est meritum: factus est thesaurus tuus meritum tuum. Nam vide quid sis accepturus: Percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Ibidem. Contrà illi qui fœnerare noluerūt, quid audient? Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et quid vocatur regnum quod accipiemus? Attende sequentia. Isti ibunt in combustionem æternam; iusti autem in vitam æternam. Ad hoc ambi, hoc eme, ad hoc fœnera. Habes Christum in cælo sedentem, in terra petentem, *& omnia quæ das, tibi in æternum thesaurum commutantem.* 2 Ego tibi, inquit Deus, omnia quæ dedi, in melius commutabo. Si enim dares libram argenti, & reciperes libram auri, quanto rapereris gaudio? Inspice & interroga auaritiam: libram argenti dedi, libram auri recipio. Quid simile argentum & aurum? Magis ergo: Quid simile terra & cælum? Et aurum & argentum hîc eras relicturus: tu autem hîc non perpetuò mansurus. Et aliud dabo, & melius dabo, & in æternum dabo. 3 Et noli putare, cùm das, quod nemo te videat: aut quia deserit te Deus, quando fortè dederis pauperi, & consecutum fuerit aliquod damnum, aut aliqua tristitia rei amissæ, & dicas tibi: Quid profuit bona me fecisse opera? Puto quia non amat Deus homines qui bene faciunt. Quid enim contristatus es, ô homo, quia dedisti pauperi, & alia perdidisti? Nónne vides quia perdidisti quod non dedisti? Quare non respicis ad Deum tuum? Vbi est fides? Quare sic dormit? Excita illam in corde tuo. Attende quid tibi dixerit ipse Dominus, quando te ad huiusmodi bona opera hortabatur: Facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non accedit. Hoc ergo commemora, quando plangis in damno. Quid ploras stulte * praui cordis, aut non sani cordis? Quare perdidisti, nisi quia mihi non commodasti? Quare perdidisti? Quis tibi abstulit? Respōdebis, fur. Nónne hoc te præmonueram, ne ibi poneres quò fur posset accedere? Si ergo dolet qui perdidit, hoc doleat, quia non ibi posuit vnde perire non potuit.

2 D. August. Ser. 128. inter impref. Louan. ante mediū.

3 In Psal. 36. conc. 3. ante medium.

* al. parui.

CAP.

CAP. XXXII.

Vbi thesaurizandum sit, secundùm Domini consilium.

1 In Psal. 38. in medio. al. seruire.

1 ET quid facio? inquis. Migra: vbi posuisti, non est tuus locus. Certè * seruare vis auaritiæ, vide, fortè & ipsi auaritiæ congruet consilium meum. Habere enim vis quod habes, & non perdere: ostendo tibi locum vbi ponas. Ne thesaurizes in terra, nesciens cui congreges ea, & postea quemadmodum consumpturus sit, qui possidebit, qui tenebit. Fortè enim possessus possidebit: quod à te habebit, non tenebit. Fortè cùm ei seruas, antequam ille veniat, tu perdes. Solicitudini tuæ consilium do: Thesaurizate vobis thesaurum in cælo. Hîc in terra si velles seruare diuitias, quæreres horreum: non fortè crederes domui tuæ, propter domesticos tuos. Commendares ad vicum argentarium: difficilis est enim ibi casus, fur non facilè accedit, bene omnia seruantur. Quare ista cogitas, nisi quia non habes melius, vbi serues? Quid, si dabo melius? Dicam tibi: Noli commendare huic minus idoneo: sed est quidam idoneus, illi commenda. Habet magna horrea, vbi perire non possunt diuitiæ: magnus, super omnes diuites, diues est. Iam fortè dicturus es: Et quando audeo tali commendare? Quid si ipse te hortatur? Agnosce illum; non solùm paterfamilias est, sed & Dominus tuus est. Nolo, inquit, serue meus, perdas peculium tuum: agnosce vbi ponas. Quare ibi ponis, vbi possis amittere, vbi etsi non amittas, permanere perpetuò tu non potes? Est alius locus, quò te transferam. Præcedat te quod habes, noli timere ne perdas: dator ego eram, custos ego ero. Dicit tibi hoc Dominus tuus. Fidem tuam interroga, vide si velis illi credere. Dicturus es, Perditum habeo quod non video: hîc illud volo videre. Dum vis hîc videre, nec hîc videbis, & ibi nihil habebis. Nescio quos thesauros habes absconditos in terra: cùm procedis, nō eos tecum portas. Credis te habere in domo, quod scis te posuisse. Nunquid scis te non perdidisse? Quàm multi redierunt ad domos suas, & quod posuerant non inuenerunt? An securus es de seruo tuo; & solicitus es de Domino tuo? Securus es de domo tua, & solicitus de cælo? Sed ego, inquis, quomodo pono in cælo? Dedi tibi consilium vbi ponas: quomodo perueniat ad cælum, nolo scias. Pone in manibus pauperum, da egentibus: quid ad te, quomodo perueniat? Non perdes quod ego accipio. An oblitus es, Cum vni ex minimis meis

Luc. 12.

Matth. 25.

meis fecistis, mihi fecistis? Si haberet quispiam amicus tuus quosdã lacus, vel cisternas, & quæque receptacula fabricarũ ad seruandum aliquem liquorem vel vini vel olei: quæreres vbi prudenter abscõderes, vel seruares fructus tuos, & diceret tibi: Ego tibi seruo: haberetque ad illa receptacula occultos canales quosdam, transitusque, vt per hos clanculo iret, quod palam funderetur: & diceret tibi, Quod habes, hîc funde. Videres autem tu non esse illum locum, vbi ponere cogitabas, & timeres fundere: ille qui sciret machinamenta quædam occulta locorum suorum, tibi diceret; Funde securus, hinc illuc perueniet. Non vides quà: sed crede mihi, quia mansiones fabricaui. Fabricauit enim, per quem facta sunt omnia, mansiones omnibus nobis: illuc vult præcedere quod habemus, ne hoc in terra perdamus. Cùm autem imprudenter seruaueris in terra, dic mihi, cui congregabis ea? Filios habes: vnum plus numera, & da aliquid & Christo: *vt in futurum tibi prospiciendo, non sis imprudens*. 2 Quis est qui sibi prospicit *in futurum*? Seruus ille, cui dedit Dominus suus quod erogaret, & postea dixit ei: Non potes mihi agere; redde rationem actus tui. Et ille, Quid facio? Fodere non possum, mendicare confundor. Sedit, & de re Domini sui fecit sibi amicos qui illum reciperent, cùm de actu proiiceretur. Ille enim fraudem fecit Domino suo, vt compararet sibi amicos qui illum susciperent. Tu noli timere, ne fraudem facias. Ipse Dominus hortatur vt facias: ipse tibi dicit: Fac tibi amicos de mammona iniquitatis. Fortassis ea quæ acquisisti, de iniquitate acquisisti: aut fortasse ea ipsa est iniquitas, quia tu habes, & alter non habet: tu abundas, & alter eget. Da de ista mammona iniquitatis, de diuitiis, quas iniqui vocant diuitias: fac tibi amicos, & prudens eris: comparas tibi, non fraudaris. Modò enim videris perdere. Nunquid perdes in thesaurario Christi ponens? Nam pueri, vnde sibi emant nescio quid, simul inueniunt nummos, & ponunt in thesaurario, & non aperiunt nisi postea. Nunquid, quia non vident quod colligunt, ideo perdiderunt? Noli timere. Ponunt pueri in thesaurario, & securi sunt: ponis in manu Christi, & times? Esto ergo prudens, & prospice tibi in posterum in cælo: *vbi manus Christi fideliter tibi seruabit quicquid prudenter tu illi commiseris. Et noli trepidare, ne fortè fidelis in seruando non sit, qui in donãdo tam bonus, fidelis, & misericors fuit. Esto verò & tu talis: vt imitando bonum & misericordem, ipsum*

2 In Psalm. 48 conc. 1. vltra medium.

Vide Hom. 30. inter 50 & in Psalm. 53. in principio.

5 D. August. Serm. 210. De tempore. in medio. *ipsius fidelitatem amplius promerearis.* 5 Bonus enim ponit in thesauro cælesti omnia opera misericordiæ, quæ facit circa homines quibus subuenit: & scit quoniam fidelis est custos, qui illi seruat omnia quæ reponit. Et non ea videt, sed & de thesauro suo certus est quia neque aliquid à fure surripitur, neque ab hoste inuaditur, neque ab inimico & improbo & potente quasi euicto tollitur, sed semper manebit, qui à Domino potentissimo custoditur. Si enim pecunias homines fideli seruo commendant, & securi sunt, misericordias suas commendant potenti Domino, & soliciti sunt? Nouerunt ergo, quia quicquid reponunt, totum ibi saluum est: qui fideles sunt, potentiæ Domini sui fidem iungunt. Credunt enim quia seruat, & inueniũt quod seruat. Nam & homines qui pecuniam colligunt, nunquid vident arcam ipsam, aut in arca pecuniam? Semper colligunt & mittunt, aut infodiunt & seruant. Non vident; & tamen quasi conscientia eorum scit, quia ibi est in loco illo vbi posuerunt. Et fortè iam furtulit, & vanus gaudet qui inaniter reseruauit. In thesauro autem cælesti si quid posuerimus, & de Domini custodia securi sumus, & omnino furem nullum patimur, nec damnum aliquod sustinemus.

Vide Tom. 2. Epist. 248 ad Sapidã Virg. in edit. Plant.

CAP. XXXIII.

Exiguum hîc expensum, auctum recipietur in cælo.

1 D. August. Serm. 245 de Tẽp. in med. 1 Sed videre, vt dixi, volunt homines diuitias suas. Fac quòd in terra thesaurizent, nunquid non timent videri diuitias suas? & cùm obstruxerint & cooperuerint, nunquid vident quod habent? Nec ipse *auarus homo* videt, & optat vt lateat: timet ne pereat. Esse vult diues in opinione, non in veritate. Quasi sufficit habere in cõscientia, quod seruat in terra? O quanto maior tibi & melior conscientia erat, si seruares in cælo! Hic cùm obrueris in terra, times ne sciat seruus tuus, & auferat & fugiat. Hic times ne auferat tibi seruus tuus: ibi non times, quia bene tibi seruat Dominus tuus. Sed habeo, inquis, seruum fidelem, qui & nouerit, & non prodat, & non tollat. Compara illum Domino tuo. Si fidelem seruum inuenisti; Dominus tuus quando te fefellit? Etsi non potest seruus tuus tollere, potest tamen perdere. Dominus tuus nec tollere nec perdere potest; nec perire permittit. Seruat tibi, manet tibi, liberat te, manentem te facit: nec perdet te, nec perdet quod ei commendaueris. Veni, inquit, accipe quod apud me posuisti?

posuisti? Absit. Non hoc tibi dicit Deus. Ego (inquit tibi) qui tibi prohibui fœnerare, fœneratus sum à te. Volebas enim fœnera crescere, vt dares homini, vt tibi plus redderet, & quando accipiebat gaudens, & quando reddebat, plorans. Hoc volebas, & prohibebam ego: dixi enim, Qui pecuniam suam non dabit ad vsuram. Prohibebam te à fœnore. Hoc tibi dicit Dominus tuus. Pauca vis dare, & plura accipere? Relinque hominem qui plangit, quando exigis; me inueni qui gaudeo, quando reddo. Ecce, inquit, adsum. Da & sume, tempore redditionis reddam tibi. Et quid reddã? Pauca dedisti, plura sume. Terrena dedisti, cælestia sume. Temporalia dedisti, æterna sume. Mea dedisti, meipsum sume. Quid enim dedisti, nisi ex eo quod accepisti? Ergóne, quod dederis, non reddo, qui, vnde dares, dedi? qui teipsum, qui dares, dedi: qui tibi Christum, cui dares dedi, qui tibi diceret: Quando vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Ecce vt des, pascit; & esurit propter te. Donat, & eget. Quando donat, vis accipere; quando eget, non vis dare. Eget Christus, quando eget pauper. Qui omnibus suis vitam æternam paratus est dare, in vnoquoque paupere tẽporaliter dignatus est accipere, & cõsilium dat, quò migres. Dedit enim consilium, quò migrare debeas. Migra de terra in cælum, ne perdas. Quàm multi enim quod seruabant, perdiderunt; & nec sic correcti in cælo ponere didicerunt. Si fortè tibi aliquis diceret, Transporta diuitias tuas ab Occidente in Orientem, si non vis vt pereant, æstuares, laborares, satágeres, attẽderes quæ haberes: videres te multiplicitate rerum tuarũ facile in lõginquiora migrare non posse. Sed & fortè fleres, quia ire cogereris, & quomodo tecum tolleres quod collegeras, non inuenires. In longinquiora te migrare iussit, qui nõ ait, Migra ab Occidente in Orientem: sed ait, Migra de terra in cælum. Aestuas, quasi difficultatem maiorem tibi videris pati, & dicis tibi: Si non inueniebam iumenta & naues, quibus ab Occidente migrarem ad Orientem: quomodo inueniam scalas, quibus à terra migrem in cælum? Noli, inquit tibi Deus, laborare; noli laborare: qui te diuitem feci; qui tibi, quod dares, dedi, laturarios tibi pauperes feci. Si (verbi gratia) inuenires aliquem inopem de transmari; aut, quò ire velles, inuenires inde ciuem necessitatem patientem; nónne diceres tibi, Ciuis iste inde est, quò ego volo ire? Eget hîc: do illi quod ibi mihi reddat. Ecce eget hîc pauper, qui ciuis est regni cælorum. Quid dubitas facere

Psalm. 14.

Matth. 25.

Laturarij diuitum, pauperes sunt.

traiectitium? Sic enim dant, qui hoc faciūt, vt plura accipiant, cùm ad ea loca venerint, vnde est ille qui accipit. [2] Tu hîc quid es? Diues an pauper? Multi dicunt, pauper sum, & verum dicunt. Agnosco pauperem aliquid habentem, agnosco & indigentem. Sed habet quidam multum auri & argenti. O si agnoscat se pauperem! Agnoscit se pauperem, si agnoscit iuxta se pauperem. Quid enim? Quantumuis habeas, quicunque diues es, Dei mendicus es. Venitur ad horam orationis, & ibi te probo. Petis. Quomodo nō pauper es, qui petis? Plus addo: panem petis. An non es dicturus, Panem nostrum quotidianum da nobis? Qui panem quotidianum petis, pauper es, an diues? Et tamen Christus dicit tibi, Da mihi ex eo quod tibi dedi. Quid enim attulisti quādo venisti? Omnia quæ creaui, creatus hic inuenisti; nihil attulisti, nihil hinc tolles. De meo mihi quare non donas? Quia tu plenus es, & pauper inanis est. De meo quæro: da & reddo. Habuisti me largitorem, facito debitorem, habeam te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Terrena mihi das, cælestia reddam. Temporalia mihi das, æterna restituam. Teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. [3] Imò etiam hoc dicā, Panem accepi, panem dabo. Potum accepi, potum dabo. Hospitio acceptus sum, domum dabo. Aeger visitatus sum, salutem dabo. In carcere visitatus sum, libertatem dabo. Panis quem dedisti, consumptus est; panis quem dabo & reficit & non deficit.

2 D. August. Serm 41. de verb. Domini

Matth. 6.

3 Serm. 128. inter impress. Louanij.

Cap. XXXIII.

Quod in cælo non reconditur, facilè perditur, etiam illorum testimonio, quos serò pœnituit quòd sua ibi nō repòsuerint.

1 D. August. Ho. 29. inter 50. in medio.

Luc. 6.

al. fœneremus

1 Metiatur ergo vnusquisque vires suas, non thesaurizare: attendat in terra: det, non perit quod dat. Non dico hoc non perit, sed dico hoc solum non perit. Alia verò quæ non dederis, & abundant tibi, aut cùm viuis, amittis: aut cùm morieris, dimittes. Quando dicit: Date, & dabitur vobis; attende cui dicat. Homini dicit Deus, mortali dicit immortalis, mendico dicit tantus Paterfamilias. Neque enim hoc reuocaturus est quod dedimus, inueniemus quem * fœneremur. Demus in vsuram, sed Deo, non homini. Ei damus qui abundat: ei damus qui dedit quod demus: & pro modicis rebus, pro friuolis, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis æterna, incorruptibilia, sine fine manentia. Dat de cælo,

accipit

accipit in terra. Ipse dat, ipse accipit, quasi fœnus traiectitium facis. Hîc das, ibi recipis. Hîc das res perituras, ibi recipis res sine fine mansuras. [2] Denique cui dare præcipitur, gaudeat quòd non ea sorte natus sit vt indigeat. Sufficit ad gloriam dantis, quòd alterius miseria in paupere, locuples donãdo existat, quòd misericordia fœneret Deũ, quòd pascat in paupere Christum, quòd per alterius inopiam, peccatorum accipiat indulgentiã. Obiurgantis Domini vox est: Si in alieno mammona fideles non fuistis, quod vestrũ est quis dabit vobis? Talem enim se exhibere quis pauperi debet, qualem sibi alium exhiberi vellet, si pauper ipse fuisset. Cæterũ dispendium magnum est, si Deũ de Dei dono promereri nolueris: aut, cùm tibi Dominus ad hoc dederit vt dispenses, eius delegata non serues. Semper enim sua Dominus tibi dispensanda interim cõmendauit; de re sua pauperibus te dare præcepit. Cur dantis iussa contemnis? Cur pactum destituis? Cur Dominum iubentem dare non audis? Facile enim poterit pecuniam acceptam amittere, qui, quod accepit, in lucrum noluerit erogare. *Audi ergo me.* [3] Fac quicquid poteris in terra: eroga, nõ perdes, sed recõdes, *& ad cælum transmittes.* Et quis seruat? Christus, qui & te saluat. Te nouit saluare, thesaurum tuum non nouit saluare? Quare autem vult vt locum mutes thesauro tuo, nisi vt locum mutes cordi tuo? Sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem, ne putrescat in terra. Triticum non audes ponere in humida terra, ne putrescat; quia laborasti & messuisti, triturasti & ventilasti. Quæris locum tritico tuo, & non quæris locum cordi tuo? & non quæris locum thesauro tuo? [4] Ecce Dominus Deus dat tibi consilium de corde tuo. Vbi enim, inquit, fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuum. Leua, inquit, cor in cælo, ne putrescat in terra. Cõsilium est eius qui te vult saluare, non perdere. Si ergo ita est; quomodo pœnitet eos qui non fecerunt? Modò quid sibi dicunt? In cælo haberemus quod in terra perdidimus. Inuasit hostis domum, nunquid inuaderet cælum? Occidit seruum custodem; nunquid occideret Dominum seruatorem, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit? Quàm multi dicunt: Ibi haberemus, ibi nostros thesauros reconderemus, quò eos securi post paululum sequeremur. Quare non audiuimus Dominũ nostrum? Quare contempsimus Patrem monentem, & hostem sensimus inuadentem? Ergo si consilium est hoc, non simus pigri in

Margin notes: Paulo pòst. — [2] Serm. 76 de tempore post initium. — Luc. 16. — [3] In Psal. 90. in fine. Vide Ser. 32. de verb. Do. — Vide in Psal. 85. post princ. — [4] D. August. Serm. 50. de temp in med. Matth. 6.

in tam bono consilio: & si migrãda sint quæ habemus, in eum ☞ locum transferamus, vnde ea non perdamus. Quid sunt pauperes quibus damus, nisi laturarij nostri, per quos in cælũ de terra migramus? Da, laturario tuo das: ad cælum portat quod das. Quomodo, inquis, ad cælũ portat? Et video quia manducando consumit. Prorsus non tenendo, sed manducando transportat. Matth. 25. An excidit tibi, Venite benedicti, percipite regnum: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare? Et, Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Si ante te mendicantem non contempsisti, attende ad quem peruenerit quod dedisti. Christus accepit quod dedisti. Ille accepit, qui tibi vnde dares dedit. Ille accepit, qui in fine tibi seipsum dabit.

Cap. XXXV.

Diues quomodo, & quare debeat sua superflua communicare pauperibus.

a D. August. Serm. 5 de verbis Dom. 1 Nihil autem amplius diues habet, de diuitiis suis, nisi quod ab illo postulat pauper, victum & regumentum. Hinc tu quid plus habes, ex omnibus quæ habes? Accepisti victum, accepisti necessarium tegumẽtum. Necessarium dico; non inane, non superfluum. Quid plus de diuitiis tuis capis? Dic mihi. Certè omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, sunt pauperibus necessaria. Sed ego, inquit, pretiosas ☞ epulas accipio, pretiosis cibis vescor. Pauper quid? Vilibus. Interrogo vos, quando fueritis ambo saturati: pretiosus cibus ad te intrat, quid fit cùm intrauerit? Nonne si specularia in ventre haberemus, de omnibus cibis pretiosis erubesceremus, quibus saturatus es? Esurit pauper, esurit diues; saturari quærit pauper, saturari quærit diues. Saturatur pauper de vilibus cibis; saturatur diues de pretiosis cibis. Saturitas æqualis est, possessio vna est; quò ambo volunt, peruenêre. Sed ille per compendium; ille multum circuit. Sed melius, inquit, mihi sapiunt apparata pretiosa. Vix fastidiosus satiaris. Nescis quomodo sapit quod fames accendit. Neque ita hoc dixi, vt diuites cogam epulis & cibis pauperum vesci. Vtantur diuites consuetudine infirmitatis suæ; sed doleant aliter se non posse. Melius enim Vide Ser 73. inter diuers. in edit. Plãt. possint, si aliter possint. Vtere cibis electis, pretiosis: quia sic consueuisti, quia non aliter potes: quia si consuetudinem mutas, ægrotas. Concedatur tibi, vtere superfluis; da pauperibus neces-

necessaria. Vtere pretiosis, da pauperibus vilia. [2] Et quare pauper tecum nõ capiat cibũ, qui tecũ accepturus est regnum? Quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalem stolam? Quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere baptismi Sacramentum? Cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad conuiuium inuitatus est angelorum? [3] Ventre pleno ambulas, & vacuum pauperis ventrem nõ consideras? Bene est tibi de bonis Dei, nihil indiges, honestis vestibus vteris, & nudũ & trementem frigore nõ vestis? Si tibi dicat Deus: Teipsum ego feci; quòd viuis, meũ est; quod habes, ego dedi, & ingratus es, aufero quę dedi, nego quod donaui, dimitto te, quem feci; & sine me viue, si potes. Plus tibi dedi, vt haberes vnde pauperi dares. Pauperi non dedi ob hoc, vt te probarem: non quia ambobus non habui vnde darem, sed per pauperem volui te probare. Ego sum qui diuitem & pauperem feci; prærogatorem te constitui in bonis meis. Fac misericordiam, quia nihil perdes; & me, qui tibi dedi, non offendes. Da, quid dubitas? Quia si dederis, ego plura dabo Quid tibi soli vendicas quod ambobus dedi? Quare tu solus comedis, quod ambobus creaui? Quasi tuo labori hoc assignas, aut tuum esse putas? Aufero auxilium meum; habe laborem tuum: auferam misericordiam meam, & tunc apparebit miseria tua. Ad hoc quid dicturus es, miser? Miser es, quia miseros non vides, & eris solus. Bestiis & pecoribus, animalibus, auibus, serpentibus communis est cibus; & tu homini negas victum? [4] Et tu quidem multis & pretiosis vel exquisitis deliciis interdũ vsque ad crapulam satiaris; & pauperi, vnde esuriem repellat, vel cibum simplicem dissimulas erogare? Vestibus etiam nimium pretiosis indutus incedis, & pauperi nudo nec vilissimum tribuis vestimentum. Domum tuam in omni pompa componere vel ornare contendis; forsitan nec in angulo eius peregrinum vel pauperem recipis. Sed qui talis est, cùm ei irreuocabilis aduenerit finis, si pœnitentia non subuenerit, perget ad inferos nudus bonis operibus, remanente domo cum omni ornatu suo in testimonium auaritiæ suæ. *Ibi pompa superbiæ mutabitur in pœnam; & deliciæ transibunt in supplicia: vt quod hic malè congessit, peius ibi digerat: & vnde viuus gaudebat, inde mortuus luat. Sed dicet aliquis:* [5] Quamdiu tamen vixit, bene sibi fecit. Hoc dicunt omnes, sed falsò dicunt. Benedictio hæc est ab animo

[2] Serm. 2. de Tempore.

[3] Ho. 47. inter 50. In Milleloq. est Ser. 4. de aduentu ad iudicium.

[4] Serm. 215. de Tempore: in medio.

[5] In Psalm 48. cóc. 2. in med.

animo benedicentis, non ab ipsa veritate. Quid enim diues tu? Quia manducauit & bibit, quia fecit quod voluit, quoniam splendidè epulatus est, ideo secum fecit bene? Ego dico, fecit secum malè. Non ego dico, sed Christus; fecit secum malè. Etenim diues ille, quãdo quotidie epulabatur splendidè, bene secum facere putabatur: cùm autẽ cœpit ardere apud inferos: tunc inuentum est malè, quod putabatur bene. Quod enim manducauerat apud superos, hoc digerebat apud inferos. Mandučabat pretiosas epulas ore carnis, ore cordis mãducabat iniquitatem. Quod apud superos ore cordis manducauerat, hoc apud inferos in illis suppliciis digerebat. Et quidem temporaliter manducauerat, in æternum malè digerebat.

Luc. 16.

Cap. XXXVI.

Diues attendat, quòd suum superfluum, non suum sit, sed alienum.

Si itaque diues iste misericordiam fecisset in pauperem, dans ipsi, non dico superflua sua, sed vel micas de mensa cadentes; iniquitatem non manducasset, & Dei misericordiam promeruisset. Sed nunc quid dicit scriptura? Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam. Hæc tamen nos scriptura non tam terret, quàm consolatur. [a] Quæ nos consolatur scriptura? Quę hortatur ad misericordiam faciẽdam, vt omnino crebrescamus in erogãdo quod ãmplius habemus. Multa autẽ superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus. Nã si inania quæramus, nihil sufficit. Quære quod sufficit operi Dei; non quod sufficit cupiditati tuæ. Cupiditas tua non est opus Dei. Forma tua, corpus tuum, anima tua, hoc totum opus Dei. Quære quæ sufficiant; & videbis quàm pauca sint. Viduæ suffecerunt duo nummi ad faciendum misericordiam: suffecerũt duo nummi ad emendum regnum Dei. Vide quia non solum pauca sunt, quæ tibi sufficiant, sed nec ipse Deus multa à te quærit. Quære quantum tibi dederit, & ex eo tolle quod sufficit. Cætera, quæ superflua iacent, aliorum sunt necessaria. Superflua diuitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur. *Faciens ergo huiusmodi misericordiam, qua non nisi charitatem erogas, qua crescit cùm erogas, & feruet in ipsis bonis operibus misericordia:* expectabis securus iudicium, non tam securus de iustitia tua, quàm securus de misericordia

Iacobi 2.

a In Psal. 147. prope mediũ. Vide To. 3. li. de Innoc. sent. 20.

Lucæ 21.

Vide Ser. 205. de Temp. & Ho. 8. inter 50.

cordia Dei: quia & tu misericordiam prærogasti. Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem, inquit, misericordia iudicium. Ne putes quia tunc non est iustus Deus, quãdo nostri non miseretur; aut recedit à regula iustitiæ suæ. Et cùm damnat, iustus est: & cùm miseretur, iustus est. Quid enim tam iustum, quàm reddere misericordiam præroganti? Quid tam iustum, quàm vt in qua mensura mensi fueritis, in ea remetiatur vobis? Da egenti fratri. Cui fratri? Christo. Si ergo quia fratri Christo, & quia Christo Deo, qui est super omnia benedictus in sæcula: Deus egere à te voluit, & tu manus retrahis? Certè tu porrigis manum, & petis à Deo. Audi ergo scripturam: Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, & ad dandum collecta. Erogari sibi vult Deus ex illo quod dedit. Quid enim das, quod ille non dedit? Quid enim habes, quod non accepisti? Aut verò non dico de Deo: sed cuilibet de tuo das aliquid? De illius das, qui iubet vt des. Prærogator es, non inuasor. [2] Ipse te diuitem fecit; ideo redde illi quod suum est. Ipse se dicit accipere, quod pauperibus datur: sibi collatum conclamat, quod in corde pauperis fuerit seminatum: sicut in Euangelio dicit: Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, qui recipiant vos in ęterna tabernacula. Ecce habebis, Christiane, æternũ tabernaculum si dederis pauperibus victum. Si quid das, illuc trãsmittis: tibi in futuro repones, nõ vnde carnaliter satureris, sed vnde spiritualiter glorieris; nõ vnde ventrem repleas, sed vnde flammas extinguas, quia scriptum est: Eleemosyna à morte liberat, & non patitur hominẽ ire in tenebras. Da ergo egenti, confer non habenti, succurre fame pereũti. Crudele est, vt de eo quod habes, *etsi non illicitè habes*, non des ei quẽ scis non habere. Graue est, vt de tua *substantia, quã iure possidere videris*, nõ sustẽtes egentis inopiam. [3] Iam si verò *& illud* prudenter intueamur quod scriptum est: Fidelis hominis totus mundus diuitiarum est, infidelis autem nec obulus; nónne omnes qui sibi videntur gaudere licitè conquisitis, eisque vti nesciunt, aliena possidere conuincimus? Hoc enim certè alienum nõ est, quod iure possidetur: hoc autem iure, quod iustè; & hoc iustè, quod bene. Omne igitur quod malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui malè vtitur: [4] quomodo ille bene possidet quæcunque habet, qui dominus est rerũ suarum. Dominus autem est, qui nõ est irretitus cupiditate: qui autẽ cupiditate tenetur,

Iacobi 2.
Matth. 7.
Eccl. 4.
1 Cor. 4.
2 Hom. 47. in medio.
Luc. 16.
Tob. 12.
3 Tom. 2. epist 54. in fine. Vide Hom 92. inter 50. & ser. 219 de tẽpore in fine.
4 In Psalm 38 cõc 1 in init. Vide Psal. 123. post med.

possessus est, non possessor. *Vnde meritò & alienæ rei non prærogator, sed inuasor & raptor est, qui ideo etiam suis rebus malè vti conuincitur, quòd ea quæ superflua habet, indigentibus non elargiatur.*

CAP. XXXVII.

Eleemosyna cui sit eroganda, per quam emitur regnum cælorum.

1 Tom. 10. Serm. 19 inter diuersos, in edit. Plantini. Lucæ 6.

1 Hinc autem intelligit animus Christianus, quantum remotus esse debet à fraude alienæ rei; quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua nō tribuerit indigenti. Dominus dicit, Date, & dabitur vobis. Quid verius? Quid iustius? Vt qui dare detrectat, se fraudet ipse, ne accipiat? Si impudenter agricola quærat messem, vbi se nouit nō præmisisse semen: quanto impudentius quærit Deum diuitem dantem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit, qui non esurit. 2 Ideo diues rogans, non exauditur in tormentis; quia rogantem pauperem non audiuit in terris. Diues & pauper, duo sunt sibi contraria: sed iterum duo sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si inuicem supportarent. Diues propter pauperem factus est; & pauper propter diuitem. Pauperis est orare; & diuitis erogare. Dei est pro paruis magna pensare. De misericordia diuitis parua, magna nascitur copia. *Ergo quicunque diues es,* 3 in omnes fac misericordiam. Quam misericordiam facturus es iusto? In necessitatibus tantum corporalibus: cui si defuerint supplementa à te, non ei deerunt à Deo. Quod ergo facis, tibi plus prodest. 4 Non pascebat vidua, pascebat coruus; quia pascebat qui fecit coruum: Heliam dico. Non ergo deest vnde Deus det suis: tu vide quid emas, quando emas, quanti emas. Emis enim regnum cælorum, & non est emendi tempus, nisi in hac vita. Et quàm vili emas, attende. Tanti tibi valet, quantum habere poteris. 5 Quantū valuit Zacchæo? Dimidiū patrimonium. Sed quia prior emit, fortè tu non inuenis quod emas? Et ille emit, & tibi integrum seruatur quod emas. Noli timere ne angustet te compossessor: omnibus latum est quod charitas possidet. Duobus enim minutis emit quædam vidua regnum cælorum, quæ misit in gazophylacium duos nummos. Quia enim præbebat ei Dominus victum, iam ei duo nummi superflui restiterant ad victum eius diei: ideo misit illos in domum

2 Serm. 25. de verb. Dom.
3 In Psal. 102. in medio.
4 Ibidem inf. 3 Reg. 17.
5 Hom. 8. inter 50. in med. Luc. 19.
Luc. 21.

domum Dei, & emit sibi regnum cælorum. Ecce quod timebas, ne carum esset, & non esses idoneus: ecce duobus nummis valet. Si terrebat te pretium quod dedit Zacchæus; consoletur te hoc pretium quod dedit hæc vidua. Plus addo: valet & vilius. Vilior est calix aquæ frigidæ. Vilior est sola bona voluntas. Audi clamantes angelos; In terra pax hominibus bonæ voluntatis. [6] Quàm ergo paruo constat regnum cælorum? quàm vili pretio tanta possessio proponitur? Proponitur enim in terra quod possideas in cælo: proponitur in tempore, quod possideas in æternum. Non potes dicere, Non habeo vnde emere possim; quia tanta est illa possessio, quòd pretium congruum inuenire non possum. Nonne, *vt dixi*, tantum valet, quantū habere potueris? [7] Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frāgere panem esurienti? Tanti valet regnum cælorum. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto, induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti. Si nō habes facultatem frangendi panem, non habes domum quò inducas, non habes vestem qua cooperias: da calicem aquæ frigidæ; mitte duo minuta in gazophylacium. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia; quantum emit Zacchæus dando dimidiū patrimonium: *& in quolibet eorum completum fuit illud quod psalmus habet*: [8] Potens in terra erit semen eius. Semen, *vt infra dicemus*, futuræ messis, opera esse misericordiæ Apostolus testis est, qui dicit: Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim proprio metemus. Et iterum: Hoc autem, inquit, dico: Qui parcè seminat, parcè & metet. Quid autem potentius, quàm vt regnum cælorum non solùm Zacchæus emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis; & tantundem ibi vterque possideant? Quid potentius, quàm vt idem regnum & thesaurus diuiti, & calice aquæ frigidæ, pauperi valeat? *Et quale est illud regnum? Audi prophetam; audi Apostolum*: [9] Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum. Quanti valet hoc quod nōn videtur, & emitur? Tanti, *inquam valet*, quantum quisque habere potuerit. Propter hoc & ille; Sparsit, dedit pauperibus. Non videbat & emebat: sed ille thesaurum seruabat in cælo, qui esurire & sitire in pauperibus dignabatur in terra: [10] vt possit fieri quod dictum est in Euangelio; Vt & ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Vide de fœno quid facias; vide de re vili

Lucæ 2.
6 Ibidem.
7 In Psal. 49. ante mediū.
Esa. 58.
8 In Psal. 111. in princip. Vide Tom. 4. lib. de octo quæst. Dulcit. quæst. 4.
Galat. 6.
Esaiæ 64.
1 Cor 2.
9 Ibidem inf.
Psalm. 111.
10 In Psal. 103. cōc. 3. in med.

quid emas, vt recipiant vos, inquit, in tabernacula æterna. Vbi
Math. 10. erunt ipsi, illuc vos recipiant. Quare hoc? Quia qui recipit
iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet: & qui suscipit
prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet:
& qui dederit calicem aquæ frigidæ vni ex his minimis,
tantùm in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet
Luc. 16. mercedem suam. Quam mercedem non perdet? Recipient
vos in tabernacula æterna.

CAP. XXXVIII.

Eleemosyna eroganti prodest magis, quàm accipienti.

a Ibidē Infra. Vide Ho. 18. inter 50. 3 Reg. 17.

1 CVm ergo quisque sanctū aliquem suscipit, non suscepto,
sed susceptori præstatur. Nunquid in illa fame non pascebatur
Helias? Nónne coruus afferebat panem & carnes
seruo Dei, seruiente creatura? Missus est tamen pascendus ad
viduam, non vt militi, sed vt prouinciali aliquid præstaretur.
a Tom. 2. Epist. 89. à fine. a Habet enim Ecclesia quodammodo suos milites, & quodammodo
prouinciales. Vnde dicit Apostolus: Quis militat
a Cor. 9 suis stipendiis vnquam? 3 Quando erat Dominus in carne
3 Tom 9. Tract. 5. in epi. Ioan. in medio. mortali, esuriuit, sitiuit, *non tamen vt miles, sed vt Imperator.*
Eo tempore quo esuriebat & sitiebat, susceptus est hospitio:
ministrarunt illi, qui habuerunt, de substantia sua, sicut legimus
Luc. 19. in Euangelio. Suscepit eum hospitio Zacchæus: saluus
factus est à morbo, suscepto medico. Quo morbo? Auaritiæ.
Erat enim ditissimus, & princeps publicanorum. Attende sanatum
à morbo auaritiæ. Dimidium, inquit, bonorum meorum
do pauperibus: et si cui aliquid tuli, quadruplum reddam.
☞ Ideo seruabit alterum dimidium, non quo frueretur, sed vnde
debita solueret. Suscepit ergo tunc medicum hospitio, quia
erat infirmitas carnis in Domino, cui hoc obsequium præberent
homines: & hoc quia voluit præstare obsequentibus:
Matth. 4. obsequentibus enim proderat, nō illi. Cui enim angeli ministrabāt,
quorum obsequium requireret? Sic nec Helias, seruus
illius, hoc necessarium habebat aliquando; & tamen, vt vidua
religiosa benediceretur, mittitur seruus Dei, pascitur à vidua,
4 D. August. Hom. 43 inter 50. quem Deus in secreto pascebat. 4 Quando ergo Deus *seruos*
suos pauperes facit, quia ipse non vult vt ipsi habeant; quando
Vide Ser. 205. in fine facit eos pauperes, probat diuites. Sicut enim scriptum est,
Prou. 22. Pauper & diues occurrerunt sibi. Vbi sibi occurrerūt? In hac
vita. Natus est ille, natus est & ille. Inuenerunt se, occurrerunt
sibi.

ſibi. Et quid? Fecit autẽ ambos Dominus: diuitem vnde pauperem adiuuaret; pauperem vnde diuitem probaret. Pró viribus ſuis vnuſquiſque faciat. Non ſic faciat, vt ipſe patiatur anguſtias. Non hoc dicimus. Superflua tua neceſſaria ſunt aliis. Audiſti modò: Quicunque dederit calicem aquæ frigidæ vni ex minimis meis propter me, non perdet mercedem ſuam. Regnum cælorum Deus venale propoſuit, & pretium eius calicem aquæ frigidæ eſſe voluit. Sed quãdo eſt pauper, qui facit eleemoſynam, tunc debent eleemoſynæ eius eſſe calix aquæ frigidæ. Qui plus habet, plus faciat.

Matth. 10.
Vide Ser. 227. de Temp. in principio.

Cap. XXXIX.

Quid ſit peccatori dare, tanquam peccatori: & iuſto tanquam iuſto.

Audiſti iam, Chriſtiane, quomodo opus miſericordiæ iuſto alicui à te ſit exhibendum, & quæ merces inde tibi ſit expectanda: ſed nõ hîc conſiſtas. Si perfectus eſſe vis, [1] fac etiã miſericordiam iniquo; non tamen tanquam iniquo. Nam ipſum iniquum, inquantum iniquus eſt, ne ſuſcipias; id eſt, ne quaſi intentione & amore iniquitatis illius ſuſcipias eum. Nam & prohibitum eſt dare peccatori, & ſuſcipere peccatorem. Et quomodo; Omni petenti te, da? Et quomodo; Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum? Quaſi contraria videntur; ſed aperiantur in nomine Chriſti pulſantibus, & manifeſta erunt quærentibus. Ne tradas peccatori, & ne ſuſcipias peccatorem: & tamen omni petenti te, da. Etſi peccator eſt qui te petit; da non tanquam peccatori. Quando das tanquam peccatori? Quando, in quo peccator eſt, hoc tibi placet, vt des: Deum offendis. Paululum attendas, donec euoluatur res etiam exemplis, multum vtilis ad intelligendum. Hoc dixi: cùm eſurierit neſcio quis, ſi habes vnde des, da: ſi vides dandum eſſe, ad ſubueniendum da. Ne pigreſcant in hoc viſcera miſericordiæ; quia tibi homo peccator occurrit. Cùm dico: Occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi. Hæc duo nomina non ſuperflua ſunt. Duo nomina: aliud quod homo: aliud quod peccator. Quod homo, opus eſt Dei: quod peccator, opus hominis eſt. Da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis? Quid eſt dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc faciet, inquis? Quis hoc faciet?

1 In Pſal. 102. in medio.
Luc 6.
Rom. 12.
Vide Tract. 12. in Ioan. & Serm. 94. de Temp.
Hom 6. inter 50. Serm. 109. de Temp. & in Pſal. 44. in medio.

Vti-

*Venatoribus est apud Aug.

Vtinam nemo, vtinam pauci, vtinam non publicè. Qui * proditoribus donant, quare donant? Dicant mihi. Quare donant proditori? Hoc in illo amant, in quo nequissimus est, hoc in illo pascunt, hoc in illo vestiunt, ipsam nequitiam publicam iudiciis omnium. Qui donant histrionibus, qui donant auguribus, qui donant meretricibus, quare donant? Nunquid non & ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani. Noli cum iniuria accipere, si tibi de meretricibus dicatur; Tales sint filiæ tuæ. Iniuria est, inquis. Quare iniuria est, nisi quia illa iniquitas? quare iniuria, nisi quia illa turpitudo? Non ergo donas, cùm ☞ non das fortitudini, sed turpitudini. Quomodò ergo qui proditori donat, non homini donat, sed fraudi nequissimæ; nam si homo tantùm esset, & proditor non esset, non dares; honoras in eo vitium, non naturam: sic contrà, si des iusto, si des prophetæ, si des discipulo Christi aliquid cuius indiget, & non ibi cogites quia discipulus Christi est, quia minister est Dei, quia dispensator est Dei; sed cogites ibi aliud commodum temporale, vt fortasse causæ tuæ necessarius quando fuerit, venalis tibi sit; quia ei aliquid porrexisti: tam tu non dedisti iusto, si sic dederis; quàm ille nō dedit homini, quando dedit proditori. Res ergo in promptu posita est: & puto quia etsi obscura fuit, iam manifesta est. Ad hoc Dominus te constrinxit, cū diceret: Qui receperit iustum *in nomine iusti: sufficeret enim etiam si id non adderet*. Sed quia potest recipi iustus alia intentione, cùm putatur prodesse posse ad aliquid temporale, fortè ad supplendam cupiditatem, fortè ad adiuuandum vt homo circumueniatur aut opprimatur: quia tàle ministerium de illo quæris, fortè propterea suscipis: negauit tibi mercedem iusti, nisi cum additamento. Ait enim: Qui receperit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, id est, ideo recipiens, quia iustus est: & qui receperit prophetam, sed in nomine prophetæ, hoc in illo honorans quòd propheta est; ad extremum qui dederit calicem aquæ frigidæ vni ex minimis istis, tantùm in nomine discipuli, id est, propterea quia discipulus Christi est, propterea quia dispensator Sacramenti est; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Quomodo ergo intelligis, Qui receperit iustū in nomine iusti, mercedem iusti recipiet: sic intellige, Qui receperit peccatorem in nomine peccatoris, perdet mercedem.

Matth. 10.

CAP.

CAP. XL.

Quomodo mendico petenti, & iusto non exigenti, eleemosyna sit eroganda.

1 NEmo autem dicat, Præceptum est à Christo, vt seruo 1 In Psal. 103 côc. 3. in med.
Dei detur, mendico non detur. Absit prorsus: impius
ista loquitur. Da illi qui mendicus est: sed multo magis illi *qui*
est seruus Dei. Ille enim petit, & in voce petentis * agnosce cui al. agnosces.
des. Ille autem quanto minus petit, tanto magis tibi vigilan-
dum est vt præoccupes petiturum, aut fortè modò non peti-
turum, & aliquando donaturum, vel damnaturum. 2 Et noli 2 Ibidē paulo superiùs.
dicere, Si petierit dabo. Expectas ergo vt petat? Sic pascis bo Lucæ 6.
uem Dei, quomodo transeuntem mendicum? Illi petenti das, Psalm 40
quia scriptum est; Omni petenti te da. De isto quid scriptum Lucæ 6. Psalm. 40.
est? Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Quære
ergo seruum Dei, cui des. Quomodo, inquis, quæro? Esto cu-
riosus, esto prouidus. Prospice, attende vnde vnusquisque vi-
uat, vnde se transigat, vnde habeat: non reprehendetur ista cu-
riositas tua. Curiosus esto, & intellige super egenum & paupe-
rem. Alius ad te venit vt petat: alium tu præueni ne petat.
Sicut enim de illo qui te quærit, dictum est: Omni petenti Lucæ 6.
te da: sic de illo quem * iuberis quærere, dictum est: Sudet al. tu debes.
eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum, cui eam tra- Eccl. 19
das. 3 Si enim illum, *qui forte in otio agens petit*, non contem- 3 Ibidem inf.
nis: quanto magis *non debes contemnere* bouem, per quem tri-
turatur Ecclesiæ area? quanto magis seruum tuum? Non indi-
get cibo; fortè veste indiget. Non indiget veste; fortè tecto in-
diget; fortè ecclesiam fabricat; fortè aliquid vtile in domo Dei
molitur: expectat vt attendas, vt intelligas super egenum &
pauperem. Tu contrà, terra dura, lapidea, non irrigata, aut
frustra irrigata, seruas tibi dicere; Non sciebam, non noueram,
nemo mihi dixit. Nemo tibi dixit? Christus non cessat dicere,
propheta non cessat dicere. Non vides arcam inanem præpo-
siti tui, *vel pastoris, vel æditui ædificantis Ecclesiam*: vides certè
vel surgentem fabricam, quò intraturus & oraturus es. Nónne
admouetur oculis tuis? *Si oculus tuus videt quid faciat præpo-*
situs tuus: animus tuus non videt quid desideret Deus tuus?
4 Quondam & nobiles, & diuites, & excelsi huius sæculi quo- 4 Ibidem inf.
niam cum timore audiebant; Beatus qui intelligit super ege- Psalm 40.
num & pauperem; attenderunt res suas, villas suas, & omnes
super-

superfluas copias, quibus videbantur excelsi; & præbuerunt illas seruis Dei: dabant agros, dabant hortos, ædificabant ecclesias, monasteria. Præbebant ista, faciebant hæc, & libenter faciebant. Nouerant quid faciebant, nouerant quid accipiebant. 5 Nouerant enim spem suam non esse in auro & argento, neque in illis rebus, quibus ad tempus circumfluere videbantur. Sufficiebat vt diuitiæ non illos perderent, vt non obessent satis erat: nam prodesse nihil possunt. Planè prodest opus misericordiæ, & in diuite & in paupere: in diuite, ex voluntate & opere; in paupere, ex sola voluntate.

Aliud his temporibus videtur.

5 In Psal. 25. in princ. expos.

Cap. XLI.

Bona voluntas idem præstat quod magna facultas.

1 IN isto ergo tempore, vt nosceremus quantum nobis commendet Deus opera misericordiæ; etiam ipsos suos sanctos egere facit: vt cùm fiunt hic amici de mammona iniquitatis, recipiant & ipsi amicos suos in æterna tabernacula; id est, vt cùm serui Dei pij, dum iugiter Deo vacant, aliquoties indigent, illi qui habent mundi diuitias, eleemosynas largiantur. Quomodo eos participes faciunt in terrena substantia; sic cum illis partem habere * merebuntur in vita æterna. 2 Hoc dixi, vt seminationis nostræ mercedem, non isto tempore, quo seminamus, speremus. Hîc enim bonorum operum messem cum labore serimus; sed in futuro, fructus illius cum gaudio colligemus, secundum illud quod scriptum est: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autē venient cum exultatione, portantes manipulos suos. 3 Opera ergo bona misericordiæ, semina nostra sunt; de quibus seminibus ait Apostolus: Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim proprio metemus infatigabiles. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Loquens itaque de ipsis eleemosynis, quid ait? Hoc autem dico, qui parcè seminat, parcè & metet: & qui nihil seminat, nihil metet. Quare desideras latos fundos, vbi multa semina semines? Latior tibi non est, vbi semines, quàm Christus, qui in se voluit seminari. Terra tua, Ecclesia est: semina quantum potes. Sed parum habes vnde facias. Habes voluntatem? Quomodo nihil esset quod habes, si non adesset bona voluntas: sic & quia non habes, noli esse tristis, si est tibi bona voluntas. Quid enim seminas? Misericordiam. Et quid

1 D. August. Hom. 16. inter 50. Luc. 16.

al. merentur. ibidē infra.

Psalm. 125.

3 In psal. 125. in medio. Galat. 6.

2 Cor. 9.

quid metes? Pacem. Nunquid autem dixerunt Angeli, Pax diuitibus hominibus in terra? Nequaquam; ſed, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. In vidua magna voluntas. In Zacchæo magna voluntas; multum dedit, multum ſeminauit. Ergo vidua illa, quæ duo minuta miſit, parum ſeminauit? Imò tantum, quantum Zacchæus. Minores enim facultates ferebat, ſed parem voluntatem habebat. Miſit duo minuta de tanta voluntate, de quanta Zacchæus dimidium patrimonij ſui. Si attendas quid dederunt; diuerſa inuenies. Si attendas vnde dederunt; paria inuenies. Quicquid habuit dedit illa: & quod habuit dedit ille. Fac aliquem non habere vel duos nummos. Eſt aliquid vilius, quod ſeminemus, vt metamus illã meſſem? Eſt. Calicem aquæ frigidæ qui dederit diſcipulo, non perdet mercedem ſuam. Calix aquæ frigidæ non duobus nummis, ſed gratis conſtat. Tamen aliquãdo ſic gratis cõſtat, vt habeat illum alius, & alius non habeat. Si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non habet: tantum dedit, ſi de plena charitate dedit, quod dedit; tantum dedit, quantum illa in duobus nummis; quantum Zacchæus in dimidio rerum ſuarum. Non enim ſine cauſa addidit, frigidæ; vt pauperem oſtenderet. Ideo dixit; Calicem aquæ frigidæ, ne quis vel inde cauſaretur, quòd lignum non habuerit, vnde calefaceret aquam. Quid ſi nec hoc habeat? Securus ſit. Et ſi nec hoc habet: pax in terra hominibus bonæ voluntatis; tantum illud timeat, ne habeat, & non faciat. Quid valent tanta bona, quæ poſſidemus? Accedat voluntas, etſi nihil habebat, totum illi computatur. Quanta ſibi præſtant mendici? Certè mendici ſunt, in quos facis eleemoſynam: mendici egent. Attendis fortè fratres tuos, ſi aliquò egent: tribuis, ſi eſt in te Chriſtus, etiam exteris. Sed ſi illi ſunt mendici, qui profeſſionem habent petendi in ærumna, & ipſi habent, quod ſibi præſtent inuicem. Non illos deſeruit Deus. Vnde probentur, quia faciunt eleemoſynas? Iſte non poteſt ambulare: qui poteſt ambulare, pedes ſuos accommodat claudo. Qui videt, oculos ſuos accommodat cæco. Et qui iuuenis eſt & ſanus, vires ſuas accommodat vel ſeni, vel ægroto, & portat illum. Ille indiget, ille diues eſt. Aliquando & diues inuenitur pauper, & à paupere præſtatur illi aliquid. Venit neſcio quis ad flumen, tanto delicatior, quanto ditior: tranſire non poteſt. Si nudatis membris tranſierit, frigeſcet, ægrotabit, morietur. Accedit pauper exercitatiore corpore, traiicit diuitem;

Vide in pſal. 118. in med.
Luc. 2.
Luc. 21.
Ibidem. 19.
Matth. 29.
Vide Ser. 227. de Temp. in princ. & 62.
Lucæ 2.

diuitem; eleemosynam facit in diuitem. Ergo noli tantùm eos putare pauperes, qui non habent pecuniam. In quo quisque pauper est, ibi illum vide: quia fortè tu in eo diues es, in quo ille pauper est, & habes vnde accommodes. Fortè membra tua accommodas, & plus est quàm si pecuniam accõmodares. Consilio indiget: tu plenus es consilio. In consilio ille pauper, tu diues es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis: consilium das, & præstitisti eleemosynam. Sic se ergò tenet corpus Christi, membra socia sic compinguntur & adunantur in charitatem, & in vinculum pacis, cùm quisque id quod habet, præstat ei qui non habet: in eo quod habet, diues est. *Si in illo bona voluntas est.* [4] Pauper est fortè in arca, sed diues est in conscientia.

4 Hom. 8. inter 50.

Pauper est in domo, sed diues est in animo. An fortè nihil habet, quia bonam voluntatem habet? Audi nato Domino clamantes angelos: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Lucæ 2.

CAP. XLII.

Bona voluntas charitas est, sine qua diuites pauperes; in qua pauperes diuites sunt.

1 Ibidem inf. 1 Cor. 13.

[1] Bona proinde voluntas, ipsa dicitur charitas. Et quid ait Apostolus? Si distribuero omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Totum ergo habet, qui bonam voluntatem habet. Ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest quicquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit. Cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit. Si haberes in domo tua thesauros, vnde securus esses, gauderes & exultares in corde tuo: habes bonam voluntatem, & tristis es? In arca posses timere furem; in corde tuo quem times? [2] Magnæ ergo sunt diuitiæ charitatis, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Nam diues si charitatem non habeat, quid habet? Quamlibet grandis substantia eius sit, sine charitate inanis & vacua est. Charitas enim etsi de terrenis facultatibus nihil habeat, plena est. Vnde quamlibet quis copiosas diuitias habeat, si charitas in illo non fuerit, nihil boni ex illis facere poterit, sine qua vera & cælestium virtutum matre magistra, quid facere debeat, & quando vel quantum dare debeat, omnino nõ nouit. Et ideo quantum potest, elaboret, vt habeat charitatem, vt habeat lucem, vt habeat oleum. Charitas oleo comparatur. Nam quo-

2 Ser. 42. de Temp. post initium.

uomodo oleum omnibus humoribus ſuperius eſſe cognoſcimus; ita charitas omnibus virtutibus ſublimior comprobatur. Nam ſi aliquis habeat infinitas diuitias,& non habeat charitatem; ſic eſt, quomodo ſi habeat plures lucernas,& multas lampades, pinguedinem non habentes. 3 Si autem ſit in eo ſola charitas, quæ non inueniat quod diſtribuat pauperibus, diligat ſolum. Calix aquæ frigidæ tantum illi imputabitur, quantum Zacchæo, qui dimidium patrimonij donauit pauperibus. Quare hoc? Ille modicum dedit, ille tam multum dedit; & tantum illi imputabitur? Tantum planè. Impar enim facultas, ſed non impar charitas. Tametſi enim 4 pauper eſt, *qui charitatis virtute redundans eſt*, etiam ſic diues eſt. Tu autem ad diuitias eius pios oculos intende. Reſpicis enim arcam inanem, conſcientiam Deo plenam non reſpicis? Non habet *quam videas* extrinſecus facultatem, ſed habet intrinſecus *quam non vides*, charitatem. De charitate quãta erogat,& non finitur? Etenim ſi habet foris facultatem, dat ipſa charitas; ſed ex eo quod habet. Si autem non inuenit foris quod det; dat beneuolentiam, præſtat conſilium ſi poteſt, præſtat auxilium ſi poteſt. Ad extremum, ſi nec conſilio, nec auxilio adiuuare poteſt; vel voto adiuuat, vel orat pro contribulato: & fortè magis ipſe exauditur, quàm qui porrigit panem. Habet ſemper vnde det, cui plenum pectus eſt charitatis. Ipſa eſt ergo charitas, quæ dicitur & voluntas bona. Plus à te Deus non exigit, quàm quod tibi intus dedit. Vacare enim non poteſt voluntas bona. Non enim habens voluntatem bonam, etſi numus tibi ſuperſit, non porrigis pauperi: ipſi inter ſe pauperes, vt diximus, præſtant ſibi de voluntate bona: non ſunt *immiſericordes* inter ſe, nec infructuoſi, *ſi fuerint iuſti. Iuſtus enim miſeretur & commodat, inquit Pſalmus*. Vides cæcum duci à vidente: quia numos non habuit, quos daret egenis, commodauit oculos non habenti. Vnde hoc factum eſt, vt membra ſua commodaret ei qui non habet, niſi quia intus inerat voluntas bona, theſaurus pauperum? In quo theſauro dulciſſima requies, & vera ſecuritas: ad ipſum amittendum nec latro admittitur, nec naufragium metuitur. Seruat ſecum quod intus habet: nudus euadit, & plenus eſt. *Sed quomodo plenus? Quia iuſtus. Et vnde iuſtus, niſi quia charitas Dei tam abundanter diffuſa eſt in corde eius, vt etiam miſericorditer effluat ad ſubleuandum proximum in quacunque neceſſitate.*

3 In Pſal. 131. ante finem.

Matth. 10.

4 In Pſal 36. cõc. 2. in med.

Pſalm. 111.

Cap. XLIII.

Epilogus siue recapitulatio eorum quæ tractata sunt in Capitibus præcedentibus.

1 D. August. ser 114. de Temp. in fine

QVapropter [1] in istis bonis operibus misericordiæ, gratuita sit dilectio Dei, benefica sit dilectio proximi. Deo enim quod præstemus, non habemus: sed quia proximo habemus quod præstemus, præstando indigenti, promerebimur abundantem. Inde vnusquisque quod habet, præstet alteri: quicquid plus habet, largiatur inopi. Alius habet pecuniam; pascat pauperem, vestiat nudum, ædificet ecclesiam, operetur de pecunia quicquid boni potest. Alius habet consilium; regat proximum, pellat tenebras dubitationis luce pectoris. Alius habet doctrinam; eroget de cellario Domini, ministret conseruis cibaria, confortet fideles, reuocet errantes, quærat perditos; quantum potest, faciat. Alius claudo pedem accommodet, alius cæco suos oculos duces præbeat. Alius visitet infirmum, alius sepeliat mortuum. Sunt ista in omnibus: vt prorsus difficilè inueniatur aliquis, qui nō habeat, vnde alteri aliquid præstet. Et illud extremum & magnum, quod ait Apostolus, Inuicem onera vestra portare, & sic adimplebitis legem Christi. *Sed lex Christi quæ est? Audi: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Et rursum: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Galat 6. Ioan. 13. Ibidem. 15.

2 In Psal. 121. vltra mediū

[2] Interroget ergo se vnusquisque, qualis est erga pauperem sanctum *sua dilectio*, erga indigentem fratrem; qualis est erga indigentem mendicum. Videas si viscera tua non sunt angusta.

3 Tom. 9. Tract. 5. in Epist. Ioan. in fine.

[3] Si nondum es idoneus mori pro fratre, iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Iam percutiat viscera tua charitas, vt non de iactantia tua facias, sed de intimo adipe misericordiæ: vt consideres illum in egestate positum. Si enim superflua tua non potes dare fratri tuo; animam tuam potes dare pro fratre? Iacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre: & si illam non auferant fures, moriendo illam deseres, etiam si re illa viuentem non deserat. Quid inde facturus es? Esurit frater tuus, in necessitate positus est: forrassis suspenditur à creditore, angustiatur. Non habet ipse, habes tu: frater est, simul empti estis; vnum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis: *ambo ex Adam nati, ambo ex Deo renati.*

Vide

Vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, fortè dicis? Ego daturus sum pecuniã meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio patris non in te manet: *non manet in te dilectio proximi; & iam oblitus es quod Apostolus præcepit: Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Si dilectio patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo ergo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes. Quid tibi prodest nomen, vbi res non inuenitur? *Et res vbi quærẽda, nisi vbi nata, & enutrita charitas est? Magna autem charitas non ex syllabis ponderatur, sed ex operibus comprobatur,* [4] sicut scriptum est in Euangelio de Zacchæo: statura breuis, sed magnus in opere: & sicut scriptum est de illa vidua, quæ duo minuta misit in gazophylacium: breuis pecunia, sed magna charitas. *Charitatem quicunque corde possederit, etsi pauper sit, plenus est, non inanis. Vnde* [5] bonum est diuiti, *qui hanc non habuerit,* vt agnoscat se pauperem. Si enim plenum se putat, tumor est illi, non plenitudo. Agnoscat se inanem, vt possit impleri. Quid habet? Aurum. Quid nondum habet? *Charitatem.* Attendat quid habet, & videat quid nondum habeat. Ex eo quod habet, det; vt accipiat quod non habet: Emat ex eo quod habet, illud quod non habet. *Habet pecuniam, emat gratiam; habet terrenam substantiam, emat vitam æternam. Profundat iniquitatis thesaurum, vt adoptionis spiritum hauriat, qui nos tanquam filios suos vocat in regnum Christi, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris:* [6] in quo etiam clamamus; Abba pater. Et quoniam, quod vocamur ad æternam hæreditatem, vt simus Christi cohæredes, & in adoptionem filiorum veniamus; non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei: eandem ipsam gratiã in orationis *Dominicæ* principio ponimus, cũ dicimus, Pater noster: quo nomine & charitas excitatur. Quid enim charius filiis debet esse, quã pater? Est supplex affectus, cùm homines dicunt Deo, Pater noster; & quædã impetrandi præsumptio, quæ petituri sumus, cùm prius quã aliquid peteremus, tam magnum donũ accepimus, vt sinamur dicere, Pater noster, Deo. Quid enim iam non det filiis petentibus, cùm hoc ipsum antè dederit, vt filij essent? Postremò, quãta cura animũ tangit, vt qui dicit, Pater noster, tanto patre nõ sit indignus? Si enim quisquam plebeius, senatorem grandioris ætatis ab eo ipso patrem vocare permittatur,

Galat. 6.
4 In Psal. 118. in medio.
Luc. 19.
Luc. 21.
5 In Psal. 126. vltra mediũ.
Rom. 5.
6 Tom. 4. li. 3. de Ser. Dom. in monte, à princip.
Matth. 6.

sine dubio trepidabit, nec facile audebit, cogitans humilitatem generis sui, & opum indigentiam, & plebeiæ personæ vilitatem. Quanto ergo magis trepidandum est, appellare Patrem Deum, si tātæ sunt labes, tantæque sordes in moribus, vt multo iustius eas à sua coniunctione Deus expellat, quàm ille senator cuiusuis mendici egestatem? Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quò & ipse potest, rerum humanarum fragilitate, deuenire. Deus autem in sordidos mores nunquam cadit: & gratia misericordiæ ipsius, qui hoc à nobis exigit, vt pater noster sit, quód nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest.

CAP. XLIIII.

Diuites agnoscant se pauperum esse fratres: quia vnum diuitem patrem habent in cælo.

1 ADmoneantur etiam hîc diuites, vel genere nobiles secundùm sæculum, cùm veri Christiani facti fuerint: non superbire aduersus pauperes & ignobiles: quoniam simul dicunt Deo, Pater noster: quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant. 2 Sub isto patre, fratres sunt Dominus & seruus: sub isto patre, fratres sunt imperator & miles: sub isto patre, fratres sunt diues & pauper. Omnes Christiani fideles diuersos in terra habent patres, alij nobiles, alij ignobiles: vnum verò patrem inuocant, qui est in cælis: 3 nam omnes dicimus Deo, Pater noster, qui es in cælis. 4 Quanta dignatio? Hoc dicit imperator, hoc dicit mendicus, hoc dicit seruus, hoc dicit dominus eius. Simul dicunt, Pater noster qui es in cęlis. Intelligāt ergo se esse fratres, quando vnum habent patrem: & non dedignetur fratrem habere seruum suum dominus eius, quem fratrem voluit habere Dominus Christus: 5 non dedignetur frater pauperis appellari. Quantūcunque enim diues sit, ditior est Christus, qui fratres suos esse voluit, pro quibus sanguinem fudit. 6 Quando dicis tali homini? Frater tuus est iste pauper, eosdē parētes habuistis Adam & Euam: noli attendere tumorem tuum, noli attendere typhum tuum, in quo eleuatus es: etsi te circumstant familiæ, etsi numerosum aurum & argentum, etsi domus marmorata continet, etsi tecta laqueata contegunt: simul te & pauperem contegit tectum mūdi cælum: sed diuersus es à paupere rebus non tuis, extrinsecus appositis. Te in illis vide, non illa in te. Atte nde

1 To. 4. li 2. de Ser. Domini in monte, à princip. Vide Ser. 182. de Temp. in medio.
2 Ser. 135. de Tempore.
3 To. 9 Tract. 17. in Ioan. in fine.
4 D. August. Hom 42. in initio. Vide Ser. 126. de Temp. in initio.
5 D. August. Serm 232 de Tempore. Vide To. 9. li. de Disc. christ. ca. 1. & Ser. 91. inter diuers. impress. à Plantino
6 In Psal. 72. in medio Vide To. 4. li. Quęst. veteris test. quæst. 32.

Attende teipsum, qui sis ad pauperem: teipsum, non quod habes. Quid enim despicis fratrem? In visceribus matrum vestrarum ambo nudi fuistis. Certè etiam, cùm de ista vita exieritis, & istæ carnes, exuta anima, fuerint putrefactæ, dignoscãtur ossa diuitis & pauperis. De cõditione loquor æquali, de ipsa sorte generis humani, in qua omnes nascuntur. Et diues enim hîc fit, & pauper non semper hîc erit. Et sicut diues non venit diues; sic nec diues abscedit. Idem ipse est vtriusque introitus, & par exitus. 7 *Ambo nudi nascuntur*, ambo infirmi, ambo miseram vitam inchoantes; ideo ambo plorantes, *& nudi hinc ambo discedentes*. Ecce recole diues primordia tua: vide vtrum huc aliquid attuleris. Iã venisti, & tanta inuenisti: dic, rogo te, quid attulisti? Dic, quid attuleris: aut, si dicere erubescis, Apostolum audi: Nihil intulimus in hunc mundum. Nihil attulisti, nihil hinc auferes: quid te inflas contra pauperẽ? Quando nascuntur infantes, recedãt de medio parentes, serui, clientes: recedant de medio turbæ obsequentes, & agnoscantur pueri diuites flentes. Pariant simul diues & pauper, non attendant quod pariunt, discedant paululum, redeant & agnoscãt. Quod dixi de natis, hoc dico de mortuis. Certè quando casu aliquo vetera sepulchra franguntur, ossa diuitis cognoscuntur? *Nequaquam*. 8 Quare ergo se tendit homo ad hominem, cùm ambo sint caro? Quid enim est homo? Caro. Et quid est alter homo? Altera caro. Et tamen caro diues extendit se contra carnem pauperem, quasi aliquid caro illa attulerit quando nata est, aut aliquid auferat quando moritur. Ad hoc plus habuit, vt plus tumeret, *& nihilominus indigeret*.

7 D. August. Ser. 5. de verb. Domini in medio. Vide Tom. 9. Tract. de Recitud. Cath. conuers. in med. & Ser. 41. in fine. 1. Tim. 6.

8 In Psal. 138. ante mediũ.

CAP. XLV.

Diuitiarum inexplebilis cupiditas non extinguitur habendo, sed magis accenditur.

QVis enim dicitur diues in hac terra? Quando laudatur diues; quid dicitur? Multum diues est, nihil illi deest. Laus certa laudantis illa est. Nam ista non est, cùm dicitur; nihil illi deest. Attende si nihil deest. Si nihil cupit, nihil illi deest. Si autem adhuc cupit maiora quàm quæ habet: ad hoc accesserunt diuitiæ, vt egestas cresceret. 2 Non sunt ergo illæ diuitiæ, sed mendicitas; quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia & auaritia. 3 Vnde bene quidam dixit:

1 In Psal. 132. in fine.

3 Ser. 10 de Sãctis ante finẽ.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Cum pecuniæ enim incremento, rabies cupiditatis augetur. Nam omnes auari vel cupidi, velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus, quantum plus bibit, tantum amplius sitit: ita auarus vel cupidus acquirendo non satiatur. *Proinde, cùm Dominus Iesus hydropicum esset curaturus, quem ante se videbat in domo Principis Pharisæorum, diceretque ad eos: Cuius vestrum bos aut asinus in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi?* [4] congruenter hydropicum animali quod cecidit in puteum, comparauit: humore enim laborabat: sicut & illam mulierē, quam decem & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione soluebat, comparabat iumento quod soluitur vt ad aquam ducatur. Hydropicum ergo rectè comparamus diuiti auaro. Sicut enim ille, quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit: sic iste, quanto est copiosior in diuitiis, quibus non bene vtitur, tanto ardentiùs talia concupiscit. Sed [5] quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cùm ipsæ beluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt: parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem. Inexplebilis est sola auaritia diuitum: semper rapit, & nunquam satiatur. [6] Quomodo ergo sunt diuitiæ, quibus crescentibus, crescit inopia? quæ amatoribus suis, quanto fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? Diuitem tu putas; qui minus egeret, si minus haberet. Nam videmus quosdam, cùm haberent pecuniam paruam, paruis lucris fuisse lætatos: sed posteaquam cœpit eis abundare verum quidem corpus auri & argenti, sed tamen falsæ diuitiæ: cùm parua obtuleris, iam recusant. Credis eos iam esse satiatos: sed falsum est. Nam maior pecunia fauces auaritiæ non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit. Poculum respuunt, quia fluuium sitiunt. Vtrum ergo ditior aut egentior dicendus est, qui, cùm ideo voluit habere aliquid, ne indigeret, ideo plus habet, ne minus indigeat?

Lucæ 14.

4 Tom. 4. li. 2. Euang. quæst. quæst. 29. Luc. 13.

5 Ser. 25. de verbis Dom.

6 Ser. 19. inter impress. Lou. nunc est 15. inter diuers. impress. anno 1576.

CAP. XLVI.

Collatio inter externas & internas diuitias; & magna earum differentia.

[1] SEd diuitiæ, inquis, habent abundantiam. Imò plus diuites egent, quanto plus habent: desideriis vastantur, cupiditatibus dissipatur, timoribus cruciantur, tristitia cōtabescunt.

1 In Psal. 29. in fine expos. 2.

Quæ

Quæ illa abundantia? [2] Et quid miraris? Infelix anima abūdat? [2] In Psal. 138. ante finem.
At verò Christianus homo non debet abūdare, sed pauperē se
debet cognoscere. Etsi habet diuitias, scire debet quia nō sunt
illę veræ diuitię, vt alias desideret. Qui enim diuitias falsas de-
siderat, veras non quærit. Qui autem veras quærit, adhuc pau- Psal. 68.
per est; & rectè dicit; Pauper & dolens ego sum. [3] Talibus *di-* [3] D. August. Ser. 36. de ver. Dom. in med.
uitiis nudus Iob abundabat, quando in Deum cor plenum ha-
bebat, & laudes Deo, perditis omnibus rebus, tanquam gem-
mas pretiosissimas proferebat. Ipsæ sunt veræ diuitiæ, *gratia-
rum actiones*. Istæ autem, ab iniquitate appellantur diuitiæ.
Habes illas; non reprehendo: hæreditas venit: pater tuus diues
fuit, & dimisit tibi. Honestè acquisisti, de iustis laboribus ple-
nam domum habes: non reprehendo. Tamen etiam sic non
illas dices diuitias. Nam si dicis illas diuitias, amabis illas. Et
si amaueris illas, peribis cum illis: perde ne pereas; dona vt
acquiras; semina vt metas. Has diuitias noli appellare, quia
veræ non sunt: paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casi-
bus. Quales diuitiæ sunt, propter quas latronē times, propter
quas times seruum tuum, ne, te occiso, auferat & fugiat? Si verę
diuitiæ essent, securitatem tibi darent. Ergo illæ sunt veræ di-
uitiæ, quas cùm habuerimus, perdere nō possumus: [4] id est, bo- [4] D. August. Serm. 95. de Tempore.
na conscientia, iustitia, misericordia, castitas, sobrietas. Qui ta-
libus rebus plenus est, diues erit, etiam si de naufragio nudus
exierit. [5] Nam aliquando perdunt omnia homines in mari, & [5] In Psal. 124. in medio.
nudi exeunt. Multi naufragauerunt cum Paulo. Amatores Act. 27.
huius sæculi passi sunt naufragium; & nudi omnes exierunt:
illi, & quod foris habebant, amiserunt, & domum cordis sui
inuenerunt inanem. Paulus autem in corde ferebat patrimo-
nium fidei suæ, quæ nullis fluctibus, nullis tempestatibus po-
tuit auferri: nudus exiit, & diues exiit. Tales diuitias debemus
quærere. Sed non eas video, dicis mihi. Stulta anima, non eas
vides oculis carnis tuæ. Habeto oculum cordis, & videbis eas.
Sed non vides fidem. Quare illam vides in altero? Quare cla-
mas, quando tibi frangitur, si non eam vides? Frangit tibi ali-
quis fidem, clamas: [6] O fides; vbi est fides? Amas eam, vt exi- [6] In psalm. 30. conc. 25 post initium.
gas: ama, vt exhibeas, *& oculo cordis videbis eam*. [7] Quid ergo
quæris diuitias, quæ oculis humanis & carneis blandiuntur?
Lucet aurum, sed plus lucet fides. Elige quid in corde habere [7] D. August. Serm. 212. de Temp in me.
debeas. Intus plenus esto, vbi diuitias tuas Deus videt, homo [8] In Psal. 33. cōc. 2. in med.
non videt. [8] Cùm enim repletus fueris istis spiritualibus

 diuitiis,

diuitijs, pauper eris? Et ille diues ideo fuit, quia habebat lectum eburneum: & tu pauper es, cuius cubiculum cordis plenum est tantis gemmis virtutum, iustitiæ, veritatis, charitatis, fidei, patientiæ, & tolerãtiæ? Explica has diuitias tuas; habes illas, & compara diuitiis diuitum. At ille in mercato inuenit mulas pretiosas, & emit eas. Si fidem inuenires venalem, quantum pro illa dares, quam te voluit Deus gratis habere; & ingratus es? Si pro terrenis bonis tantos labores, & tam grauia pericula homines æquo animo patiuntur: quare pro fide, *pro constantia, pro integritate* thesauro æterno sumus pigri? Quare sumus timidi pro illis diuitiis, quas nec naufragia nobis possunt auferre?

9 Ser. 105. de Temp. prope finem.

[9] His diuitiis plenus erat ille sanctus Iob. Nihil in domo remanserat, omnia vno ictu perierunt, quibus opulentus paulo antè videbatur, subitò mendicus in stercore sedit, à capite vsque ad pedes vermibus scatens. Quid ista miseria miserius? Quid interiore felicitate felicius? Perdiderat omnia illa quæ dederat Deus; sed habebat ipsum qui omnia dederat, Deum, *vnde verè intus diues erat.*

10 Ex millelo. Ser. 10. de sanctis.

11 Ser. 19. inter impress. Lou.

[10] Studeas ergo amare veras diuitias, id est, castitatem & iustitiam, pacem & misericordiam. Istæ enim iustæ dicuntur diuitiæ, quia bonis meritis, iustisque tribuuntur: [11] veræ dicuntur diuitiæ: quia quisquis eas habuerit, non egebit. Istæ verò, iniustæ diuitiæ, non quia iniustum est aurum & argentum: sed quia iniustum est, eas putare diuitias, quæ non auferant egestatem. Tanto enim magis ardebit quisque egestate auaritiæ, quanto magis eas diligens, maiores habuerit.

CAP. XLVII.

Conclusio huius Libelli, qua & ostenditur angelorum diuitias alias esse quàm hominum; qui ob magnam indigentiam multa quærunt.

1 Serm. 74. de Temp. ante finem.

2 Ex Millelo. Tract. in vlt. cap. Prouerb.

[1] QVare verò multum habent diuites? Quia multum indigent. Maior *infirmitas & indigentia* quasi maiores comparat facultates. *Si enim diues infirmus non esset, tam multis medicamentis opus non haberet. O homo, tolle tibi quicquid in te infirmum est: & diuitias istas nõ requires. Sed* [2] cõparas nuc diuitias quaslibet terræ huius, obnoxias furibus & tineis. Quid te iactas? quia infirmus es, ideo tibi sunt multa necessaria? Opus est multũ vestiaris, quia frigus pati non potes: iumentis vtaris, quia pedibus ambulare non potes. Ista fulcimenta sunt infir-

infirmitatis, non ornamenta potestatis. Quæ illæ diuitiæ sunt angelorum? Vnam vestem habent lucis; nunquam teritur, nunquam sordidatur. Illæ sunt veræ diuitiæ, *quæ apud angelos in cælo sunt*, vbi nulla erit indigentia. 3 Illic ipsa indigentia morietur. Tunc verè diues eris, quando nullius indigens eris. Non tu diues, & angelus pauper, qui non habet iumenta, & rhedas, & familias. Quare? Quia non indiget; quia quanto fortior, tanto minus indigus. Ergo ibi diuitiç, & veræ diuitiæ. 4 An verò quilibet diues çquabitur angelis? Angeli verè diuites sunt. Quid dicuntur diuitiæ? Facultates. Angeli habent magnas facultates, qui habent magnas facilitates. Audis; cum laudatur diues: quantum magnus est, dominus est, diues est, potens est. Quantum magnum? Vt eat quò vult; iumenta adsunt, sumptus adsunt, serui adsunt, ministeria adsunt. Omnia ista habet diues: quò vult it, laborem nõ patitur. Angelus vbi voluerit, ibi erit; nec dicit, Iunge; nec dicit, sterne: quod cum superbia dicunt diuites: & tumescere inde volunt, quia habent quibus dicãt, Iunge, & sterne. Infelix, verba ista sunt infirmitatis, non facultatis. *Vis hoc videre?* 5 Primò enim hæc ad necessitatem implendam homo quærit. Cùm autem hæc abundauerint, incipit & superbire de talibus. Tale est hoc, ac si se vulneratus quis iactet, quia habeat multa emplastra in domo, cùm hoc illi bonum esset, vt vulnera non haberet, & ne vno quidem indigeret emplastro. *Vulnera fortè in corpore, tu qui diues es non habes sed habes in corde desideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitũ & perditionem. An hinc inflari vis, quia, cùm mergi incipis, peris? Cur non magis detestaris infirmitatem istam, quæ te non ditiorem, sed superbiorẽ facit?* 6 Quid tibi prodest medicina infirmitatis? Superbus diabolus tanquam angelus, non habet carnem *infirmam, & tamẽ cecidit:* tu autem, qui accepisti infirmam carnem, *peccatis multis obnoxiam*, (& nec hoc tibi prodest, vt tanta infirmitate humilieris) sicut vnus ex principibus cades; *& mergeris in interitum, si non à peccatis, in ipsis diuitiis contractis, libereris.* 7 Certè enim multa peccata videntur ad diuites pertinere. Cum enim plus agunt, & plus administrant, & plus ad eos pertinet res familiaris & ampla: difficile est vt nõ plura peccata contrahant. Et ideo de illis dictum est, Quia facilius est intrare camelũ per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. Et cùm contristati essent discipuli pro illis de quibus iam desperábãt,

3 Ser. 74 de Temp. ante finem.

4 Ser. 1. inter impres. Louan. in fine.

5 To. 4. lib. 2. Euangelic. Quæstionum quæst. 29.

1 Tim. 6.

6 In Psal. 38. vlt. medium.

Psalm. 81.

7 In Psal. 132. ante medio.

Matth. 19.

consolatus est eos Dominus; dicens: Quæ hominibus impossibilia sunt, Deo facilia sunt. Quomodo autē illud facile facit Deus? Audi Apostolum, si nō negligas quod præcepit: Præcipe
1 Tim. 6. inquit, diuitibus huius sæculi, non superbè sapere. Innenis enim pauperem superbientem, diuitem humilem, Christianum bene considerantem quia illa omnia prætereunt & præterfluunt; quia nihil attulit in hunc mundum, nihil potest de
Luc. 16. mundo auferre, cogitantem quemadmodum diues ille qui ardebat in flammis apud inferos, guttā sibi distillari de digito desiderauit eius qui micas de mensa eius concupierat. Cogi-
1 Tim. 6. tans ista, facit quod ait Apostolus: Neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia, abundanter ad fruendum. Diuites sint, inquit, in operibus bonis: facilè tribuant, communicent, thesaurizent. Et quid inde illis lucri? Thesaurizent sibi fundamentum bonum, vt apprehendant vitam æternam. *Sic enim fiet, vt facilè intraturi sint per foramen acus in cælum: si tamen de diuitiis suis non præsumpserint; si non inde superbierint: sed eo se magis humiliauerint, quo*
1 In Psalm. 85 in init. expos. *se viderint infirmiores.* 1 Disce ergo, ô *Christiane*, esse humilis, siue qui habes aliquid in isto sæculo; siue qui non habes. Nam & hominem mendicum inuenio superbientem: & hominem
Iacobi 4. superabundantem diuitiis inuenio *se humiliantem*. Resistit Deus superbis, & holosericatis & pannosis: humilibus autem dat gratiam. Et habentibus aliquam substantiam huius sæculi, & non habentibus interior *in corde* inspector est Deus. Ibi appendit, ibi examinat; stateram Dei non vides, cogitatio tua in illam leuatur. Proinde, quicquid est circa te, vel in te, vnde posses præsumere, abiice à te: & tota *spes & præsumptio, & exultatio* tua, Deus sit: illius indigens esto, vt ipso implearis. Quicquid enim aliud habueris sine ipso, latius inanis eris.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM SEQVENTIS LIBRI,

CAPVT PRIMVM.

QVIBVS modis nos vocet ad pœnitentiam Deus, ut & præsentem & futuram eius iram euadamus.

2. *Quanta Dei misericordia, cum hic flagellat nos: quia non ab eius testamento excludimur flagellati, sed à gehenna liberamur.*

3. *Quare in hac vita minus mali quàm boni flagellentur: & quid boni de malis faciat Deus.*

4. *Quicquid patitur bonus à malis, Deo deputari debet, nō malis: quia ipsi quidem malefaciendi voluntatem habent, sed non potestatem.*

5. *Sicut homo non potest nocere, nisi permissus à Deo: sic ne ipse Diabolus: quod patet exemplo Iob.*

6. *Diabolus malleus est, quo sancti tunduntur, & producuntur, ut velut tubæ ductiles fortius Dei laudes resonent.*

7. *Sæuitia Diaboli obest Diabolo, quo bene utitur Deus, ut vel malos puniat, vel probet bonos.*

8. *Quæ potissimum Ægyptiorum plagæ per malos angelos factæ fuisse credendæ sunt.*

9. *Diaboli potestas magna videtur: sed quantum inde perdiderit, ostenditur per quandam similitudinem.*

10. *Dei flagella, quibus erudimur ad magnam hæreditatem, recusanda non sunt; cùm & unicus Dei filius fuerit flagellatus.*

11. *Non de flagello, sed de peccato est dolendum; & cura pro eo gerenda, ut tollatur, & sanetur.*

12. *Cor magis sanandum est, quàm corpus; cuius sanitas etiam à Deo non ab alio est expetenda.*

13. *Deus, dum hominem foris castigat, tanquam iumentum suum domat flagellis suis.*

14. *Vapulant hic omnes, quicunque nati sunt ex Adam, siue miserè viuant, siue feliciter.*

15. *Flagella Dei quid boni importent & peccatoribus & iustis.*

16. *Disciplina Dei ferenda est ei, qui exhæredari non vult: & peccata, licet minima, defendenda non sunt; sed purganda confessione, & bonis operibus diluenda.*

17. *Propter peccata quotidiana, etiam pœnitentia quotidiana agenda est.*

18. *Quantum periculum sit non curare minuta & leuia peccata, ostenditur quibusdam similitudinibus.*

19. *Quàm facilè peccatum admittatur; etiam in ipsis orationibus, dum a se fugit & distrahitur cor hominis.*

20. *Iustum est, ut homo qui peccauit, confiteatur suum peccatum, & illud odio habeat, quia Deus odit: quo facto fit similis Deo.*

21. *Per confessionem peccati, quomodo pax conficienda cū Deo: & homo quomodo secum bellum hic gerat; cuiusq. dono fiat ut sibi peccatum displiceat.*

22. *Peccatum omne puniendum est: & homo si quando illud in se punit, iustus fit, etiam si ex parte peccator sit: nec odit se, cum sic sæuit in se.*

23. *Prædictorum epilogus, quo etiam declaratur quàm iniquè & peruersè multi sua peccata defendāt; quò Deus iniustus, ipsi iusti videantur.*

24. *Idem & hic ostenditur per recapitulationem.*

25. *Nonnulli sic defendunt peccata sua, ut dicant illa placere Deo: & hi utique negant esse Deum, non quidem ore, sed corde.*

26. *Superbus est, qui sua peccata defendit quacunque ratione, siue fallacia; &*

in

in quoddam profundum se demergit, à quo non facilè potest erui.

27. *Quid soleat peccator dicere, qui in profundum malorum venit: sed ne talis desperet, consolatione reuocatur, & exemplo Dauidis ad spem veniæ erigitur.*

28. *Refellitur opinio eorum qui dicunt promissa spe veniæ, magis homines peccare: & ostenditur, quod & spes, & desperatio timendæ sint in peccatis.*

29. *Instruitur qui vult propterea differre correctionem vitæ suæ, quòd à Deo indulgentia sit promissa conuersis.*

30. *Differentibus conuersionem, & tempus misericordiæ contemnentibus, minatur Deus de incerto tempore.*

31. *Proponuntur aliquæ rationes, ob quas de peccatis confessio est facienda.*

32. *Quid vtilitatis & securitatis adferat ipsa confessio peccatorum.*

33. *Tractatur hic de duplici confessione: quarum altera in laudibus Dei est; altera in peccatis nostris: & vtraque necessaria.*

34. *Qui in peccatis fuit mortuus, per confessionem reuiuiscit: sed soluitur per Ecclesiam, hoc est, ministros Ecclesiæ, qui à Christo istam potestatem in Ecclesia acceperunt.*

35. *Homo pænitens in luce; peccator in tenebris est.*

36. *Qui publicè peccauit, publicam satisfactionem accipiat, secundum iudicium præpositorum Ecclesiæ: nec quisquam ob erubescentiam hoc recuset, quia vtilis est pænitentia medicina.*

37. *Proponuntur quorundam exempla, qui humiliter pænitentiam egere non erubuerunt.*

38. *Deus quibus sit prope; & quomodo à longè cognoscat superbos.*

39. *Magnum superbiæ peccatum quo medicina in nobis curatum sit.*

40. *Medico, qui curauit oculos nostros, non habemus quid retribuamus.*

41. *Omnipotens medicus quemlibet potest sanare languorem, si, qui languidus est, sanari velit.*

42. *Homo quomodo accedat ad Deum, & quomodo recedat à Deo.*

43. *Idem & hic latius ostenditur.*

44. *Tribulationibus temporalibus etiam in ipsis Dei electis, peccata purgantur.*

45. *Dauid per disciplinam Dei post peccatum correptus: Saul in peccato desertus & reprobatus est.*

46. *Deus per disciplinam suam nos exercet, vt ipsum laudemus; & offendere timeamus.*

47. *Dies bonos & meliora tempora non hic promittit Euangelium: ergo non hic, sed alibi sunt expectanda.*

48. *Ad bonos dies peruenire poterimus, si Dei pacem quæramus.*

49. *Conscientia mala nusquam finit quiescere hominem malum.*

50. *Quomodo conscientia mala purganda sit, vt bona fiat: & quòd maxima tribulatio sit mala conscientia.*

51. *Conclusio huius Libri.*

DE FLAGELLO DEI, SIVE DE MEDICINA ANIMÆ, LIBER VNVS:

Ex ſcriptis D. Aurelij Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, contextus.

Capvt I.

Quibus modis nos vocet ad pœnitentiam Deus, vt & præſentem & futuram eius iram euadamus.



VANTVM nobis valeat ſermo Dei ad correctionem vitæ noſtræ, & ad ſperãda prẽmia eius, pœnaſque metuendas; vnuſquiſque in ſe metiatur, & conſcientiam ſuam ante oculos eius ſine dolo ponat, nec ſibi blandiatur in tanto periculo: quoniam & ipſe Dominus Deus noſter, videmus, quia nulli blanditur. Etſi conſolatur nos promittendo bona ſua, & confirmando ſpem noſtram: malè viuentibus tamen, & contemnentibus verbum ſuum omnino non parcit. Interroget ſe vnuſquiſque, cùm tempus eſt, & videat vbi ſit: & aut perſeueret in bono, aut mutetur à malo. *Non enim fruſtra puto dictum eſſe in Pſalmo:* [1] Miſerator & miſericors Dominus longanimis, & multæ miſericordiæ. Quid tam longanimum? quid tam multum in miſericordia? Peccatur, & viuitur: accedunt peccata, augetur vita: blaſphematur quotidie Deus, & facit ſolẽ ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vocat vndique ad correctionem, vocat vndique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis. Quare? Quia longanimis & multæ miſericordiæ eſt. Sed obſerua, ne longitudine miſericordiæ Dei malè vtendo, tu tibi theſaurizes (quod ait Apoſtolus) iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Nam & hoc ait Apoſtolus: An diuitias benigni-

In Pſalm. 49. in init.

[1] In Pſal. 102. in medio.

Matth. 5.

Rom. 2.

benignitatis & longanimitatis eius contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Quod tibi parcit, putas quia places ei? Hæc fecisti, inquit, & tacui: suspicatus es iniquitatem; quòd ero tui similis. Non mihi placent peccata, sed longanimitate quæro rectè facta. Si punirem statim peccatores, non inuenirem confessores. Ergo te Deus, lõganimitate sua parcendo, ad pœnitentiam adducit: tu autem quotidie dicis, Finitur hodiernus dies, & sic ero & crastino die: nõ enim cras erit vltimus; & tertio die, & subitò venit ira eius. Frater, non tardes conuerti ad Dominum: sunt enim qui præparant conuersionem, & differunt, & fit in illis vox coruina, cras, cras.

Psalm. 49.

Genes. 8.

Coruus de arca missus, non est reuersus. Non quærit Deus dilationem in voce coruina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reuersa est. Quandiu cras, cras? Obserua vltimum cras, quia ignoras quod sit vltimum cras. Sufficiat quod vixisti vsque ad hodiernum, peccator. Audisti? Sæpe soles audire, audisti & hodie; quàm quotidie audis, tam quotidie non corrigeris. Tu enim secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua. Non sic tibi videatur Deus misericors, vt non videatur & iustus. Misericors & miserator Dominus: audio, & gaudeo. Ita dicis. Audi, & gaude. Adhuc addidit: Longanimis & multum misericors: & in extremo, Et verax. Gaudes ad verba superiora; ad vltimum treme. Sic misericors & longanimis est, vt sit & verax. Cùm tibi thesaurizaueris irã in die irę, nónne experieris iustum, quem contempsisti benignum? Quia & quod viuimus in flagellis, & corruptione huius mortalitatis, de indignatione ipsius est: de pœna hoc habemus primi peccati. Et non solùm cogitare debemus, vt futuras minas ipsius euadamus, sed & præsentem iram: quia & ista ira ipsius est, cuius & se, & nos fuisse filios dicit Apostolus. Ait quippe: Fuimus enim & nos aliquando naturâ filij iræ, sicut & cæteri. Ergo ex ira ipsius est, quòd hîc homo peregrinatur, *quòd infirmatur*, *quòd flagellatur*, quòd laborat. Non est ex ira ipsius: In sudore vultus tui, & in labore edes panem tuum, & terra spinas & tribulos pariet tibi? Auctori nostro hoc dictum est. Aut si est aliud vita nostra? Si poteris, conuertere ad aliquam voluptatem, vbi spinas non sentias. Elige quod volueris, esto auarus, luxuriosus; & vt ista duo sola non dicamus, adde & tertium, ambitiosus.

Rom. 2.

Ephe. 2.

Genes. 3.

In

In honorum cupiditate quantæ ſpinæ? In luxuria libidinum quantæ ſpinæ? In ardore auaritiæ quantæ ſpinæ? Amores turpes quantas moleſtias habent? quantas ſolicitudines hîc in iſta vita? Omitto gehennam. Vide ne iam ipſe tibi gehenna ſis. Hoc enim totum de ira ipſius eſt: & cùm te cõuerteris vt iuſtè agas, non poteris niſi laborare in terra: & non finitur labor, niſi cùm finita fuerit via: *& finita via, finietur & tibi eius ira, de qua albi dictum eſt*: 3 In ira populos deduces. O *Deus, inquit*, iraſceris, & deducis: ſæuis & ſaluas: terres, & vocas. Quid eſt enim in ira populos deduces? Imples tribulationibus omnia, vt in tribulationibus poſiti, *& laboribus*, omnes recurrant ad te, ne deliciis & ſecuritate peruerſa ſeducantur. A te ira videtur, ſed paterna. Iraſcitur pater filio contemptori præceptorum ſuorum: iratus ei, eum colaphizat, cædit, aurem vellit, manu trahit, ad ſcholam ducit. In ira, inquit, populos deduces. Quàm multi ingreſſi ſunt *viam Domini*? quàm multi impleuerunt domum Domini, in ira eius deducti? Ad hoc enim exagitat tribulatio, vt exinaniat vas, quod plenum eſt nequitia, & impleatur gratia.

3 In Pſal. 59. in medio.

CAP. II.

Quanta Dei miſericordia, cùm hîc flagellat nos: quia non ab eius teſtamento excludimur flagellati, ſed à gehenna liberamur.

1 SED forte flagellaris, & putas quia deſeruit te Deus. Si deſeruit protectio cæli terram; *te deſeruit Deus*; quoniam ſecundùm altitudinem cæli à terra, *inquit Pſalmiſta*, confirmauit Dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes eum. Et quid fecit? Quia nõ ſecundum peccata noſtra retribuit nobis. Quantum diſtat Oriens ab Occidente, longè fecit à nobis eſſe peccata noſtra. Quando peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia tua. Peccata tua tanquam in occaſu ſunt; gratia, qua liberaris, in ortu eſt. Veritas de terra orta eſt. Quid eſt, Veritas de terra orta eſt? Nata eſt gratia tua, occidunt peccata tua: innouaris quodammodo. Ad ortum attendere debes, ab occaſu auerti debes. Auertere à peccatis tuis, conuertere ad gratiam Dei. Illis occidentibus ſurgis & proficis. Sed pars, inquis, cæli, quę ſurgit, rurſum in occaſum it. Non vndecunque poſſunt ſimilitudines duci ad perfectũ: poſſunt colliniari ipſæ res rebus ad quas adhibentur. Occidit pars vna cæli, oritur

1 In Pſal. 102. vltra mediũ.

Pſal. 84.

altera:

altera: sed pars, quæ oritur modò, post duodecim horas occasura est. Non sic est gratia, quæ nobis oritur. Et peccata in æternum occidunt, & gratia in æternum manet. Quare autem? Quantum distat Oriens ab Occidente, tantū longè fecit à nobis Deus peccata nostra: vt illa occidant, & gratia oriatur.

Psalm. 103. Quare puras? *Hoc sequitur.* Sicut miseretur pater filiis; sic misertus est Dominus timentibus eum. Iam sæuiat quantum vult; pater est: sed flagellauit nos, & afflixit nos, & cōtriuit nos; pater est. Fili si ploras, sub patre plora, noli cum indignatione, noli cum typho superbiæ. Quod pateris, vnde plangis; medicina est, non pœna: castigatio est, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. *Pater est enim qui te flagellat. Si ergo* 2 pater est, nunquid amandus blandiens, & respuendus corripiens? Nónne pater est, & promittens vitam, & imponens disciplinam? Excidit tibi fidelis: Accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & *præpara animam tuam ad tentationem? Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum: homines verò acceptabiles in camino humiliationis. Miser, excidit tibi: Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit? Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas: compara ad gehennam, & leue est omne quod cogitas. Hic temporalis, ibi æternus est, & qui torquet, & qui torquetur. Nunquid adhuc patiuntur, qui illo tempore passi sunt, quo Roma vastata est? Diues autē ille adhuc apud inferos patitur. Arsit, ardet, ardebit, viuet vsque ad iudicium: recipiet carnem nō ad beneficium, sed ad supplicium. Illas pœnas timeamus, si Deum timemus. Quicquid hîc passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est: si nec sic corrigatur, duplex damnatio est. Et hîc enim luit pœnas temporales, & ibi experietur æternas. Martyres certè sanctos laudamus, glorificamus, admiramur, dies eorum pia solennitate celebramus; merita eorum veneramur, &, si possumus, imitamur. Est profectò magna martyrum gloria: sed nescio vtrum minor gloria fuit sancto Iob: nec tamen ei dicebatur, Thus pone idólis, sacrifica diis alienis, nega Christum: dicebatur tamen, Blasphema Deum. Nec sic dicebatur, vt intelligeretur, si blasphemaueris, putredo

[Margin notes: 2 To. 9. Tract. de vrbis excidio: in medio. Hunc Tract. citat Beda. — Eccl. 2. — Hebr. 12. Prou. 3. — Luc. 16. — Hæc habētur etiam apud Chrysost. Ho. penultima de Iob. To. 1. — Iob 2.]

putredo omnis abscessura, sanitasque reditura est: sed si blasphemaueris, dicebat inepta & insulsa mulier, morieris, & moriendo tormentis carebis. Quasi verò morienti blasphemo non æternus dolor succederet. Mulier fatua præsentis putredinis horrebat molestiam, æternam flammam minimè cogitabat. Ferebat ille præsens, ne incideret in futurum: tenebat cor à mala cogitatione, linguam à maledicto, seruabat animæ integritatem in putredine corporis. Videbat quid in futurum euadebat, & ideo quod patiebatur ferebat. Sic, sic vnusquisque Christianus, quando aliquam *tribulationem aut* afflictionem corporis patitur, gehennas cogitet, & videat quàm leue est quod patitur. Non murmuret aduersum Deum; nō dicat, Deus, quid tibi feci, quare ista patior? Imò dicat quod dixit ipse Iob, quamuis sanctus: Exquisisti omnia peccata mea, & ea tanquam Iob 14.
in sacculo signasti. Non se ausus est dicere sine peccato, qui patiebatur, non vt puniretur, sed vt probaretur. Hoc dicat vnusquisque, cùm patitur.

CAP. III.

Quare in hac vita minus mali quàm boni flagellentur: & quid boni de malis faciat Deus.

1 SED aliquando peccatores in hac vita aut non aut minus 1 In Psal. 37.
flagellantur; quia iam desperata est intentio eorum. At ve- vltra medium
rò illi quibus paratur vita sempiterna, necesse est, vt hîc flagel-
lentur: quia vera est illa sententia: Fili, ne deficias in disciplina
Domini, neque fatigeris, cùm ab illo increparis. Non vis fla- Prou. 3.
gellum, non tibi datur hæreditas. Omnis enim filius necesse Hebr. 12.
est, vt flagelletur. Vsqueadeò omnis flagellatur, vt nec illi pe-
percerit qui peccatum non habuit, *qui in Psalmo dixit*: Quo- Rom. 8.
niam ego in flagella paratus sum.[2] Nec verò tam amarum de- 2 In Psal. 114.
bet esse quòd flagellat, quàm dulce quòd recipit. Quomodo in medio
enim nos flagellat? 3 De hominibus quidē malis exercet nos, 3 In Psalm. 93. ante finem.
& de illorum insecutionibus nos erudit. De malitia mali fla-
gellatur bonus, & de seruo emendatur filius. Quod illos Deus
posse permittit, hoc faciunt nobis mali homines, quibus ad
tempus, *vt nobis prosint*, parcit. 4 Nobis de illis præstatur; & 4 Ibidem inf.
tamen malitia eorum dicitur, non beneficia eorum, *dicente
Psalmista*: Et reddet illis Dominus secundum opera eorum,
& secundum malitiam eorum disperdet eos. Certè enim *isto
modo* de malis exercet nos Deus dum flagellat nos. Ad quam

verò rem flagellat? Vtique ad regnum cælorum. Flagellat enim, vt diximus, omnem filium quem recipit. Et quis est filius, cui non det disciplinam pater eius? Quod cùm facit Deus, ad hæreditatem sempiternam nos erudit: & hoc nobis præstat sæpe de malis hominibus, in quibus exercet & perficit dilectionem nostram, quam vult extendi vsque ad inimicos. Neque enim est perfecta dilectio Christiani, nisi cùm implet quod Christus præcepit: Diligite inimicos vestros; benefacite his qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur. (Matth. 5.) Hinc ipse Diabolus vincitur: hinc victoriæ corona percipitur. Ecce quanta nobis præstat Deus de malis hominibus: nec tamen secundùm id, quod de illis nobis præstat, sed secúdùm malitiam eorum retribuet eis. ☞ Vides enim quáta nobis præstitit de ipso immanissimo scelere Iudæ traditoris. Iudas quippe tradidit ad passionem filium Dei, & per passionem filij Dei omnes gentes redemptæ sunt ad salutem: nec tamen pro salute gentium merces reddita est Iudæ *peccatori*, sed pro eius malitia debitum supplicium ei retributú est. [5] Aliquando *itaque* facit hoc Deus; dat *huic vel illi* peccatori potestatem, flagellantur inde res humanæ, emendantur inde pij. Peccatori illi hoc redditur quod debetur: & tamen factum est de illo vnde proficiat pius, vnde deficiat impius. *Dicat ergo talis pius Christianus.* [6] Quid sibi plaudit iniquus, *& inimicus meus*, quia flagellum de illo fecit pater meus? Illum assúmit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. *Illi ignem, mihi hæreditatem reseruat.* [7] Facit hoc enim Deus, quod plerumque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecunque sarmentum; cædit inde filiú suum: ac deinde proiicit sarmentum in ignem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum, exercet disciplinam liberandorum.

5 In Psal. 36. conc. 1. ante finem.

6 Ibidem conc. 2. ante medium.

7 In Psal. 73. ante med.

CAP. IIII.

Quicquid patitur bonus à malis, Deo deputari debet, non malis: quia ipsi quidem malefaciendi voluntatem habent, sed non potestatem.

1 In Psal. 29. in 2. præfat.

1 Seuiant proinde modò nostri inimici, humilient, faciant non quicquid volunt, sed sicut desuper permittútur. Non enim quicquid passi ab inimicis fuerimus, hoc inimicis deputandum

tandum est, & non Domino Deo nostro. Quandoquidem in ipso suo exemplo mediator demonstrauit, quando nobis desuper permittit homines nocere, non voluntatem nocendi desuper dari, sed potestatem. Vnusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi: vt autem possit nocere, non habet in potestate. Vt velit, iam reus est: vt possit, occulta dispensatione prouidentiæ Dei, in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quomodo permissi sunt ἀλλόφυλοι, id est, alienigenæ capere populum Israël, quia peccauerũt in Deum. Ad probationem autem permissus est Diabolus in Iob. Probatus est autem Iob, confusus est diabolus. Ad coronam verò permissi sunt persecutores in Martyres. Occisi sunt Martyres, & quasi vicisse se arbitrati sunt persecutores. Illi in manifesto falsò triumphauerunt: illi in occulto verè coronati sunt. Ergo in quem permittitur, occultæ dispensationis est prouidentiæ Dei. Vt autem velit nocere, ipsius hominis est: non enim continuò, quem vult, occidit. Itaque ipse Dominus iudex viuorum & mortuorum, stans ante hominem iudicem, præbens nobis humilitatis exemplum, & patientiæ documentum, non victus, sed militibus pugnandi exemplum demonstrans, minanti iudici, tumenti superbia, & dicenti: Nescis, quia potestatem habeo dimittendi, & occidendi te? abstulit typhum inflantis; & tanquam reddens exufflationem, qua detumesceret, Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi data tibi esset desuper: *tanquam diceret, Vnde tibi potestas detur, qua me possses occidere, scio: sed tu nescis vnde in te maneat ista mala voluntas, qua me non vis dimittere. Potestas ista à bono Deo est: sed obcæcata voluntas tua, à teipso malo.* [a] Remanet ergo in malis sola nocendi cupiditas. Hanc habet homo in potestate cupiditatem nocendi, voluntatem ad pernitiem. Si autem cuiquam nocere potuerit, non glorietur: non ipse nocuit, data est ei potestas. Semel dictum est, sententia firma est: Non est potestas nisi à Deo. [b] Non dixit: Non est cupiditas, nisi à Deo. Est enim ista mala cupiditas, quæ non est à Deo. Sed quia ipsa mala cupiditas nulli nocet, si ille non permittat; non est, inquit, potestas, nisi à Deo.

Vide Tract. 4 in Ioannem, in medio.

Ioan. 19.

a In Psal. 103. conc. 4. in med.

Rom. 13.

b In Psal. 31. conc. 2. ante medium.

CAP. V.

Sicut homo non potest nocere, nisi permissus à Deo; sic nec ipse diabolus: quod patet exemplo Iob.

e Ibidem inf. 1 QVid ergo? Homo tantum non habet potestatem, nisi cùm acceperit desuper? Quid ipse diabolus? Ausus est vel vnam ouiculam tollere viro sancto Iob, nisi prius diceret, Mitte manum tuam, hoc est, da potestatem? Ille volebat, sed ille non sinebat. Quando ille permisit, ille potuit. Non ergo ille potuit, sed qui permisit. Ideo bene eruditus ipse Iob, non

Iob 1. ait: Dominus dedit, & diabolus abstulit: sed, Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ità factum est: non

2 In Psal. 29. in præfat. 2. sicut diabolo placuit. 2 Non triumphet, inquit, inimicus, quia ipse fecit. Noui ego à quo sit permissus. Diabolo tribuatur nocendi voluntas: Domino meo probandi potestas. In ipso vulnere corporis accedit vxor relicta, sicut Eua, adiutrix diaboli, non consolatrix mariti: tentat, & dicit inter multas increpationes: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Dic aliquod verbum in Deum, & morere. Et ille Adam in stercore cautior, quàm Adam in paradiso: nam Adam in paradiso consensit mulieri, vt de paradiso emitteretur: Adam in stercore respuit mulierem, vt ad paradisum admitteretur. Quid ergo ille Adam in stercore, parturiens immortalitatem intrinsecus, vermibus fluescens extrinsecus; quid ait mulieri? Tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona percepimus de manu Domini; mala autem quare non sustineamus? Iterum & ille manum Domini dixit in se, quòd eum diabolus percusserat: quia non attendebat quis percuteret, sed quis permitteret.

3 In Psal. 109. conc. 4. ante medium. 3 Nouerat rectorem suum, & tentatorem suum: permissorem tentatoris sui nouerat. Nihil sibi, inquit, diabolus tribuat. Quantum accepit ille potestatis, tantum ego patior. Non ergo ab illo patior, sed ab eo, qui potestatem dedit. Contemnatur superbia tentatoris mei: sustineantur flagella patris mei. *Sic secum in animo suo disputabat Iob.*

4 In Psal. 90. in princip. 4 Diabolum non videbat; sed potestatem Dei intelligebat. Nouerat quia diabolus in eo nihil posset, nisi ab illo cuius summa potestas est, permitteretur. Ideo autem permisit Dominus, vt homo probaretur, diabolus

5 In Psal. 34. cóc. 1. in ine. vinceretur. 5 Inuidere ergo potuit sancto: nunquid nocere potuit? Accusare potuit, damnare nunquid potuit? Nunquid valuit aliquid tollere? Nunquid vel vnguem, nunquid vel capil-

capillum lędere, nisi Deo diceret: Mitte manū tuam? Quid est, mitte manū tuam? Da potestatē. Accepit. Ille tentauit: ille tentatus est. Tentatus tamen vicit: tentator victus est. Deus enim, qui diabolo permiserat vt illa tolleret; ille seruum suum interius non deseruerat. *Quomodo non deseruerat?* 6 Quoniam qui dabat potestatem tentatori, ipse tentato præbebat misericordiam. Ad mensuram enim permittitur tentare diabolus. Et potabis nos, inquit, in lachrymis, in mensura. Noli ergo timere, nisi permissum aliquid facere tentatorem: habes enim misericordissimum saluatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, vt exercearis, vt proberis; vt qui te nesciebas, à teipso inueniaris. *Vnde etiam in hunc sanctum virum Iob* 7 admisit Deus tentatorem, non vt ipse nosset quod nouerat, sed vt nobis eum noscendum & imitandum præberet. Nunquid enim si tentator non admitteretur, videremus nos ipsi in Iob, quid deberemus, & vellemus imitari?

6 In Psalm 61. ante finem.

7 In Psal 55. in fine.

CAP. VI.

Diabolus malleus est, quo sancti tunduntur, & producuntur; vt velut tubæ ductiles fortiùs Dei laudes resonent.

CErtè beatus Iob tam sanctus fuit, vt in illo compleretur 1 illud quod in Psalmo Spiritus sanctus dixit: Psallite Domino in cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus. Ductiles æreæ sunt tubæ, & tundendo producuntur. Quando enim producuntur? *Cùm tunduntur*. Quando & nos malorum hominum persecutionem patimur, si *exemplo Iob* patienter omnia sustinemus, & nunquam contra dispensationem Domini murmuramus, vapulando erimus tubæ ductiles, ad laudem Domini productæ, si cum tribulatione proficimus. Tribulatio tunsio est: profectus productio est. Tuba *quippe* ductilis erat beatus Iob, quando à diabolo percussus tantis damnis, orbitate etiam filiorum afflictus, in nullo contra Dominum murmurauit. Tunsione illa tantæ tribulationis factus est tuba ductilis. Ergo audiamus si ipsa tuba bene sonuit. Audi. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictū. Vide quomodo & quàm diligenter sonuit, quàm suauem sonum dedit. 2 Si bona, inquit, suscepimus de manu Domini, mala quare non toleremus? O sonum fortem, ô sonum dulcem; quem nō dormientem excitet

1 Tom. 10. Ser 2:2. Vide etiam in Psalm. 97. in medio.

2 Ibidem inf.

sonus iste? Quē non excitet præsumptio in Domino, vt aduersus diabolum securus procedat in prœliū, & non se suis viribus obtecturus, sed Dei auxilio protegendus? ipse enim adiutoriū dedit, qui eum tentari permisit. Non enim tunderet diabolus de seipso. Nihil enim facere poterat, nisi quod dispensatio diuina permiserat. De illius enim diaboli pœna futura propheta

Hier. 50. commemorans, ait: Contritus est malleus vniuersę terræ. Malleum vniuersæ terræ, diabolū voluit intelligi. De ipso malleo in manu Domini posito, id est, in potestate Dei, tunduntur ductiles tubæ, id est, animæ sanctæ, vt resonent Dei laudes. De isto malleo & iustus tūditur, & peccator. Ille, vt probetur: ille, vt puniatur. Aut certè vt iustus augeatur in bonis, & peccator corrigatur à malis. Sub isto enim malleo, in manu, id est, in potestate Domini constituto, tunduntur non solùm humiles, sed & superbi. Sed humiles producuntur *vt argentum vel aurum*: superbi comminuuntur vt vitrum. Vna eademque tunsio bonos producit ad gloriam, malos redigit in fauillam; vt impleatur in eis illud quod scriptum est: Et erit tanquā puluis, quem

Psalm. 1. proiicit ventus à facie terræ. De ipso enim malleo quotiens animæ sanctæ, Deo dispensante vel permittente tunduntur, in nullo murmurant, in nullo penitus contradicunt; magis humiliter velut ductiles tubæ proclamāt: Iustus es Domine, & iusta iudicia tua: adhuc minus patimur quàm meremur. Et hęc quidem dicunt animæ sanctæ. Animæ verò superbæ, & peccatis obnoxiæ, quotiens aliqua aduersitate pulsantur, rebelles cōtra Dominum murmurare præsumunt, dicentes: Deus, quid tibi feci? Quare tanta patior mala? Quibus in conscientia respondet diuina iustitia: Bene dicis, ô Deus, quid tibi feci? Verum est, quia nihil mihi fecisti, sed totū tibi. Si enim aliquid boni fecisses, mihi feceras. Cùm verò peccata & crimina commisisti, tibi omnia fecisti, non mihi. *Quia ergo non meo malleo productus, sed tuo peccato ruptus es, ideo dissonas apud me. Deniq.*

In Psal. 97. in medio. 2 Cor. 12. à de isto malleo etiam Apostolus tundebatur. In magnitudine, inquit, reuelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Ecce tunditur; videamus quemadmodum sonet: Propter quod, inquit, ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me; & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Ego tubam, inquit ille fabricator, perficere volo: non perficiam, nisi tundam. In infirmitate virtus perficitur. Et audi iam ipsam

tubam

tubam ductilem, & bene sonantem: Quando infirmor, tunc potens sum. Et ipse Apostolus, tanquam Apostolus hærens Christo, hærens illi dexteræ, de qua tenetur malleus, vt producat tubam, in illa dextera positus facit & ipse de ipso malleo, dicit de quibusdam, quos tradidit satanæ, vt discant non blasphemare. Tradidit malleo tundendos. Malè sonabant, antequam producerentur: fortè producti, & facti tubæ ductiles, amissa blasphemia, laudes Domini sonuerunt. Hæ sunt tubæ ductiles: *quas cùm tundit diabolus, vel angeli eius in corporibus, gratas Deo, & canoras faciunt in auribus Domini.*

Ibidem.

1. Tim. 1.

CAP. VII.

Sæuitia diaboli obest diabolo, quo bene vtitur Deus, vt vel malos puniat, vel probet bonos.

1 DOlores ergo corporum plerumque immittuntur *etiam piis hominibus* ab angelis satanæ: sed hoc non possunt nisi permissi. Nam & Iob sanctus, sicut iam ostendimus, sic probatus est. Immundus enim permittebatur, & sanctus probabatur. Nescit diabolus quanta bona de illo fiant, etiam cùm sæuit. Sæuiens intrauit in cor Iudæ: sæuiens tradidit Christum, sæuiens crucifixit: & crucifixo Christo redemptus est orbis terrarum. Ecce sæuitia diaboli, diabolo obfuit, nobis autem profuit. Sæuiendo enim quos tenebat, amisit, redemptos sanguine Domini, quem, cùm sæuiret, effudit. Si sciret tantum damnum se passurum, non funderet in terrã pretium, quo redemptum est genus humanum. Sic etiam ille angelus satanæ quasi libenter permissus est colaphizare Apostolum: sed tamen Apostolus curabatur, *& malus diabolus magis cruciabatur.* 2 Esse autem diabolum & angelos eius tam malos, vtique vt eis ignis præparetur æternus, nullus fidelis ignorat. Sed immitti per eos, *sicut Psalmus septuagesimus septimus habet, dolorum* immissiones super quoslibet, à Domino Deo, quos hac pœna iudicat dignos, durum videtur eis, qui minus idonei sunt cogitare quemadmodum summa Dei iustitia bene vtatur & malis. Quos quidem, quantum pertinet ad eorum substantiam, quis alius quàm ipse fecit? Sed malos ipse non fecit: vtitur tamen eis, qui bonus est, bene, id est, conuenienter & iustè: sicut econtra iniqui creaturis eius bonis vtuntur malè. Vtitur ergo Deus angelis malis, nõ solùm ad puniẽdos malos,

1 In Psal. 130. in medio.

Ioan. 13.

2 Cor. 12.

2 In Psal. 77. in medio.

3 Reg. 22. sicut in istis omnibus, de quibus loquitur *prædictus* Psalmus, sicut in rege Achab, quem fallaciæ spiritus ex Dei voluntate seduxit, vt caderet in illo: verùm etiam ad probandos & manifestandos bonos, sicuti fecit in Iob. Quod autem pertinet ad istam materiam corporalem visibilium elemētorum; puto quòd ea possunt vti angeli, & boni & mali, quantum cuique potestas est: quemadmodum & homines boni maliq́ue vtuntur talibus quantum possunt pro modulo infirmitatis humanæ. Nam & terra vtimur, & aqua, & aëre, & igne, non solùm in necessariis rebus sustentationis nostræ: verum etiam in multis superfluis & ludicris, & mirabiliter artificiosis operibus. Sed in hac angelis longè amplior est potestas & bonis & malis, quamuis vtique maior bonis: sed quantum Dei nutu atque ordine iubetur aut finitur, sicut & nobis. Neque enim in his omnia

1 Ibidē infra. quæ volumus, possumus. 1 Sed aliud est, quando potestas diaboli, etiam suis, sicut ei placet, tractandis, maiore potestate prohibetur: aliud, quando ei potestas etiam in eos qui ab illo alieni sunt, datur. Sicut homo de pecore suo pro humano captu facit quod vult: nec sanè facit, si prohibeatur à potestate maiore: de alieno autem pecore vt faciat, expectat sibi potestatem dari ab illo, cuius est. Ibi ergo potestas quæ fuerat, prohibetur: hîc autem quæ non fuerat, tribuitur.

Cap. VIII.

Quæ potißimùm Aegyptiorum plagæ per malos angelos factæ fuisse credendæ sunt.

1 Ibidem immediate. 1 Qvæ cùm ita sint; si per angelos malos Deus illas plagas inflixit Aegyptiis; nunquid audebimus dicere, & aquam in sanguinem per eosdem angelos versam, & ranas per eosdem angelos factas, quorum similia etiam magi Pharaonis veneficiis suis facere potuerunt: vt angeli mali ex vtraque parte consisterent, hinc illos affligentes, inde fallentes, secundum iudicium & dispensationem iustissimi & omnipotentissimi Dei, iustè vtentis etiam iniquorum malitia? Non audeo dicere. Vnde enim sciniphes facere magi Pharaonis minimè potuerunt? An quia hoc permissi ipsi angeli mali non sunt? An, quod verius dicendum est, occulta causa est, & vires nostræ inquisitionis excedit? Nam si propterea per malos angelos illa Deum fecisse putauerimus, quia pœnæ infligebantur, non beneficia præstabantur: tanquam nemini Deus pœnas irroget per angelos bonos, sed per illos velut militiæ cælestis carnifices:

ces : consequens erit vt etiam Sodomam per malos angelos euersam esse credamus; & malos angelos Abraham & Loth hospitio suscepisse videantur: quod absit vt contra scripturas apertissimas sentiamus. Claret igitur ista hominibus fieri per bonos & malos angelos posse. Quid aut quando fieri oporteat, me latet: illum verò qui facit, non latet, & cui voluerit reuelare. Veruntamen quantum nostræ intentioni scriptura diuina moderatur, malis pœnas irrogari, & per bonos angelos, sicut Sodomitis; & per malos angelos, sicut Aegyptiis, legimus: iustos verò corporalibus pœnis per bonos angelos tentari & probari, non mihi occurrit. Quod verò pertinet ad præsentem Psalmi huius locum, si ea quæ mirabiliter de creaturis facta sunt, malis angelis tribuere non audemus: habemus quod eis tribuere sine dubitatione possumus; mortes pecorum, mortes primitiuorum, & illud maximè, vnde religata sunt omnia, obdurationem cordis illorum, vt populum Dei nollent dimittere. Hanc enim iniquissimam & malignissimam obstinationem Deus cùm facere dicitur, non instigando & inspirando, sed deserendo facit: vt illi operentur in filiis diffidentiæ, quod Deus debitè, iusteque permittit. Nam & illud quod Esaias propheta dicit: Domine, ecce tu iratus es, & nos peccauimus, propterea errauimus, & facti sumus sicut immundi omnes; ea ratione intelligitur. Præcessit enim aliquid, vnde Deus iustissimè iratus, ab eis suum lumen auferret, vt in peccata, quæ nulla tergiuersatione defendi possunt non esse peccata, cæcitas humanæ mentis offenderet, ab itinere iustitiæ deuiando, & errando. Et quod in alio Psalmo scriptum est de his ipsis Aegyptiis, quòd Deus conuerterit cor eorũ, vt odissent populũ eius, & dolum facerent in seruos eius: bene creditur Deus fecisse per illos angelos malos, vt etiam vitiosæ mentes filiorum infidelitatis, per eos angelos, quibus eadem amica sunt vitia, excitarentur in odium populi Dei, atque ad terrendos & corrigendos bonos illa mirabilia sequerẽtur. Illa enim mala morũ, quæ his corporalibus plagis significata sũnt, per malos angelos exerceri in eos qui illis diuina æquitate subduntur, cõuenientissimè creditur. Neque enim cùm fit quod ait Apostolus: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, vt faciant quæ non conueniunt, non illic mali angeli, tanquam in materia sui operis versantur, & gaudent: quibus iustissimè subdita est vitiositas humana, præter eos quos liberat gratia.

Gen. 19. Psalm. 77. Esai. 64. Psalm. 104. Rom. 1.

CAP. IX.

Diaboli potestas magna videtur: sed quantum inde perdiderit, ostenditur per quandam similitudinem.

1 In Psal. 61. ante finem.

ITaque [1] diabolo potestas quædam est. Plerumque tamen vult nocere, & non potest: quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantum posset nocere diabolus, quantum vult; non aliquis iustorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra.

2 In Psal. 103. conc. 3. vltra medium.

[2] Quare autem datur ei potestas? Aut ad damnandos impios, aut ad probandos pios. Iustè hoc totum Dominus agit: & in neminem habet diabolus potestatem, vel in aliquid eius, nisi ille concedat, cui est potestas summa & sublimis. Sic diabolo, sic homini nulla est potestas in hominem, nisi desuper detur.

3 Ibidem. conc. 4. in med.
4 Ibidē supra.
5 Ibidē infra.

3 Nemo autem dicat, magnam habet *diabolus* potestatem. Vident enim homines quasi quantum acceperit potestatis: quid perdiderit maiestatis, non vident. 4 Ipse cadens peccato suo de sublimi habitatione cælorum, & ex angelo factus diabolus, accepit quendam locum suum in hoc mari magno & spacioso. Regnum eius, quod putas, carcer eius est: & 5 quæ tibi videtur eius gloriatio, damnatio est. Similitudinem accipe breuiter, quia reuera magnum aliquid est, hoc nosse & intelligere.  Domus ista magna habet dominum, habet seruos; & in ipsis seruis habet circa se proximos sibi in apparatibus melioribus vestium, thesaurorum, horreorum, magnarum possessionum. Habet etiam seruos in infimis ministeriis, ita subditis sibi potestatibus, vt quosdam habeat & ad mundandas cloacas. A summis procuratoribus vsque ad extrema ista & infima ministeria, quàm multi sunt gradus? Si ergo aliquis magnus procurator offendat, & in pœna domini sui, verbi gratia, fiat ostiarius in extremo loco aliquo, sic exercens sibi datam potestatem, vt volentes intrare vel exire, perturbet secundum modum potestatis, quem accepit à domino: illi autem nesciant eum fuisse aliquando magnum procuratorem, magnam potestatem illius esse arbitrantur, quia quid perdiderit, nesciunt. Et tamen ostiarius ille, de quo dixi ad similitudinē domus magnę huius terrenæ, potest aliquid facere nesciente Domino suo, & turbare aliquem, illo nō iubente. Iste autē nec ad illam ianuam

Ioan. 10.

positus est, qua intramus ad Deū. Christus est enim illa ianua, & per Christū intramus ad vitam æternā. Sed est quędā ianua, qua intratur in hoc sæculū, ianua quædā mortalitatis, circa ista

infimæ

infirmæ carnis huius detrimenta & supplementa. Ad istam ianuam quasi quidam ostiarius est diabolus. Hic habet potestatem; sed non tantam, vt faciat aliquid nesciente aut nolente Domino suo. Ne fortè aliquis dicat, perdidit quidem ille magnam potestatem superiorum apparatuũ: sed ego in his infimis sum, hîc me potest habere in potestate. Noli falli: nouit te Dominus Deus tuus; & sic te nouit, vt capillos tuos habeat nu- Luc. 21.
meratos. [6] Nam quid aliud non solùm in libro Iob, sed etiam [6] Tom. 6 li. 2. cõtra aduers. legis & prophet. cap. 12.
magis in ipso Euangelio declaratum est, vbi spiritus immundi nec in porcos irent, nisi hoc illis benignus ipse Saluator petentibus (quos certè in abyssum posset relegare) concederet? Vide etiá Ser. 241 post med.
rem necessariá docere nos volens, vt scilicet nouerimus, multo & To. 7. lib. 4.
minus eos posse sua potestate nocere hominibus, qui nec peco- contr. Iulia. ca. 7. Tract. 6.
ribus qualibuscunque potuerunt. [7] Noli ergo cogitare quid in epist. Ioan.
accepit diabolus; sed quid perdidit. [8] Accepit potestatem in [7] In Psal. 148. ferè in med.
infima, & amisit maxima & summa. Et non est ista potestas [8] In Psal. 26.
irati, sed pœna damnati. Nec ipse ergo potest habere aliquam expofit. 2. post initium.
potestatem, nisi permissus. Et in libro Iob habes, quem commemoraui: & in Euangelio Dominus dicit. Hac nocte postu- Lucæ 22.
lauit satanas, vt vos cribraret sicut triticum, & ego rogaui pro te, Petre, patrem, ne deficiat fides tua. Permittitur autem, aut ad pœnam nostram, aut ad probationem.

CAP. X[illegible]

Dei flagella, quibus erudimur ad magnam hæreditatem, recusanda non sunt; cùm & vnicus Dei filius fuerit flagellatus.

[1] QVid ergo times, ô homo? Ambula in Domino Deo tuo: [1] Tom. 9 Tra.
certus esto, quod te non vult pati, non patieris: quod te 7 in Ioannem
permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnan- ante medium
tis. Ad hæreditatem sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur? Si recusaret quispiam puer colaphis aut flagellis cædi à patre suo, quomodo diceretur ille superbus, desperatus, ingratus paternæ disciplinæ? Et vt quid erudit pater homo filium hominem? Vt possit non perdere temporalia, quæ illi acquisiuit, quæ illi collegit, quæ non vult eum perdere; quæ ipse, qui relinquit, non potuit in sempiternũ tenere. Nõ docet filium, cum quo possideat; sed qui post eũ possideat. Si filium docet pater successorem, & quem docet, & ipsum similiter per omnia transiturum, quâ & ille, qui monebat, transiturus est;

quo-

quomodo vis erudiat nos pater noster, cui non successuri, sed ad quem accessuri sumus, & cũ quo in æternũ mãsuri in hæreditate quæ non marcescit, nec moritur, nec grandinem nouit? Et ipse hæreditas, & ipse pater est. Hunc possidebimus & erudiri non debemus? Sufferamus ergo eruditionem patris. Nam [a] quando nos aliquibus necessitatibus erudit, vult vt amplius illum diligamus, ne forte per saginam corrumpamur, & obliuiscamur eum. Subtrahit nobis aliquando quæ necessaria sunt, & atterit nos, vt sciamus quia pater & Dominus est, non solùm blandiens, sed & flagellans. Præparat enim nos cuidam hæreditati incorruptibili & magnæ. Si vnam cuppam, aut vnam cellam tuam, aut si quid habes in domo tua, cogitas dimittere filio tuo: & ne perdat illud, erudis eum, & flagellis eum ad disciplinam corrigis, ne perdat nihil tuum, quod & ipse hîc dimissurus est, sicut & tu: non vis, vt nos erudiat pater noster in flagellis etiam necessitatum aut tribulationum, qui nobis talem hæreditatem daturus est, & quæ transire non possit? Hæreditatem enim nobis dabit seipsum Deus, vt ipsum possideamus, & ab ipso possideamur in æternum. Et si antequam Deum diligeremus, tantum ab illo dilecti sumus, vt æqualem sibi filium suum, hominem faceret, *cui etiam non pepercit* propter nos: quid nobis seruauit iam diligentibus se? [3] Ne ergo te sine flagello speres futurum, nisi fortè cogites exhæredari. Flagellat omnem filium quem recipit. Itáne omnem? vbi te volebas abscondere? Omnem: & nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid? an omnem? Vis audire quem omnem? Etiam vnicus sine peccato, non tamen sine flagello. [4] Si autem flagellantur filij, quid debent sperare serui nequissimi? [5] Et si vnicum sine peccato flagellauit, & pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo debemus nos flagellari, qui fecimus quare flagellemur? [6] Intuentes ergo eum qui sine peccati merito flagellatus est, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram; non timeamus, ne abiiciamur flagellati, *per quoscunque flagellemur*: sed potius confidamus, quia recipiemur iustificati. [7] Nec attendere debemus quantum Deus permittat hominibus iniustis, sed quãtum seruet iustis. Sed debemus optare etiam illis per quos flagellamur, vt conuertantur, & flagellentur. Sic enim suos fideles erudiebat, qui de Saulo flagellum sibi fecerat. Sed postea conuertit & Saulum.

a In Psal. 62. quasi in med.

3 In Psal. 31. conc. 2. in fin.

4 In Psal. 93. vltra medium

5 In Psal. 122. ante finem

6 D. August. Serm. 23. de verbis Apost. in medio.

7 In Psal. 36. conc. 2. ante medium.

Actor 9.

CAP.

CAP. XI.

Non de flagello, sed de peccato est dolendum; & cura pro eo gerenda, vt tollatur, & sanetur.

CÆterum [1] flagella sua dolent homines; quare flagellantur, non dolent. Nescio quis, si damnum patitur, procliuior est, vt dicat, Indignè passus sum, quàm vt consideret, quare passus sit: dolens damnum pecuniæ, non dolens iustitiæ. Si peccasti, thesaurum tuum interiorem dole. Nihil habes in domo, sed fortè inanior es corde. Si autem plenum est cor bono suo, Deo tuo: quare non dicis, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum? Vnde verò sanctus Dauid dolebat? De flagello, quo flagellabatur? Absit. Et dolor meus, inquit, ante me est semper. Et quasi diceremus, Quis dolor? vnde dolor? *Respondet:* Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio, & curam geram pro peccato meo. Ecce vnde dolor. Non de flagello dolor: de vulnere, non de medicina. Nam flagellum medicamentum est contra peccata: & tamen plerumque si filius cuiusquam moriatur, plangit illum: si peccet, non illum plangit. Tunc plangeret, tunc doleret, cùm illum peccantem videret: tunc modum imponeret, tunc normam viuendi doceret, disciplinam daret. Aut si fecit, & ille non audiuit, tunc erat plangendus, tunc peius mortuus luxuriosè viuens, quàm moriendo luxuriam finiens. Tunc ergo quando ista faciebat in domo tua, non solùm mortuus erat, sed & putebat. Hæc dolenda sunt, ista sustinenda: illa ferenda, ista plangenda. Plangenda autem quomodo audisti plangere illum: Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio, & curam geram pro peccato meo. Ne securus sis, cùm confessus fueris peccatum, tanquam semper præparatus ad confitendum, & committendum peccatum. Sic pronuncia iniquitatem tuam, vt curam geras pro peccato tuo. Quid est, curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres: Curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam vt sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere, vt sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum: sed fortè lachrymæ currunt, & manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata. Gaudeat indigens de dato tuo, vt & tu gaudeas de dato Dei.

Eget

[1] In Psal. 37. non procul à fine.

Iob 1.

Psalm. 37.

Eget ille: eges & tu: eget ille ad te, eges & tu ad Deum. Tu si non contemnis egentem tui: Deus non te contemnet egentem sui. Ergo impleto tu egentis inopiam, vt impleat Deus interiora tua. Hoc est, curam geram pro peccato meo; faciam omnia quæcunque facienda sunt, ad abluendum & sanandum peccatum meum. [a] Denique, *ne fortè hoc nimis graue putes*, attende quid dicat alibi: Dominus, inquit, opem ferat illi super lectum doloris eius. Lectus doloris, infirmitas est carnis. Ne dicas, non possum *sic curam gerere pro peccato meo, &* tenere, & portare, & refrenare carnem meam: adiuuaris, vt possis. Dominus opem ferat tibi super lectum doloris tui. Portabat te lectus, non tu portabas lectum; sed paralyticus intus eras: adest, qui dicat tibi, Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Et tanquam quæreretur: Quare ergo, cùm opem ferat nobis Deus, tam mala patimur in ista vita, tanta scandala, *tanta flagella*, tantos labores, tantam inquietudinem carnis & sæculi? conuertit se ad Deum, & tanquam consilium medicinæ eius nobis exponens, Totum stratum eius, inquit, vertisti in infirmitate eius. [3] Sed quare istud? Quia flagellat omnem filium, quem recipit. Quare istud? Quia peccanti homini dictum est: In labore vultus tui edes panem tuum. Ergo quia correptiones istas, in quibus vniuersum stratum nostrum vertitur in infirmitate nostra, agnoscere debet homo propter peccata se pati, conuertat se, *curam gerens pro peccato*, & dicat quod sequitur: Ego dixi, Domine miserere mei; sana animam meam, quoniam peccaui tibi. O Domine, in tribulationibus meis me exerces, flagellandum iudicas omnem filium quem recepturus es, qui nec vnico pepercisti. Ille quidem sine peccato flagellatus est; ego autem dico, Miserere mei, sana animam meam, quoniam peccaui tibi. Si * vstus est qui putredinem nō habebat: si medicina ipsa nostra ignem medicinalem non respuit: patienter ferre debemus vrêtem medicum, & secantem, id est, omnibus tribulationibus nos exercentem, & à peccato sanantem. Planè committamus nos medici manui: non enim errat, vt sanum pro putri secet. Nouit quod inspicit; nouit vitium; quia ipse fecit naturam: quid ipse condidit, quid de nostra cupiditate accessit, discernit. Scit se sano homini præceptum dedisse, ne lãguorem incurreret: dixisse in paradiso, Hoc manduca, & hoc noli. Non audiuit sanus medici præceptum,

vt

[a] In psal. 40. ægre medium

Marc. 2.

[3] Ibidē infra.

Genes. 3.

Psal. 40.

al. sectus.

vt nō caderet: audiat vel ægrotus, vt surgat, dicatque: Ego dixi, Domine miserere mei, sana animā meā, quoniam peccaui tibi. In factis meis, in peccatis meis non accuso fortunam: nō dico, hoc mihi facit fatum: non dico, adulterum me fecit Venus, & latronem me fecit Mars, & auarū me fecit Saturnus: ego dixi, miserere mei, sana animam meam, quoniam ego peccaui tibi. *Sic ille; qui gessit curam pro peccato suo, qui non de flagello doluit, sed de animæ morbo; cui Dominus opem tulit super lectum doloris eius, quia medicinam Dei non respuit.* Psal. 40.

CAP. XII.

Cor magis sanandum est, quàm corpus; cuius sanitas etiam à Deo, non ab alio est expetenda.

1 QVid ergo tu facturus es? dic mihi. Implere legem ex omni parte, ita vt in nullo offendas, difficile est. Reatus ergo certus est: remedio vti non vis? Ecce quale remedium posuit Deus contra ægritudines animæ. Quid ergo? Cùm caput tibi dolet, laudamus, si Euangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris? Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum; & ita plangendi sunt homines qui currunt ad ligaturas, vt gaudeamus, quando videmus hominem in lecto suo constitutum, iactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse; nisi vt sibi Euangelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Euangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur, vt quiescat dolor capitis; ad cor non ponitur, vt sanetur à peccatis? Fiat ergo. Quid fiat? Ponatur ad cor, sanetur cor. Bonum est, bonum est, vt de salute corporis non satagas, nisi vt à Deo illam petas. Si scit tibi prodesse, dabit illam: si non tibi dederit, non proderat habere illam. Quàm multi ægrotant in lecto innocentes; & si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda? Quàm multis obest sanitas? Latro, qui procedit ad faucem, occidere hominem; quanto melius illi erat vt ægrotaret? Qui nocte surgit ad fodiendum parietem alienum, quanto illi melius erat si febribus iactaretur? Innocentiùs ægrotaret, scelerate sanus est. Nouit ergo Deus quid nobis expediat. Id agamus tantùm, vt cor nostrum sanum sit à peccatis. Et quando fortè *propter peccata* flagellamur in corpore, ipsum, *vt opem nobis ferat*, deprecemur. Rogauit eum Paulus Apostolus, vt auferret ab eo stimulum carnis: & noluit auferre. Nunquid perturbatus est, 1 Tom. 9 Tra. 7. in Ioann. in medio. 2 Cor. 12.

est, & nunquid contristatus dixit se desertum? Magis se dixit non desertum, quia non ablatum est quod volebat auferri; vt illa infirmitas sanaretur. Hoc enim inuenit in voce medici: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Vnde ergo scis quòd non vult te *fortè infirmantem* sanare, *nisi quia* adhuc tibi expedit flagellari? Vnde scis quā putre est quod secat medicus agēs ferrum per putria? Nónne nouit modum, quid faciat, quousque faciat? Nunquid vlulatus eius qui secatur, retrahit manus medici artificiosè secantis? Ille clamat: ille secat. Crudelis qui non audit clamantem; an potius misericors qui vulnus persequitur vt sanet ægrotum? Hæc ideo dixi, ne quis, *dum infirmatur, aut flagellatur, quærat aliquid præter auxilium Dei, qui istis suis castigationibus nos domare desiderat, & perficere.*

2 Cor. 12.

CAP. XIII.

Deus dum hominem foris castigat, tanquam iumentum suum domat flagellis suis.

1 PRoinde tota nostra spes in illo sit; ei nos subdamus, & misericordiam precemur: & donec domemur & perdomemur, id est, perficiamur, domitorem feramus. Plerumque enim profert Dominus noster etiam flagella. Si enim tu ad domanda iumenta tua profers virgam, profers flagellum: Deus non profert ad domanda iumenta sua, quod sumus nos, qui de iumentis suis faciet filios suos? Domas equum tuum: quid daturus es equo tuo, cùm te cœperit portare, mansuetus ferre disciplinam tuam, obedire imperio tuo, esse iumentum, hoc est, esse adiumentum infirmitatis tuæ? Quid ei retribuis, quem nec saltem sepelis cùm mortuus fuerit, sed discerpendum volatilibus proiicis? Domito tibi Deus hæreditatem seruat, quod est ipse Deus: & ad tempus mortuum resuscitabit te, carnem tuam vsque ad numerum capillorum reddet tibi: & constituet te cum angelis in æternum, vbi iam non indigeas domari, sed tantummodo à piissimo possideri. Erit enim tunc Deus omnia in omnibus: nec erit vlla infelicitas, quæ nos exerceat; sed felicitas sola, quæ pascat. Ipse autem pastor noster, Deus noster est: ipse potus noster, Deus noster: honor noster, Deus noster: diuitiæ nostræ, Deus noster. Quæcunque hîc varia quæris, ipse tibi vnus omnia erit. Ad hanc spem homo domatur, & domitor intolerabilis habetur? Ad hanc spē homo doma-

1 Ser. 4 de verbis Dom.

D August. Serm. 4. de verbis Dom. in medio.

Luc. 21.

1 Cor. 15.

domatur, & contra istum vtilem domitorem, si fortè flagellum proferat, murmuratur? Audisti exhortantem Apostolum: Si separetis vos à disciplina, ergo nothi, & non estis filij. Nothi sunt adulteri. Quis enim est filius, cui non det disciplinam pater eius? Et carnis quidem nostræ, inquit, patres habebamus correptores, & ferebamus: non multo magis subiiciemur Patri spirituum, & viuemus? Quid enim tibi potuit præstare pater tuus, quia corripuit te, quia verberauit te, qui flagellum protulit, & cecîdit te? Nunquid præstare potuit, vt viueres in æternum? Quod non potuit præstare sibi, quomodo præstaret tibi? Propter pecuniam suam quantulamcunque, quam de vsuris & labore collegit, erudiebat te flagellis, ne tibi dimissus labor eius, te malè viuente disperderetur. Et cecîdit filium timens perire labores suos: quoniam reliquit tibi, quod nec tenere hîc poterat, nec auferre. Non enim hîc aliquid tibi dimisit, quod ipsius esse possit: cessit, vt sic accederes. Deus autem tuus, redemptor tuus, domitor tuus, castigator tuus, pater tuus erudit te. Quò? Vt accipias hæreditatem, vbi non efferas patrem, sed hæreditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem erudiris, & murmuras, & si quid triste acciderit, fortasse blasphemas? Quò ibis à spiritu eius? Ecce dimittit te, & non flagellat: deserit blasphemantem, non senties iudicantem? Nónne melius est vt flagellet te, & recipiat te; quàm parcat tibi, & deserat te? [a] Quid enim indignè pateris, quod facit ille qui iustus est? Sæuire videtur Deus cum ita facit: ne metuas quoniam pater est: nunquam sic sæuit vt perdat. Quando malè viuis, si parcit, plus irascitur. Omnino istæ tribulationes flagella sunt corrigentis, ne sit sententia punientis.

Hebr. 12.

Psalm. 138.

[a] In Psal. 65. vltra medium

CAP. XIIII.

Vapulant hîc omnes quicunque nati sunt ex Adam; siue miserè viuant, siue feliciter.

Nam quid aliud volunt istæ voces significare in Psalmo centesimo vicesimo secũdo, vbi dicitur. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri: quàm vt intelligamus Deum meritò nobis posse irasci dum peccamus, sed nolle nos perdere: quando per flagella ad disciplinã reuocare dignatur pænitentes? Proinde [a] qui sunt serui & ancillæ, qui sic habẽt oculos in manus dominorũ

Psal. 122.

[a] In Psal. 122. in medio.

suorum, nisi *peccatores* qui iubentur cædi? Inde oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, quoadusque misereatur nostri. Quomodo? Sicut oculi seruorum in manus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ. Fac ergo aliquem dominum iussisse seruum suum cædi. Vapulat seruus, sentit plagarum dolores: attendat ad manus domini sui, quoadusque dicat, Parce. Manum enim ipsam, potestatem dicit. Ergo quid dicimus? Iussit nos cædi Dominus noster, & domina nostra sapientia Dei iussit nos cædi. Et in hac vita vapulamus, & tota ista vita mortalis, plaga nostra est. Audi vocem psalmi: Pro iniquitate erudisti hominē: & tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Attende quàm tabida est aranea, vt leui tactu conquassetur & moriatur. Et ne quasi carnem solam, infirmitatem mortalitatis putaremus nos habere tabidam, non dixit: Tabescere me fecisti, ne secundum carnem intelligeremus: sed ait, Tabescere fecisti sicut araneam animam meam. Nihil enim infirmius anima nostra, posita in mediis tentationibus sæculi, in mediis gemitibus, & parturitionibus molestiarum; nihil ea infirmius, donec hæreat soliditati cælesti, & sit in templo Dei, vnde iam nō cadat. Quia primò vt veniret ad hanc infirmitatem & tabificationem, sicut aranea infirma facta est, & de paradiso expulsa est. Tunc iussus est seruus cædi. Vide ex quo vapulemus. In omnibus qui ab initio generis humani nati sunt; in omnibus qui nunc sunt; in omnibus qui postea nascentur, Adam vapulat. Vapulat Adam, id est, genus humanum: & multi sic obduruerunt, vt nec plagas suas sentiant. Qui verò ex ipso genere filij facti sunt, receperunt sensum doloris. Sentiunt se vapulare, & nouerunt quis iussit vt vapulent; & leuauerunt oculos suos ad eum qui habitat in cælo: & sic sunt oculi eorum in manus domini sui, quoadusque misereatur; sicut oculi seruorum in manus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manus Dominæ suæ. Vides felices aliquos in isto sæculo ridentes, iactantes se, non vapulant, imò peius vapulant. Hoc ipso grauiùs cæduntur, quo sensum iam perdiderunt. Euigilent, & vapulent, sentiant quia vapulant, sciant quia vapulant: quoniam qui apponit scientiam, apponit dolorem. Hoc Scriptura dixit. Ideo Dominus in Euangelio: Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Audiamus vocem hominis qui vapulat, & sint istæ vniuscuiusque nostrū voces, & quando nobis bene est.

Psalm. 38. Eccles. 1. Matth. 5.

Nam

Nam quis non intelligat vapulare se,quando ægrotat, quando in carcere est, quando in catena? Quando forte latrones patitur,quando ab aliquibus improbis ei aliquæ molestiæ irrogantur, sentit vapulare se. Magnus sensus est,videre quando vapulat,& quando illi bene est. Non enim ait scriptura in Iob: Tentationibus abundat vita humana: sed ait, Nunquid non tentatio est vita humana super terram? Totam ipsam vitam tentationem dixit. Omnis ergo vita tua super terram, plagæ tuæ sunt. Plange quamdiu viuis in terra. Siue feliciter viuas, siue in aliqua tribulatione constitutus sis: clama, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælo. Ad manus Domini, qui te iussit cædi, cui dicis in alio Psalmo: Propter iniquitatem erudisti hominem,& tabescere fecisti sicut araneam animam meam: clama ad manus cædentis,& dic, Miserere nostri Domine, miserere nostri. Nónne sunt istæ voces vapulantis: Miserere nostri Domine, miserere nostri?

Iob 7. Psalm. 122. Psal. 38.

CAP. XV.

Flagella Dei quid boni importent & peccatoribus & iustis.

SEd quamuis ita clamans, & multum laborans, non statim pro tua voluntate exaudiri videaris, vt à flagellis libereris; noli tamen propterea in isto labore deficere, neque de Dei misericordia desperare. [1] Vult enim Deus misereri cunctorum, vult ignoscere magis, vult se exhibere propitium, si quem mutatis actibus viderit esse correctum. Si dereliquerint, inquit, filij tui legem meam,& in præceptis meis non ambulauerint: si iustificationes meas prophanauerint: visitabo in virga facinora eorum,& in flagellis delicta eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Hæc sunt remedia, quibus *peccantibus* consulit Deus: hæc est medicina, qua hominum curantur vulnera, his emendantur vilitatibus: vitia corriguntur, hominum malitia refrenatur. Beneficia hæc sunt diuina, non verbera: nec vt noceant, diuinitus irrogantur, quæ ad hoc veniunt, vt hominibus paterna clementia consulant. Ego, inquit, quos amo, arguo & castigo. Et iterum: Fili, ne neglexeris disciplinam Dei: nec defeceris, cùm ab eo correptus fueris. Quem enim diligit Deus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Igitur si omnem ad hoc flagellat vt corrigat: ad hoc autem corrigit, vt patri, id est, Deo dignum exhibeat; timeat qui non flagellatur, ne filius esse non possit.

1 Hom. 46. inter 50. Psalm. 88. Prou. 3. Apoc. 3.

possit. Timeat, quem Deus corrigere non vult in sæculo: quia cum supplicio destinauit post sæculum. Timeat qui adhuc in sæculo gaudet & lætatur, ne in æternum cōtristetur, & ploret. Timeat qui cum iustis in sæculo non dolet, ne cum peccatoribus in supplicio perenni iaceat. Sed si peccatores, inquit aliquis, delictorum suorum verbera in sæculo patiuntur: cur nonnunquam & sancti viri pariter & æquè cum peccatoribus affliċtantur? *Cur, quæso, ita fieri putas*, nisi quia ad emendationem *flagella afflictionum* peccatoribus, iustis ad probationem iustitiæ proficiunt? Vt enim peccatores his remediis corriguntur à malis: ita iusti hactenus, augentur in bonis. Illos enim emendat Deus, vt corrigat: hos verò probat, vt augeat. Illos ergo à culpa reuocat: hos sanctiores sibi reseruat. Illic

a Ibidem inf. peccata corriguntur: hîc merita virtutis augentur. [a] Gaudeat proinde Christianus in aduersis: quia aut probatur, si iustus est: aut, si peccator est, emendatur. Contristetur sanè, quem flagella diuina corrigere non possunt: timeat futurū supplicium, qui præsens iudicis contempsit remedium. Gaudeat peccator, si cum iusto in sæculo cōtristetur, vt post sæculum cum eodem

Ioan. 16. remuneretur. Vos, inquit Dominus, plorabitis & plangetis: sæculum autem gaudebit. Vos tristes eritis: sed tristitia vestra in lætitiam veniet. Quis non breui tēpore contristari exoptet, vt in æternum lætitia sempiterna cum Christo triumphet? Quis non breui tempore contristari, & præsentis temporis fletus pensare gaudio futuro desideret? Exiguum siquidem, momentaneum, & breue est, quicquid boni malíue in sæculo est.

3 Tom. 3. lib. de Agone Christiano. cap. 7. [3] Nec nos moueat, quòd in hac vita, secundùm carnem, quam portant iusti, multa grauia & aspera tolerant: nihil enim mali patiuntur; quia iam possunt dicere quod ille vir spiritalis ex-

Rom. 5. ultans, prædicat Apostolus Paulus, dicens: Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patiētia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Si ergo in hac vita, vbi tanta *flagella & tormenta* sunt, possunt boni & iusti viri, cùm talia patiuntur, non solùm æquo animo tolerare, sed etiam charitate in Deo gloriari: quid cogitandum est de illa vita, quæ nobis *flagellatis & purgatis* promittitur, vbi *nullam ab homine tribulationem*, nullam de corpore molestiam sentiemus?

CAP.

CAP. XVI.

Disciplina Dei ferenda est ei qui exhaeredari non vult: & peccata, licet minima, defendenda non sunt; sed purganda confessione, & bonis operibus diluenda.

1 SIc itaque manus paterna super te; & si filius bonus es, noli repellere disciplinam patris tui. Det disciplinam, dum non auferat misericordiam. Caedat contumacem, dum tamen reddat haereditatem. Tu si promissa patris bene agnouisti, non timeas flagellari, sed exhaeredari. Peccator filius dedignabitur flagellari, cùm sine peccato videat vnicum flagellatum? Visitabo, ait, in virga iniquitates eorum. Sic & Apostolus comminatur: Quid vultis? In virga veniam ad vos? Absit vt dicerent pij filij: Si cum virga venturus es, noli venire. Melius est enim erudiri in virga patris, quàm in blandimento perire praedonis. 2 Nec ideo tamen debemus securi peccare, & peruersè nobis polliceri, quoniam, quicquid fecerimus, *si erudimur*, non perimus. Sunt enim quaedam peccata, & quaedam iniquitates, de quibus quidem differere atque definire, aut impossibile nobis est; aut si iam esset impossibile, certè tempori longum esset. Nemo enim potest se dicere esse sine peccato: quia si dixerit, mentietur. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Ergo vnusquisque pro peccatis suis necessariò flagellatur: sed ab eo, si Christianus est, Dei misericordia non dispergitur. Planè, si in tantas ieris iniquitates, vt repellas à te virgam verberantis, si repellas manum flagellantis, & de disciplina Dei indigneris, & fugias à patre caedente, & nolis eum verberantem patrem pati, quia nō parcit peccanti: tu te alienasti ab haereditate; ipse te non abiecit. Nam si maneres flagellatus, non remaneres exhaeredatus. Sed fortè te iustificare, aut purgare, aut defendere vis. 3 O caro misera, & tabescens, nonne peccatrix es? Quid clamat lingua tua? Attendatur cōscientia. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. 4 Peccasti, quid defendis te, loquendo? Loqui vis, patêre, audi; cede diuinis vocibus, ne turberis & amplius vulnereris. Commissum est, non defendatur: in confessionem veniat, non in defensionem. Adhibes te defensorem peccati tui, vinceris. Non innocentem patronum adhibuisti: non est tibi vtilis defensio tua. Quis es enim vt te defendas? * idoneus es tu ad accusandum te. Noli dicere, aut nihil

[Margin notes: 1 In Psal. 88. conc. 2. in ini. — Psalm. 88. — 2 Cor. 4. — 2 Ibidem inf. — 1. Ioan. 1. — 3 In Psal. 69. post medium. — 4 In Psal. 50. ante medium — al. idoneus esto Vide Ho. 12. inter 50.]

nihil feci, aut, quid magnum feci, aut, fecerunt & alij. Si faciendo peccatum, nihil te dicis deliquisse; nihil eris, nihil accipies. Paratus est Deus dare indulgentiam: claudis contra te. Ille paratus est dare; noli opponere obicem defensionis, sed aperi sinum confessionis. 5 Paratus est peccatum ignoscere, sed agnoscentibus: punire autem defendentes se, & iustos se iactantes, & putantes se esse aliquid, cùm nihil sint, *& errantes in tenebris maneant*. In dilectione autem eius, & in misericordia eius qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus & grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulteria, præter illa quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in rebus concessis: facit veritatem confessionis, & venit ad lucem in operibus bonis: quoniam minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent: minuta sunt grana arenæ; sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat; sed diu intrando & non exhauriendo mergit nauem. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere vt non obruant peccata; gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo, *orando*? 6 Et ob hoc orare, sentinare est. Nec tantùm debemus orare, sed & eleemosynam facere: quia quando sentinatur, ne nauis mergatur, & vocibus agitur, & manibus. Vocibus agimus, cùm dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Manibus autem agimus, cùm facimus: Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam: Include eleemosynam in sinu pauperis, & ipse pro te exorabit ad Dominum. 7 Manibus denique suis sentinam exhauriebat, qui dicebat: Manibus meis coram eo nocte, & non sum deceptus. Non ergo negligamus nostra peccata: minuta sunt, sed multa sunt. Fluctus vnus validus irruens obruit nauem, minaturque naufragium. Humor autem per rimas influens, & in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. Ergo *per pœnitentiam sic* exhauriatur sentina, ne negligatur misericordia: quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.

[Margin notes: 5 To. 9 Tra. 12. in Ioan. in fine. — Vide Ser. 88. de Temp. — Vide in Psal. 66. vltra med. — 6 To. 10. Tra. in orat. domi. in medio. — Esaiæ 58. — 7 To. 9. lib. de Cantico nouo cap. 2 — Psal. 76.]

CAP. XVII.

Propter peccata quotidiana, etiam pœnitentia quotidiana agenda est.

1 EST etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium, pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo: sed illa vtique, quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur; an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauem, atque submergat? Propter hæc, ieiunia & eleemosynæ & orationes inuigilant, in quibus, cùm dicimus: Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: manifestamus habere nos quod nobis dimittatur; atque in iis verbis humiliantes animas nostras, quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus. 2 Quamuis enim bonus bonam habeat conscientiam, vnde scit quemadmodum iudicet ille qui à nemine fallitur? Habet bonam conscientiam: non illi titillant crimina in corde concepta: sed propter quotidiana quædam vitæ humanæ peccata, licet bona conscientia sit, tamen dicit Deo: Dimitte nobis debita nostra. 3 Quæ debita? Non deest: homines sumus. Paulo plus locutus sum quàm debui: dixi aliquid quod non debui: risi plusquàm debui: bibi amplius quàm debui: comedi amplius quàm debui: audiui libenter quod non debui: vidi libenter quod non debui: cogitaui libenter quod non debui. 4 Non enim peccata sola sunt illa quæ crimina nominantur; adulteria, fornicationes, sacrilegia, furta, rapinæ, falsa testimonia: non ipsa sola peccata sunt. Attendere aliquid quod non debeas, peccatum est. Audire aliquid quod non fuit audiendum, peccatum est. Cogitare aliquid quod non fuit cogitandum, peccatum est. Sed dedit Dominus noster, post illud lauacrum regenerationis, alia quotidiana remedia. Quotidiana nostra mundatio, Dominica oratio: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 5 Haud verò ipse cælestis magister doceret istam oratio-

[Marginal notes: 1 To. 2 epist. 108 ad Seleucianam. — Matth. 6. — 2 D. August. Ser. 23. de verb. Dom. ante finem. — 3 Ser. 11. inter impressos Lou. prop. fin. — 4 Ibidem Ser. 14. in fine. Vide To. 9. li. de decē chordis, cap. 11. — 5 Hom. 19. inter 50.]

orationem, nisi nos peccatores esse præuideret. Vidit enim quæ cauere debemus, & vidit quæ cauere difficile sit. Omnia autem cauere impossibile iudicauit esse, qui istam orationem quotidianam non quoslibet Christianos, sed ipsos arietes Apostolos docuit. Vbi autem Apostoli pectus tundunt, & dicunt: Dimitte nobis debita nostra, hoc est, peccata nostra: audet aliqua ouicula superbire de iustitia? Vide qualis fuerit Ioannes

Ioan. 13. Apostolus: suprà pectus Domini discūbebat, de alto illo fonte

Ioan. 1. sapientiæ secreta bibebat. Inde enim bibit quod in Euangelio eructauit: In principio erat verbum, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et assiduè testatur Euangelium, quòd

1. Ioan. 1. Dominus præcipuè ipsum diligebat. Et tamen ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. [6] Ipse etiam beatus Iob, quamlibet esset iustus, non tamen fuit sine peccatis. Neque enim melior erat illo sancto Ioanne Euangelista. Per illam enim crudelissimam pœnam, *quam in corpore patiebatur*, minuta peccata in eo purgabantur. Quam rem etiam ipse intelligens, Deo gratias referebat: & negligentiarum suarum quasi verissimus iudex, non molli linteo, sed testa radebat saniem fluentem, *tanquam aliquorum delictorum suorum putredinem, per carnem ebullientem.* Sciebat enim [7] quia non potest homo, quamdiu carnem portat, non habere vel leuia peccata. Sed ista leuia, quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis: expauesce, quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande, sicut multa grana faciunt massam. Et quæ spes est? Ante omnia, *crebra* confessio, *& quotidiana nostra oratio.*

[6] Serm. 232. de Temp. à prin.

[7] Tom. 9. Tract. 1. in epist. Ioan. in medio.

Cap. XVIII.

Quantum periculum sit nō curare minuta & leuia peccata, ostenditur quibusdam similitudinibus.

[1] NAm, rogo, quam poterit habere spem salutis, piger in remediis, creber in morbis? Sed parui, inquis, morbi sunt. Congere, & premunt. Minora peccata sunt, quæ habeo non sunt multa. Quomodo minora sunt, quæ premunt, quæ obruunt? Quid minutius pluuiæ guttis? Fluminâne implent? Quid minutius granis tritici? Horreâne implent? Tu attendis quia minora sunt; & non attendis quia multa sunt? Attendere nosti; numera, si potes. [2] Quis numerat capillos capitis sui? Multo minus peccata, quæ excedunt numerū capillorum.

[1] Ser. 14. inter impress. Lou. Vide in Psal. 129. in med.

[2] In Psal. 39. vltra medium Vide in Psal. 118 conc 3. in medio: & Hom. 42. inter 50.

Præca-

Præcauisti magna: iam non facis adulterium, iam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis falsum testimonium. Moles istæ sunt peccatorũ. Magna præcauisti, de minutis quid agis? An non times minuta? Proiecisti molem: vide ne arena obruaris. 3 Dic, cogitationes suas quis tenet? Plerumque oramus, & aliunde cogitamus, quasi obliti ante quem stemus, aut ante quem proni iaceamus. Ista omnia si colligantur contra nos, non ideo non premunt, quia minuta sunt? Quid interest, vtrum te plumbum premat, an arena? Plumbum vna massa est, arena minuta grana sunt, sed copiositate premunt. 4 Non est bestia, quasi leo, vt vno morsu guttur frangat: sed bestiæ plerumque minutæ multę necant. Si proiiciatur quisque in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non sunt quidem maiores; sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attẽde, quia modica sunt, & caue, quia plura sunt. Alioquin, 5 quod ponis quotidie per modicum, postea massam inuenturus es. Minutatim ponis, sed cumulum inuenies. Denique 6 tu, qui dicis, quia paruum tuum peccatum est; velim scire, quoties tale peccatum admittis, si tot paruulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cùm ergo nec in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras vel maculas fieri acquiescis: qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis? Ac sic quicunque hoc fecerit, plus amat vestem, & carnem suam, quàm animam. *Cur verò amas vestem? Quia munda est, quia integra est: & talem etiam vis carnem habere. Quid fecit tibi anima tua? Cur non & illam mundam seruas, & inuulneratam? Sed non necare eam vis; scio: tamen frequentius peccando, & non inde dolendo, grauius eam feris.*

7 Quàm enim multa sunt peccata, siue in loquendo de rebus & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent, siue in vanis cachinnationibus, cùm scriptum sit: Stultus in risu exaltat vocem suam; sapiens autem vix tacitè ridebit: siue in ipsis escis, quæ ad necessitatem sustentandæ huius vitæ præparantur, auidior atque immoderatior appetitus, sæpe excessum modum postriduana cruditate contestans: siue in vendendis & emendis rebus, caritatis & vilitatis * nota peruersa: *de quibus tibi nihil, aut parum admodum curæ est!* Piget cuncta colligere, quæ quisque in seipso certus comprehendit atque reprehendit, si diuinarum scripturarum speculum non negligenter attendat.

3 D. August. Tract. in orat. Dominic. in med. Est Ser. 9 inter diuers.

4 Tom. 9. lib. de 10 chordis cap. 11. Vide ibidem reliq. & Serm. 105. impress. Lou.

5 In Psal. 93. ferè in med.

6 Ser. 244. de Tẽp. in med.

7 D. August. Hom. vltima inter 50. in medio.

Ecclesi. 21.

al. vota.

Quæ quamuis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium & adulterium, vel cætera huiusmodi: tamen omnia simul congregata, velut scabies, quo plura sunt,
Psal. 44. necant, & nostrum decus ita exterminant, vt ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum, castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desecentur. Quod si falsum est, vnde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque sacerdotes & antistites ad altare assistentes, cum omnibus facimus. Vnde etiam orantes dicimus, quod in tota
Matth. 6. ista vita oportet vt dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non enim (*sicut præmonuimus*) ea dimitti precamur, quę iam olim in baptismo dimissa sunt; & nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed vtique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, ieiuniorũ, & ipsarum orationum ac supplicationum, quisque pro suis viribus offerre non cessat. Quisquis itaque se diligenter attendens, nulla seipsum adulatione seducit; satis intelligit, cum quãto periculo mortis æternæ, & cũ quanta penuria perfectæ iustitiæ peregrinetur à Dño, quãuis iam in Christo, hoc est, in via constitutus redire
Nota. conetur. Nã si non habemus peccata, & tundẽtes pectora dicimus: Dimitte nobis debita nostra; ex hoc ipso certè & grauiter, nullo dubitãte, peccamus cũ inter ipsa sacramenta mentimur.

CAP. XIX.

Quàm facilè peccatum admittatur; etiã in ipsis orationibus, dum à se fugit & distrahitur cor hominis.

1 In Psal. 140. post medium. 1 VBi est ergo illa verbositas, vbi est illa iactantia; iustus sum, nihil mali feci? Certè cùm in Scripturis sanctis fueris contemplatus normam iustitiæ; quantumcunque profeceris, inuenies te peccatorem. Profecisti, iam vnum Deum colis: optimè; non fornicaris ab eo ad idôla, ad mathematicos, ad sortilegos, ad aruspices, ad augures, ad maleficos. Ista enim fornicatio est à Domino Deo: iam es in aliquo numero membrorũ Christi. Iam incipe videre etiam illa peccata societatis humanæ: Non occidis quenquam: non adulteras cuiusquam vxorem, non vxori tuę, eundo ad alteram, iniuriam facis: non vlla pessima corruptela te contaminas: abstinuisti manus à furto, linguam à periurio, cor à concupiscendo rem proximi tui. Iam iustus es. Attende cætera, noli iam superbire. Nihílne peccas

peccas in lingua? Non prolaberis in verbum durum? Sed, quid magnum? dicis. Quid magnum? Qui dixerit fratri suo fatue; reus erit gehennæ ignis. Contremiscit iam tota illa superbia. Sed ecce, iam & ipsam linguam frenasti (quanquam quis tantus, vt hoc omnino perficiat?) quid facis de cogitationibus tuis? quid facis de tumultu & caterua rebellantium desideriorum? Non eis das membra. Ita credo, & video. Sed tamen cogitationes aliquando inclinantur, & afferunt se plerumque in oratione, genibus fixis. Corpus prosternis, collum curuas, confiteris peccata, Deum adoras. Video corpus vbi iaceat: quæro vbi volitet animus. Video membra iacentia; videamus si stet conscientia: videamus si fixa est in eum quem adorat. Sic autem cogitationibus plerumque, tanquam æstu maris abripitur, & tempestate tollitur in aliud atque aliud. Modò si mecum loquereris, & subitò auerteres te ad seruum, & dimitteres me, non dico, à quo aliquid petebas, sed cũ quo ex æquo loquebaris; non mihi iniuriam factam deputares? Ecce quid facis quotidie Deo. [a] Attende ergo *periculum tuum*, & vide quanta aguntur in corde humano, quemadmodum ipsæ etiam plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenere vt stet, & quodammodo fugit à se, nec inuenit cancellos, quibus se includat, aut obices quosdam, quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus. Diceret vnusquisque sibi hoc contingere, & alteri non contingere, nisi inueniremus in scripturis Dei, Dauid orantem quodam in loco, & dicentem: Quoniam inueni Domine cor meum, vt orarem ad te. Inuenisse se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitiuum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me. Patitur ista nostra Deus, & expectat tamen à nobis orationem: & quando illi eam dederimus, accipit gratè, & exaudit, nec meminit tantas, quas inconditè fundimus, & accipit vnam, quã vix inuenimus. *Magnane igitur eius ista patientia est?* Quis enim est homo, cum quo si amicus eius cœperit colloqui, & noluerit ille respondere collocutioni eius, & viderit eum auerti à se, & aliud loqui ad alium; quis hoc ferat? Aut si interpelles iudicem, & constituas eum loco, vt te audiat, & subitò, cùm ad eũ loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo: quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diuersas res cogitantium: omitto

Matth. 5.

[a] In Psal. 85. ante medium.

2 Reg. 7.

Psalm 39.

omitto dicere & noxias; omitto dicere aliquando peruersas & inimicas Deo: ipsas superfluas cogitare, iniuria est eius, cumquo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris. Sed quid? Desperandum est de genere humano, & dicendum iam ad damnationem pertinere omnem hominem, cui surrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, quæ spes remaneat non video.
3 In Psal. 140. post medium. Sed 3 qualem modò dixi? Eum qui solum Deum colit, qui Christum confitetur, qui Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnum Deũ nouit, qui nõ post eum fornicatur, qui non adorat dæmones, qui auxilium sibi à diabolo non requirit, qui tenet Ecclesiam Catholicam, de cuius fraude nemo conqueritur, de cuius pressura non gemit vicinus infirmus, qui vxorem alienam non tentat, qui contentus est sua, aut qui nec ipsa sua, sed quomodo licet, & quomodo permittit Apostolica authoritas, & disciplina, vbi consensus est amborum, aut vbi nondum ducta est. Qui iam talis est, deprehenditur tamen in istis *culpabilis esse*, quæ iam dixi. In istis ergo quotidianis peccatis omnibus, quæ spes est, nisi humili corde dicamus in oratio-
Matth. 6. ne Dominica: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit-
1 Ioan. 2. timus debitoribus nostris: & aduocatum habeamus apud Patrem nostrum, Iesum Christum iustum, vt ipse sit propitiatio pro peccatis nostris?

Cap. xx.

Iustum est, vt homo qui peccauit, confiteatur suum peccatum, & illud odio habeat, quia Deus odit: quo facto fit similis Deo.

Quod profectò, si consenserimus, firmiterq́ crediderimus tam esse necessarium ad salutem, quàm est iustum & verum; optimè de nobis dici poterit (si tamen etiam fecerimus) quod scriptum est: Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo respexit. Quid est hoc? 1 Veritas de terra orta est: confessio ab
1 In Psal. 84. prope finem. homine *facta est*. Homo enim peccator es. O terra, qui quãdo
Genes. 3. peccasti, audisti: Terra es, & in terrã ibis; oriatur de te veritas, vt respiciat de cælo iustitia. Quomodo ergo orietur à te veritas, cùm tu peccator sis, cùm tu iniquus sis? Confitere peccata tua, & orietur de te veritas. Si enim, cùm sis iniquus, dicis te iustum, quomodo à te orietur veritas? Si autẽ, cùm sis iniquus, dicis

dicis te iniquum; veritas de terra orta est. Intende illum publicanum longè à Pharisæo, in templo orantem, qui neque oculos ad cælum audebat leuare; sed percutiebat pectus suum dicens: Domine, propitius esto mihi peccatori. Ecce veritas de terra orta est, quia confessio peccatorum ab homine facta est. Quid ergo sequitur? Amen dico vobis, quia descendit iustificatus publicanus ille magis quàm ille Pharisæus; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Orta est veritas de terra, in confessione peccatorum: & iustitia de cælo prospexit, vt descenderet iustificatus publicanus ille magis, quàm ille Pharisæus. Nam vt noueris quia veritas pertinet ad cõfessionem peccatorum, ait Ioannes Euangelista: Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quomodo ergo veritas de terra orietur, & iustitia de cælo prospiciet? Audi illum sequentem, & dicentem: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus Deus, vt remittat nobis peccata; & purget nos ab omni iniquitate. Veritas ergo de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Quæ iustitia de cælo prospexit? Tanquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipse sibi nõ pepercit: ignoscamus, quia ipse agnoscit. Conuersus est ad puniendum peccatum suum: conuertar & ego ad eum liberandum. Attende rem necessariam, attende, percipe, fer tecum, & non sit inane semen Dei in corde tuo. Veritas, inquit, de terra orta est, confessio peccatorum ab homine: & iustitia de cælo prospexit, id est, à Domino Deo data est iustificatio confitenti: vt ipse agnoscat impius, pium se fieri non posse, nisi ille fecerit, cui confitetur; credendo in eum qui iustificat impium. Tu ergo peccata potes habere; fructum bonum non potes habere, nisi ille dederit, cui confiteris. Ideo cùm dixisset, Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit: tanquam diceretur ei, Quid est, quod dixisti: Iustitia de cęlo prospexit? Etenim Dominus, inquit, dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Nos ergo respiciamus nos: & si nihil in nobis inuenerimus nisi peccatum, oderimus peccata, & desideremus iustitiam. Cùm enim cœperimus odisse peccata, iam ipsum odium peccatorum similes nos incipit facere Deo: quia hoc odimus, quod odit & Deus. Cùm ergo cœperis odisse peccata, & confiteri Deo; cùm te delectationes illicitæ rapiunt, & ducunt te ad ea quæ tibi non prosunt: ingemisce ad Deum: & confitens illi peccata tua merce-

Luc. 18.

1. Ioan. 1.

Psalm. 84.



mereberis ab illo delectationem; & suauitatem iustitiæ faciendæ dabit tibi, vt incipiat te delectare iustitia, quem primò delectabat iniquitas: vt qui primò gaudebas in ebrietate, gaudeas in sobrietate: & qui primò gaudebas de furtis, vt tolleres homini quod non habebas; quæras donare non habenti quod habebas. Et quem delectabat rapere, delectet donare: quem delectabat spectare, delectet orare: quem delectabant cantica nugatoria & adulterina, delectet hymnum dicere Deo; currere ad Ecclesiam, qui primò currebat ad theatrum. Vnde nata est ista suauitas, nisi quia Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum? *Et quæ est terra nostra? Vtique anima nostra. Et quomodo dabit illa fructum suum? Nunquam stando in peccatis, nec se in eis delectando, sed odio illa habendo, & detestando.* 2 Vnde & de quodam pio & bono dicitur: Et in via peccatorum non stetit. Sed quomodo ille non stetit; sic iste adstitit omni viæ non bonæ, *de quo alibi dicitur*: Malitiam autem non odio habuit. Ibi est finis, ibi fructus. Si non potest homo non habere malitiam, vel oderit illam. Cùm enim odisti illam, vix tibi surrepit vt aliquid mali facias. Est enim peccatum in mortali corpore. Sed quid dicit Apostolus? Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis eius. Quando incipit non esse? Quando complebitur in nobis quod ait: Cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Antequam hoc fiat, est delectatio iniquitatis in corpore: sed maior est delectatio voluptatis verbi, sapientiæ, præcepti Dei. Vince peccatum & voluptatem eius. Peccatum & iniquitatem oderis, vt iungas te Deo, qui tecum illud odit. 3 Quid odit? Iniquitatem. Nunquid te? Sed in te est iniquitas. Odit illam Deus: oderis & tu, & vnam rem ambo oderitis. Eris enim Deo amicus, si odisti quod odit. Ita & amabis quod amat. Displiceat in teipso tibi iniquitas tua, & placeat tibi creatura ipsius. Homo enim es iniquus. Duo dixi nomina: duo nomina, homo & iniquus. In istis duobus nominibus vnum est naturæ, alterum culpæ. Vnum tibi Deus fecit: alterum tu fecisti. Ama quod Deus fecit: oderis quod tu fecisti: quia & ipse hoc odit. Vide quomodo iam illi incipias coniungi, *& pacem cum eo habere, cùm odisti quod odit, & locum ei in corde tuo fecisti.*

2 In Psal. 35. ante mediū. Psalm. 1. Psalm. 35.
Rom. 6.
1 Cor. 15.
3 In Psal. 44. in medio.

CAP.

CAP. XXI.

Per confeßionem peccati quomodo pax conficienda cum Deo: & homo quomodo secum bellum hic gerat; cuiúsque dono fiat vt sibi peccatum displiceat.

1 PRius ergo, ô homo, confitere tu peccata tua, & sic in teipso fit locus Dei: quia factus est (*vt Psalmus habet*) in pace locus eius. Quamdiu enim non confiteris peccata tua, quodammodo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cũ illo litigas, qui, quod illi displicet, laudas? Punit ille furem: tu furtum *si facis*, laudas: punit ille ebriosum, tu laudas ebriositatem. Litigas cum Deo, non fecisti illi locum in corde tuo, quia in pace factus est locus eius. Et quomodo incipis pacem habere cum Deo? Vt *ipse tibi primùm irascaris: deinde, vt* hoc tibi displiceat, quod illi displicet. Displicet illi vita tua mala. Si placeat tibi, disiũgeris ab illo: si displiceat tibi, per confessionẽ illi cõiungeris. Vide ex quãta parte dissimilis es, quãdo vtiq. propter ipsam dissimilitudinem displices. Factus enim es, ô homo, ad imaginem Dei: per vitã verò peruersam & malam, perturbasti in te, & exterminasti in te imaginem cõditoris tui. Factus dissimilis, attẽdis in te, & displices tibi: iam ex eo cœpisti similis fieri, quia hoc in te tibi displicet, quod displicet & Deo. Sed quomodo sum similis, inquis, Deo, quãdo adhuc mihi displiceo? Incipe adiungi Domino in cõfessione, perficieris in pace. Adhuc enim habes aduersum te bellum. Indicitur tibi bellum, non solũ aduersus suggestiones diaboli, aduersus principẽ potestatis aëris huius, qui operatur in filiis diffidentiæ, aduersus diabolũ & angelos eius, spiritalia nequitiæ: non solũ ergo aduersus ipsos tibi bellum indicitur; sed etiã aduersus teipsum. Quomodo aduersus teipsum? Aduersus tuam consuetudinem malã, aduersus vetustatẽ vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitã, & refrenatur à noua. Indicitur enim tibi quædam noua vita, & tu vetus es. Nouitatis gaudio suspenderis: vetustatis onere prægrauaris. Incipit tibi esse bellũ aduersus te. Sed ex qua parte tibi displices, iungeris Deo: & ex qua parte iã iungeris Deo, idoneus eris ad vincẽdum te: quia ille tecũ est, qui omnia superat. Attende quid dicit Apostolus: Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Vnde mente? Quia displicet tibi vita tua mala. Vnde carne? Quia nõ desunt suggestiones & delectationes malæ: sed ex eo quod mente iungeris Deo, vincis quod in te nõ vult sequi. Præcessisti enim ex parte, & ex parte tardaris.

1 In Psal. 75. post initium.

Psalm. 75.

Trahe

Trahe teipsum ad illum qui te sursum tollit. Pondere quodam
Rom. 7. vetustatis grauaris, clama & dic: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quis me liberabit ab eo à quo grauor? Corpus enim, quod corrũpitur, aggrauat animam.
Sapien. 9. Quis ergo liberabit? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quare autem permittitur vt diu contra te litiges, donec absorbeantur omnes cupiditates malæ? Vt intelligas in te pœnam tuam. In te ex teipso est flagellum tuum: sit rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem aduersus Deum, vt ☞ ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cùm Deo. Sed tene membra tua aduersus concupiscentias tuas malas. Surrexit ira, tene tu manum coniunctus Deo. Potuit surgere, sed non inuenit arma. Apud iram tuam impetus est: apud te arma sunt. Sit impetus inermis, & discat iam non surgere, qui frustra surrexit. Et si non possunt modò nisi esse desideria carnalia, non est illis consentiendum. Propterea non dixit Apostolus: Non sit peccatum in vestro mortali corpore: nouit enim quia quamdiu mortale est; est ibi peccatum: sed quid ait? Non ergo
Rom. 6. regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quid est, Non regnet? Ipse exposuit. Ad obediendum, inquit, desideriis eius. Sunt desideria, existunt desideria: non tu obaudis desideriis tuis, non sequeris ipsa desideria, non illis consentis. Est tibi peccatum, sed amisit regnum, quando iam in te non regnat peccatum. Fit ergo quod dicit Apostolus: Corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem vita est propter iustitiam. Si autem qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter spiritum suum qui habitat in vobis. Viuificatis ergo corporibus, erit pax vera, vbi locus est Dei: sed hîc præcedat *ex dono eiusdem Spiritus sancti*
a In Psal. 50. non procul à fine. *confessio.*[a] Est enim spiritus sanctus in cõfitente. Quare ad donum spiritus sancti & illud pertinet, quia tibi displicet, quod fecisti. Immundo spiritui peccata placent: sancto displicent. Quamuis ergo adhuc veniam in cõfessione depreceris; tamen ex alia parte, qua tibi displicet malum quod commisisti, Deo coniungeris. Hoc enim & tibi displicet, quod & illi. Iam duo estis ad expugnandam febrem tuam, tu & medicus. Quia ergo non potest esse confessio peccati, & punitio peccati in homine à seipso, cùm quisque sibi irascitur, & sibi displicet, sine dono spiritus sancti non est.

CAP.

CAP. XXII.

Peccatum omne puniendum est: & homo si quando illud in se punit, iustus fit, etiam si ex parte peccator sit: nec odit se, cùm sic sæuit in se.

1 Sed non potest, *quamuis peccatum tuũ confitearis*, vt Deus non puniat peccatum. Puniendum est peccatum: si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præueni illum: non vis vt ipse puniat, tu puni. Ideo enim adhuc ipse parcit, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est, minas. Clamaret tantum feriturum se, si vellet ferire? Differt ergo manum à peccatis tuis: tu noli differre. Conuerte te ad punienda peccata tua: quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit, aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, vt ille ignoscat. Attende exemplum in Psalmo pœnitentiæ: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Nunquid dixit, à me? Alio enim loco apertè dicit: Ne auertas faciem tuam à me. Ergo auerte faciem tuam à peccatis meis. Nolo videas peccata mea: quia videre Dei, animaduertere est. Ideo & iudex, quod punit, animaduertere dicitur, id est, animum illuc vertere, intendere vtique ad puniendum, quia iudex est. Sic est & iudex Deus, cui dicis: Auerte faciẽ tuã à peccatis meis. Tu ab ipsis faciẽ noli auertere, si vis vt Deus ab ipsis auertat faciem suã. Vide quomodo hoc offert Deo in ipso Psalmo: Facinus meũ ego, inquit, agnosco, & peccatũ meu ante me est semper. Hoc non vult esse ante Deũ, quod vult esse ante se: *istum ergo & tu imiteris. Primùm agnosce tuum peccatum, vt Deus ignoscat. Deinde ante oculos tuos nunc illud constitue, ne sit aliquãdo ante oculos venturi iusti iudicis Christi.*[2] Postremò, quia in corpore Christi es, & adhuc portas mortalitatẽ quandam; tu tibi esto etiam iudex iustus, & in te esto iustus. Peccator es, vindica in te: redi ad conscientiam tuam, & exige de te pœnas, crucia teipsum. Ita enim offert sacrificium Deo: quia si voluisses, sacrificium dedissem: vtique, ait peccator, holocaustis non delectaberis. Quid ergo? Nullum accipit sacrificium? Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit: Humilia cor tuum, contere cor tuum, crucia cor tuum; & tu teipsum emendabis in misericordia. Non enim odisti te, cùm sæuis in te. Eris in parte emendata iustus, quamuis sis adhuc in emendanda peccator.

[1] In Psal. 44. in medio.

Psalm. 26.

Psalm. 61.

Psalm. 50.

[2] In Psal 146. in medio.

Psalm. 50.

Ex qua parte enim tibi displices, iustus es: ex qua parte tibi displicet in te quod iniustum est, iustus es: & ex qua tibi displicet in te quod iustū est, iniustus es. Vis videre quàm iustus sis? Hoc in te tibi displiceat, quod & Deo. Iam coniunxisti te voluntati Dei, si in teipso, nō quod ille fecit, sed quod ille odit, odisti. Ex eo quòd odisti in te, quod fecisti, quod odit & ille, qui hoc non fecit: cœpisti in te esse seuerus, erit ille misericors. Parcet, quia tu nō pepercisti. Ergo ex quo cōiunctus es oculis eius, & cōdelectaris legi eius, & hoc in te arguis, quod lex eius arguit, & hoc in te tibi displicet, quod & oculis Dei displicet; vide quàm iustus es. Ex quo autem lapsus, fecisti ea quę displicent Deo, & fragilitate quadam infirmitatis humanæ prolaberis in illa, & adhuc portas infirmitatem carnis, & gemis cuiusdam reluctationis conscientia: ex hac parte iustus es, & ex hac iniquus & peccator. Quomodo, inquis, ex quadam parte iustus, ex quadam parte peccator? Quid est quod dicis? Laboramus; videmur loqui contraria, nisi nobis subueniat Apostolica authoritas. Audi illud ab Apostolo, ne me malus intellector
Rom. 7. accuses. Condelector enim, inquit, legi Dei secundùm interiorem hominem. Ecce iustus. An non est iustus qui condelectatur legi Dei? Vnde ergo peccator? Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Adhuc bellum aduersus me gero, nondum sum totus instauratus ad imaginem fabricatoris mei; cœpi resculpi, & ex ea parte qua reformor, displicet mihi quod deforme est. Ergo quandiu ita sum, quid spero? Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Gratia Dei, quæ cœpit iam resculpere; gratia Dei, quæ infundit suauitatem, vt iam per interiorem hominem condelecteris legi Dei: inde cætera sanabuntur, vnde & ista sanata sunt. Geme adhuc
1 Cor. 9. vulneratus, castiga te, displice tibi. Non sic pugno, inquit, quasi aërem cædens, sed castigo corpus meum. Nunquid qui castigat corpus, odit corpus? Si quis castigat seruum, odit seruum? Si quis verberat filium, odit filium? Et vt aliquid coniunctius eloquamur: caro tua tanquā coniunx tua est. Hoc ipse
Ephe. 5. Apostolus dicit: Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Certè caro tua tanquam coniunx est; & nemo carnem suam odio habet. Ta-
Galat. 5. men quid ait alio loco? Caro concupiscit aduersus spiritum, & spi-

& spiritus aduersus carnem. Concupiscit aduersus te, tanquam coniunx tua: ama & castiga, donec fiat in vna reformatione concordia. Non te deponat, non te abrumpat. Porta, erudi, castiga: reparabitur in fine.

CAP. XXIII.

Prædictorum epilogus, quo etiam declaratur, quàm iniquè & peruersè multi sua peccata defendant, quò Deus iniustus, ipsi iusti videantur.

Ergo [1] iniquitas omnis, parua, magnáue sit, puniatur necesse est; aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante. Nam & quem pœnitet, punit seipsum. Prorsus aut punis, aut punit Deus. Vis non puniat? Puni tu. Nam & illud fecisti, quod impunitum esse non possit: sed à te puniatur potius, vt facias quod in illo Psalmo scriptum est: Præueniamus faciem eius in confessione. Quid est, Præueniamus faciem eius in confessione? Antequam ipse attendat, vt puniat; tu præueni confitendo, & puni. Non ille inueniat quod puniat: quia cũ tu punis iniquitatem, facis æquitatem. Et ideo tui miserebitur Deus, quia iam te operantem æquitatem inuenit Deus. Quid est, operantem æquitatem? Quia hoc in te odisti, quod & ille odit, vt incipias placere Deo, dum hoc in te punis, quod displicet Deo. Nam non potest impunitũ relinqui peccatum: quia verum est. Non miserearis omniũ qui operantur iniquitatem. Est quædam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri vt misereatur ei Deus. Quæris fortè quænam illa sit. Ipsa est defensio peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur. Hoc defendit quod Deus odit. Et vide quàm peruersè, quàm iniquè. Si quid boni fecerit, sibi vult imputari: si quid mali, Deo. Nam hoc modo defendunt homines peccata sua ex Dei persona, quod peius est. Quid est hoc? Nemo est, qui audeat dicere: Bonum est adulterium, bonum est homicidium, bona fraus, bonum periurium: nullus prorsus hominum. Nam qui illa etiam faciunt, clamant mala hæc esse, quando patiuntur. Omnino ergo non inuenies animam tam peruersam, tam extorrem à societate generis humani, & à participatione cõmunis sanguinis ex Adam, cui videatur bonũ esse adulteriũ, sicut dixi: fraus rapina, periuriũ. Sed quomodo *homines* ea defendũt? Si Deus noluisset, nõ id fecissem. Ergo ad hoc peccatũ tuũ defendis, vt

[1] In Psal. 58. concione 1. in medio.

Psalm. 94.

Psalm. 58.

Deum accuſes. Ideo excuſatur reus, vt culpetur iudex: *cùm Deus dicitur voluiſſe malum, quod homo ne faceret, euitaſſe potuit.* [a] Fortè dicas: Nemo hoc dicit. Quis eſt enim qui dicat; Deus hoc voluit? Multi & hoc dicunt. Sed & qui hoc non dicunt, & aliud dicunt, quid dicunt? Fatum mihi fecit: ſtellæ me fecerunt. Ità iam per circumitum ad Deum volunt peruenire. Per circumitum volunt peruenire ad Deum accuſandum, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum; & dicunt, Fatum mihi fecit. Ergo vides quòd voluiſti dicere: Deus fecit vt peccarem. Ita ille iniuſtus, tu iuſtus: quia niſi ille feciſſet, tu non peccaſſes. Tolle iſtas excuſationes in peccatis: memento illius Pſalmi, Ne declines cor meum in verba maligna, ad excuſandas excuſationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem. Ad hæc enim magni viri ſunt, & qui prætendunt peccata ſua; magni ſunt & qui numerant ſidera, & computant ſtellas & tempora, & dicunt quis quando vel peccet, vel bene viuat; & quando Mars faciat homicidam, & Venus adulteram. Magni docti viri, & electi videntur in hoc ſæculo. Sed quid ait vir ſanctus in Pſalmo? Ne declines cor meum in verba mala, cum hominibus operantibus iniquitatem; & non communicabo cum electis eorum. Dicant illi electos & doctos numeratores ſiderum: dicant illi ſapientes eos, qui quaſi degerunt in digitis facta humana, & deſcribunt de ſtellis mores humanos. Cum libero arbitrio me creauit Deus. Si peccaui, ego peccaui: Ego dixi, Domine miſerere mei. Clamat æger ad medicum: Ego dixi. Quare, Ego dixi? Sufficeret, dixi. Sed dictum eſt, Ego dixi: ego, non fatum, non fortuna. Vnde etiã in Euangelio de illa muliere quæ in ciuitate peccatrix fuit, à Domino ad Phariſæum dictum eſt: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. [3] Quare? Quia *peccatum ſuum* cõfeſſa eſt, quia fleuit, quia non declinatum eſt cor eius in verba maligna, ad excuſandas excuſationes in peccatis: non combinata eſt cum electis eorum, id eſt, defendentibus ſe. Non enim & huic ipſi mulieri, ſi declinaretur cor eius in verba maligna, deeſſet defenſio peccatorũ. An non quotidie pares eius in turpitudine, ſed non pares in confeſſione, meretrices, adulteræ, flagitioſæ defendunt peccata ſua? Si latuerint, negant: ſi autem vel deprehenſæ vel conuictæ fuerint, vel publicè id egerint, defendunt. Et quàm facilis defenſio earum, quàm cita, quàm præceps, quàm quotidiana, & quàm ſacrilega? O ſi Deus hoc nollet,

[a] In Pſal. 31. cóc. 2. in med.

Pſalm. 140.

Pſalm. 40.

Lucæ 7.

[3] In Pſal. 140. ante mediũ.

nollet, non facerem. Hoc voluit Deus; fortuna hoc voluit, hoc voluit fatum. Non dicit: Ego dixi, Domine miserere mei: non quomodo illa peccatrix, ad pedes medici veniens: Sana animam meam, quoniam peccaui tibi. Et ista defensio qualium est? Non solùm indoctorum, sed etiam, vt diximus, doctorum. Sedent & computant sidera, interualla, cursus, volubilitates, status, motus intendunt, describunt, coniiciunt. Docti, magni vidētur. Totum hoc doctum & magnum, defensio peccati est. Eris adulter, quia sic habes Venerem. Eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu: & Venus adultera, non tu. Sed vide ne pro Marte & Venere tu damneris. Deus enim, qui damnaturus est, nouit quia tu es qui dicis, Non ego *hoc feci*. Psalm. 40.

Cap. XXIIII.

Idem & hîc ostenditur per recapitulationem.

1 PEruersi itaque homines & perturbati mala sua Deo tribuunt, bona sua sibi. Si quid boni fecerit *quis eorum*, ego feci, dicit: si quid mali fecerit, quærit quem accuset, ne confiteatur Deo. Et quid est, quærit quem accuset? Si non est valde impius, ad manum satanam habet, quem accuset. Satanas fecit, dicit: ipse mihi persuasit: quasi satanas habeat potestatē cogēdi. Astutiam suadendi habet. Sed si satanas loqueretur, & taceret Deus; haberes vnde te excusares. Modo aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, hinc auertuntur? Non cessat satanas suadere malum: sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit inuitum: in tua potestate est cōsentire aut non consentire. Si aliquid suadēte satanâ mali feceris, dimitte satanam, accusa te, vt accusatione tua Dei misericordiam merearis. Expetis illū accusare, qui non habet veniam? Te accusa, & accipis indulgentiam. Deinde multi non accusant satanam, sed accusant fatum, *sicut diximus*. Fatum meum me duxit, dicit. Cùm dixeris illi: Quare fecisti? quare peccasti? Et ille: Fato meo malo. Ne dicat, Ego feci; iam manus ad Deum tendit; lingua blasphemat. Nondum quidem hoc apertè dicit: sed tamen attende, & vide quia hoc dicit. Quæris ab illo, quid sit fatum: & dicit, stellæ malæ. Quæris ab illo, quis fecit stellas, quis ordinauit stellas? non habet quid tibi respondeat, nisi, Deus. Restat ergo, vt, siue per transennam, siue per cannam longam, siue 1In Psal. 91. in initio.

per proximum, Deum accuſet: & cùm Deus puniat peccata, Deum facit autorem peccatorum ſuorum. Non poteſt enim fieri vt puniat quod fecit. Punit quod facis, vt liberet quod fecit. Aliquando autem dimiſſis omnibus, omnino directè *tales homines* eunt ad Deum, & quando peccant, dicunt, Deus hoc voluit; & ſi nollet Deus, non peccarem. Ergóne ad hoc monet Deus, non vt audiatur, vt non pecces; ſed accuſetur, quia peccas?

Cap. xxv.

Nonnulli ſic defendūt peccata ſua, vt dicant illa placere Deo: & hi vtique negant eſſe Deū, non quidem ore, ſed corde.

1 To. 9 lib. de Continentia, cap. 6.

1 SVnt & qui eo modo in excuſatione peccatorum ſuorum accuſant Deum, vt dicant ei placere peccata. Nam ſi diſplicerent, inquiunt, nullo modo ea fieri omnipotentiſſima vtique poteſtate permitteret: quaſi verò Deus impunita peccata eſſe permiſerit, etiam in eis quos à ſupplicio ſempiterno remiſſione liberat peccatorum. Nullus quippe debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcunque etſi longè minorem quàm debeat, ſoluerit pœnam. Atque ita impartitur largitas miſericordiæ, vt non relinquatur etiam iuſtitia diſciplinæ. Nam & peccatum, quod inultum videtur, habet pediſſequam pœnam ſuam: vt nemo de admiſſo niſi aut amaritudine doleat, aut cæcitate non doleat. Sicut ergo tu dicis: Cur Deus permittit iſta, ſi diſplicent: ita ego dico, cur punit iſta, ſi placent? Ac per hoc, ſicut ego confiteor, quòd omnino iſta non fierent, niſi ab omnipotente permitterentur; ita tu confitere facienda non eſſe, quæ à iuſto puniantur: vt non faciendo quæ punit, mereamur ab eo diſcere cur permittit eſſe quæ puniat:
Hebr. 6. Perfectorum eſt enim, ſicut ſcriptum eſt, ſolidus cibus: in quo hi qui bene profecerunt, iam intelligunt ad omnipotentiam Dei potius id pertinuiſſe, vt ex libero arbitrio voluntatis venientia mala, eſſe permitteret. Tanta quippe eſt omnipotens eius bonitas, vt etiam de malis poſſit facere bona, ſiue ignoſcēdo, ſiue ſanando, ſiue ad vtilitates piorum coaptādo, atque vertendo: ſiue etiam iuſtiſſimè vindicando. Omnia namque iſta bona ſunt, & Deo bono atque omnipotenti digniſſima: nec tamen fiunt, niſi de malis. Quid igitur melius, quid omnipotentius eo, qui cùm mali nihil faciat, bene etiam de malis faciat?

ciat? Clamant ad eum qui mala fecerunt: Dimitte nobis debita nostra: exaudit, ignoscit. Nocuerunt sua mala peccantibus; subuenit eorum, medeturque languoribus: sæuiunt eorum hostes, de illorum sæuitia facit martyres. Postremò etiam condemnat eos quos damnatione iudicat dignos; sua licet illi mala patiantur, facit tamen ille quod bonum est. Non potest enim bonum non esse, quod iustum est. Et vtique sicut iniustum est peccatum, ita iustum est peccati supplicium. Non autem potestas Deo defuit, talem facere hominem, qui peccare non posset: sed maluit eum talem facere, cui adiaceret peccare, si vellet; non peccare, si nollet: hoc prohibens, illud præcipiens: vt prius esset illi bonum meritum, non peccare; & postea iustum præmium, non posse peccare. Nam etiam tales sanctos suos in fine facturus est, qui omnino peccare non possint. Tales habet quippe etiam nunc angelos suos, quos in illo sic amamus, vt de nullo eorum, ne peccando fiat diabolus, formidemus. Omnipotens enim Deus, qui operatur bona etiam de nostris malis; qualia dabit bona, cùm nos liberauerit ab omnibus malis? Multa de bono vsu mali copiosiùs possunt & subtiliùs disputari; sed neque hoc isto sermone suscepimus, & eius nimia vitanda est longitudo. Nunc ergo ad illud, propter quod diximus ista, redeamus. [2] Qui itaque putat Deo placere facta mala, non eum putat Deum. Si enim Deus est, iustus est: si iustus est, displicet ei iniustitia, displicet iniquitas. Tu autem cùm putas ei placere iniquitatem, negas Deum. Si enim Deus est, cui displicet iniquitas, tibi autem non videtur esse Deus, cui displicet iniquitas: non est autem Deus, nisi cui displicet iniquitas: cùm dicis in corde tuo, Fauet iniquitatibus meis Deus, nihil aliud dicis, quàm, non est Deus. [3] Multi autem loquuntur istam iniquitatem, sed non audent palam, ne blasphemi exhorreantur ab hominibus piis. In corde suo ista rodunt: intus tali nefario cibo pascuntur: delectat eos loqui aduersus Deum iniquitatem; etsi non erumpunt lingua, corde non tacent. Vnde in Psalmo dicitur: Dixit stultus in corde suo, non est Deus. Dixit stultus, sed homines timuit: noluit dicere vbi audirent homines. Et vbi dixit? Vbi audierat ipse de quo dixerat. *In sermone non dixerat; quia ibi se continebat: sed in cogitatione, qua sibi complacebat.* [4] Ideo ergo dixit, In corde suo: quia hoc de Deo nemo audet dicere, etiam si ausus fuerit cogitare.

Matth. 6.

[2] In Psal. 52. in princip.

[3] In Psal. 74. in medio.

Psalm. 13.

[4] In Psal. 13. in initio.

CAP. XXVI.

Superbus est qui sua peccata defendit, quacunque ratione, siue fallacia, & in quoddam profundũ se demergit, à quo non facilè potest erui.

1 To. 9. lib. de Continent. cap. 5.

1 ET hic ergo cautiore opus est continentia, qua cohibeatur superbus hominis appetitus, quo placet sibi, & non vult culpabilis inueniri, dedignaturque, cùm peccat, cõuinci, quòd ipse peccauerit: non salubri humilitate suscipiens accusationem sui; sed excusationem potius ruinosa elatione conquirens. Ad hanc superbiam coërcendam, continentiam petiuit à Domino ille, cuius superius verba iam posui, & sicut potui, commendaui. Namque cùm dixisset: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium continentiæ circum labia mea: Ne declines cor meum in verba maligna: vnde hoc diceret, euidenter explicans; Ad excusandas, inquit, excusationes in peccatis. Quid enim malignius his verbis, quibus malus malum se negat, etiam de opere malo conuictus, quod negare non valeat? Et quoniam factum non potest tegere, nec benefactum potest dicere, & à se factum videt patêre, quærit in alium referre quod fecit, tanquam inde possit auferre quod meruit: nolens se esse reum, addit potius ad reatum, & sua excusando, non accusando peccata, ignorat non se pœnam remouere, sed veniam. Apud homines enim iudices, quoniam falli possunt, quacunque velut purgare fallacia, quod perperam factum est, prodesse aliquid videtur ad tempus: apud Deum autem, qui falli non potest, non est adhibenda fallax defensio, sed verax confessio peccatorum. Et alij quidem (*vt iam aliquoties suprà dictum est*) qui sua consueuerunt excusare peccata, fato se quidem ad peccandum queruntur impelli: tanquam hoc decreuerint sidera: & cælum prius talia decernendo peccare; vt homo postea talia committendo peccaret. Alij fortunæ malunt imputare quòd peccant, qui omnia fortuitis casibus agitari putant, nec tamen hoc se fortuita temeritate, sed perfecta ratione sapere atque asseuerare contendunt. Qualis ergo dementia est, disputationes suas rationi tribuere, & actiones suas casibus subiugare? Alij totum quod malè faciunt, in diabolum referunt: nec volunt cum illo habere vel partem, cùm illum sibi occultis suggestionibus mala suasisse suspicari possint, se autem illis suggestionibus, vndecumque fuerint, con-

Psalm. 141. (margin, beside "commendaui. Namque cùm dixisset")

consensisse dubitare non possunt. Sunt etiam, qui excusationem suam extendunt in accusationem Dei, diuino iudicio miseri, suo autem furore blasphemi. *Quanta autem horum omnium miseria sit, quis dicat? Quo enim malo seipsos inoluunt? In quam tempestatem, in quod profundum se coniiciunt & immergunt? A quo sanctus quidam precabatur se posse liberari, in id vltro se isti præcipitant.* 2 Non me, inquit, demergat tempestas aquæ: neque absorbeat me profundum, neque coarctet super me puteus os suum. Quid est hoc? Quid deprecatus est? Magnus est puteus, profunditas iniquitatis humanæ. Illuc quisque si ceciderit, in altum cadet. *Sic isti ceciderunt, nec surrexerunt, qui se defendere, non accusare voluerunt; qui peccata sua non sibi, sed nescio cui imputauerunt.* Sed tamen ibi quis positus, si confitetur tandem peccata sua Deo suo, non super eum claudit puteus os suum: vt est in alio quodam Psalmo scriptum, De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Si autem factum fuerit in illo, quod in alia sententia scriptura dicit: Peccator cùm venerit in profundum, contemnet: clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? Quia clausit os illius. Perdidit enim confessionem: verè mortuus est, impletumque est in eo, quod alibi dicitur: A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Metuenda illa res est vehementer. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Quādo autē illi dixeris iniquitatem ipsius, & dixerit: Verè peccaui, fateor: non super eum clausit puteus os suum. Cùm autē videris eum dicere: Quid enim mali feci? *nunquid ego feci?* factus est defensor peccati sui: clausit super eum puteus os suum: quà eruatur, non habet. Amissa confessione, non erit locus misericordiæ. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? Vt ergo sit ille liberator, tu esto accusator, *tu esto deprecator,* & 3 in Psalmo clamabis: De profundis clamaui ad te Domine. Nam qui iam de profundo clamant, non penitus in profundo sunt: clamor ipse iam leuat. Sunt alij profundiùs in profundo, qui nec sentiunt se esse in profundo. Tales sunt superbi contemptores, non pij deprecatores, non lachrymosi clamatores: sed tales quales prædicto loco scriptura designat: Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Cui enim parum est, esse peccatorem, nisi etiam non sit peccatorum suorum confessor, sed defensor; altior in profundo est.

2 In Psal. 68. cóc. 1. in fine.

Psalm 129.

Prou. 18.

Eccl. 17.

3 In Psal. 39. ante mediū.

Prou. 18.

CAP. XXVII.

Quid soleat peccator dicere, qui in profundum malorum venit: sed ne talis desperet, consolatione reuocatur, & exemplo Dauidis ad spem veniæ erigitur.

1 In Psal. 129. in principio. [1] IAm vide quale profundum sit, vbi contemnitur Deus. Cùm quisque viderit se peccatis quotidianis obrutum, aceruis quibusdam, & molibus quibusdā iniquitatum premi; si dictum illi fuerit, vt Deum roget; irridet. Quibus modis? Primò dicit: Si Deo displicerent facinora, ego viuerem? Si curaret Deus res humanas, ad tanta scelera, quæ feci, non solum viuerem, sed & bene mihi esset? Solet enim hoc illis euenire, qui multum in profundo sunt, & prosperantur in iniquitatibus. Et tanto magis in profundum merguntur, quanto magis videntur esse felices: fallax enim felicitas, ipsa est maior infelicitas. Deinde & hoc solent homines dicere: Iam quoniam multa feci, & damnatio imminet: hoc perdo, quod non facio quicquid possum. Si ex hoc perdor, cur non facio quicquid possum? Quomodo solent desperati latrones dicere: Sic me occisurus est iudex pro decem homicidiis, quomodo pro quinque, quomodo pro vno. Quare iam non faciā? Quicquid mihi occurrerit, facio. Hoc est, Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. [2] Quid est contemnit? Iam nec vllam Dei prouidentiam deputat: aut si deputat, ad eam se pertinere non putat. Proponit sibi peccandi licentiam, sine spe veniæ, habenis iniquitatis effusis. Non dicit: Reuertar ad Deum, vt reuertatur ad me: nec audit, Conuertimini ad me, & reuertar ad vos: quoniam veniens in profundum malorum, contemnit. [3] Quia feci, inquit, scelus magnum, & non mihi potest dimitti: iam faciam & cætera. Hoc enim perdo, quod non facio. Noli timere. In profundo es, noli contemnere de profundo clamare ad Dominūm, & dicere: Si iniquitates obseruabis Domine, Domine quis sustinebit? Obserua illum, & expecta illum, & sustine propter legem ipsius. Quam legem tibi dedit? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. [4] Attende quidem vulneris tui magnitudinem: sed non desperes medici maiestatem. Peccatum cum desperatione certa mors. Nemo ergo dicat: Si iam aliquid mali feci, iā damnandus sum. Deus malis talibus non ignoscit. Cur non modò addo peccata peccatis? Fruar hoc sæculo in volu-

Marginal notes: 2 In Psal. 142. à fine. — Zach. 1. — Prou. 18. — 3 In Psal. 129. in fine. — Matth. 6. — 4 In Psal. 50. post princip.

voluptate, in lasciuia, in cupiditate nefaria. Iam perdita spe reparationis vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo. Quisquis peccasti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo, desperando salutem tuam; audi *& attende* Dauid gementem *in illo notissimo & celeberrimo quinquagesimo Psalmo.* Ad te Nathan propheta non est missus: ipse Dauid ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama: audi gementem, & cōgemisce: audi flentem, & lachrymas iunge: audi correctum, & condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur. Missus est ad istum virum Nathan propheta: attende regis humilitatē. Non respuit verba pręcipientis; nō dixit, Audes mihi loqui regi? Rex sublimis prophetam audiuit: plebs humilis Christum audiat. Audi ergo hæc, & dic cum illo: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Quærant paruam misericordiam tuam, qui nesciendo peccauerūt. Miserere, inquir, mei, secundùm magnam misericordiam tuam. Subueni graui vulneri, secundùm magnam medicinam tuam. Graue est, quod habeo: sed ad omnipotentē confugio. De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem. *5* Iste ergo *quinquagesimus, qui in ordine pœnitentialium quartus est* Psalmus, sicut cautos facit eos qui non ceciderunt: sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.

Psalm. 50.

5 Ibidē supra.

CAP. XXVIII.

Refellitur opinio eorum, qui dicunt promissa spe veniæ, magis homines peccare: & ostēditur, quod & spes & desperatio timendæ sint in peccatis.

SEd *sunt, qui nobis dicunt*: *1* Vos corrumpitis disciplinam, moresque generis humani peruertitis. Quid inueheris? Dic quamobrem? quid fecimus, *ô bone vir*? Dandò, inquit, hominibus pœnitentię locum, promittendo impunitatem omnium delictorum: ideo homines mala faciunt securi, quòd eis, cùm conuersi fuerint, omnia dimittuntur. Et quid agis miser, si non erit portus impunitatis? Si sola fuit peccandi licentia, & nulla peccatorum est indulgentia, vbi eris? quò ibis? Sed tamen, inquit, augent homines peccata spe veniæ. Imò augerent peccata desperatione veniæ. Nónne attendis quàm licentiosa crudelitate viuant gladiatores? Vnde hoc, nisi quia iam tanquam ad ferrum & victimam destinati, explere volunt libidinem, ante-

1 In Psal. 101. concione 1. post medium.

antequam fundant sanguinem. Nónne hoc & tu tibi diceres: Iam peccator sum, iam iniquus, iam damnandus, nulla veniæ spes est. Cur iam non faciam quicquid libet, etsi non licet? Cur non impleam quantum possum, quæcunque desidero, si post hæc non restant, nisi sola tormenta? Nónne hoc tibi diceres, & desperatione ipsa peior fieres? Potius ergo te corrigit, qui indulgentiam promittit, & dicit: Redite præuaricatores ad cor. Nolo mortem impij: tantùm vt reuertatur, & viuat. Hoc procul dubio portu proposito, deponis vela iniquitatis, conuertis proram, velificas ad iustitiam: & sperans vitam, non negligis medicinam. Nec in hoc tibi displiceat Deus, tanquam per istam indulgentiæ promissionem securos fecerit peccatores. Etenim ne desperatione homines peius viuerent, promisit indulgentiæ portum. Rursus, ne de spe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum: prouidentissimè vtrumque constituens, & reuertentes quò recipiantur, & differentes vnde terreantur. Igitur noli desperare: promissa est indulgentia tibi. Deo gratias, inquit, quia promissa est: teneo promissum Dei. Ergo iam bene viue. Cras, inquis, bene viuam. Indulgentiam tibi Deus promisit: crastinum diem tibi nemo promisit. Si malè vixisti, bene viue iam hodie. Stulte, hac nocte auferetur à te anima tua. Non dico, quæ præparasti, cuius erunt: sed secundùm quod vixisti, vbi eris? Corrige ergo te.[a] Magna quippe Dei misericordia, & in hoc quòd diem vitæ tibi incertum fecit, vt nescias quando hinc emigrabis: & cùm quotidie speras, te aliquando conuertas: & in hoc magna eius misericordia. Cæterùm si statuisset diem, omnibus faceret abundare peccata de securitate. Dedit ergo spem veniæ, ne desperando amplius pecces: & spes & desperatio timenda est in peccatis. Vide vocem desperantis ad augenda peccata: & vide vocem sperantis ad augenda peccata: & quomodo vtrique voci occurrit prouidentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Iam, inquit, damnandus sum: quare non facio quicquid volo? Audi & vocem sperantis: Misericordia Domini magna est; quando me conuertero, dimittet mihi omnia. Quare non facio quicquid volo? Desperat, vt peccet: sperat, vt peccet. Vtrumque metuendum est, vtrumque periculosum. Væ à desperatione, væ à peruersa spe. Vtrique huic periculo, & vtrique malo, quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? Iam damnandus sum; quare non

Esaiæ 46. Ezech. 33.

Luc. 12.

a In Psal. 144. in medio.

Vide Tract. 33. in Ioan. & Serm. 59. de verb. Dom. in medio.

facio quicquid volo? Audi ſcripturam: Nolo mortem impij, Ezech.18.
tantùm vt reuertatur & viuat. Hac voce Dei reducitur in
ſpem: ſed timẽdus eſt alius laqueus, ne ipſa ſpe amplius peccet.
Quid ergo & tu dicebas, qui ſpe magis peccas? Quando me
conuertero, omnia mihi Deus dimittet; faciam quicquid vo-
lo. Audi & tu ſcripturam: Non tardes conuerti ad Domi- Ezech.33.
num, neque differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira
illius: & in tempore vindictæ diſperdet te. Noli ergo dicere, Vide To. 2. li.
Cras me conuertam; cras Deo placebo: & omnia hodierna & de Innocent.
heſterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus ſentent.71.
conuerſioni tuæ indulgentiam promiſit: ſed dilationi tuæ
diem craſtinum non promiſit.

Cap. xxix.

Inſtruitur, qui vult propterea differre correctionem vitæ ſuæ, quòd à Deo indulgentia ſit promiſſa conuerſis.

1 QVisquis ergo nõ vis corrigi, quid tibi promittis? Deſpe- 1 D. Auguſt.
rando peris, an ſperando? Video quid mihi reſpondeas. Hom.11.inter
Nec deſpero, vt deſperando peream: nec ſpero malè, vt ſpe- 50.
rando percã. Nec mihi illud dico: nec mihi illud dico. Et quid
dicis? Adhuc modicum tempus viuam, quomodo volo; poſtea
me correxero. Quare non addo aliquid voluptatibus meis, &
viuo quantum volo, quomodo volo; poſtea me conuerſurus ad
Deum? Quare hoc dicis, frater? Quare? Quia promiſit Deus
indulgentiam, ſi me mutauero. Video, ſcio, promiſit Deus in-
dulgentiam: per ſanctum Prophetam hãc promittit, & per me
minimũ ſeruũ ſuũ promittit: verum eſt quòd promittit, hanc
promiſit per vnicũ filiũ ſuum. Sed quid vis addere dies malos Matth. 6.
diebus malis? Sufficiat diei malitia ſua. Malus dies heſternus, 1 Retract.
malus & hodiernus, malus & craſtinus. An putas eſſe bonos cap. 18.
dies, quando ſatisfacis voluptatibus tuis? quando in luxuriis
enutris cor tuum, quando inſidiaris alienæ pudicitiæ, quando
fraude contriſtas proximum tuum, quando commendata ne-
gas, quando falſum pro nummo iuras, quando exhibes tibi bo-
num prandium: ideo putas quia bonum diem ducis? Vnde
fieri poteſt vt dies bonus ſit, cùm malus ſit homo? Malos dies
vis addere malis diebus? rogo. Aliquantum, inquis, dimitte-
tur mihi. Quare? Quia promiſit mihi Deus indulgentiam.
Sed craſtino die te victurum nemo tibi promiſit. Aut lege
mihi, quomodo legis Prophetam, Euangelium, Apoſtolum:

quia cùm te conuerteris, Deus delet omnes iniquitates tuas: lege mihi vbi tibi promissus est crastinus dies: & viue crastino die malè. Quanquam, frater meus, non hoc debui dicere. Longa erit fortè vita tua. Si longa erit, bona sit. Quare vis habere longam vitam, & malam? Aut longa non erit, & illa longa debet te delectare, quæ non habet finem: aut longa erit, & quid mali erit, quia diu bene vixisti? Tu malè vis diu viuere, bene non viuis, & tamen crastinum diem tibi nemo promisit. Corrige te, audi scripturam: Ne tardes conuerti ad Deum. Verba ista mea non sunt: sed & mea sunt. Si amo, mea sunt: ama, & tua sunt. Sermo iste, quem modò dico, scripturæ est. Si contemnis eum, aduersarius tuus est. Sed audi Dominum dicentem: Concorda cum aduersario tuo citò. O male dilator, ô crastini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi Scripturam sanctam prædicantem: Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diem. Vide si non vidit illos, vide si non inspexit illos, qui dicunt: Crastino bene viuam, hodie malè viuo. Et cùm cras venerit, hoc iterum dicturus es. Et ego ecce dico: Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Sed nolo perdat te. Nolo mihi dicas, Perire volo: quia ego nolo. Melius est ergo nolo meum, quàm volo tuum: Si lethargicus pater tuus ægrotaret inter manus tuas, & tu adesses iuuenis ægrotanti seni; & diceret medicus, Periclitatur pater tuus; somnus iste grauedo est quædam lethalis, obserua eum, noli eum permittere dormire: si videris eum dormire, excita eum: si parum est excitare, vellica: si & hoc parum, stimula eum, ne moriatur pater tuus. Ille in dulcem morbum resolutus iret: oculos grauedine illa premente clauderet: tu contrà clamares patri, Noli dormire. At ille: Dimitte me, dormire volo. Et tu: sed medicus dixit, si voluerit dormire, non dormiat. At ille: Rogo, dimitte me, mori volo. Sed ego nolo, dicis filius patri, qui vtique optat se mori. Et tamen vis differre mortem patris tui, & aliquanto diutiùs viuere cum morituro sene patre tuo.  Dominus tibi clamat: Noli dormire, ne in æternum dormias. Euigila, vt mecum viuas, & patrem habeas, quem nunquam efferas. Audis hæc, & surdus es? Scio dicturos esse quosdam: Quid nobis voluit dicere? Terruit grauiter nos: reos nos fecit. Imò à reatu volui liberare. Turpe est, vt vos fallam, si Deus me non fallit. Dominus mortem minatur impiis,

Eccles 5.

Matth. 5.

Eccles. 5.

Vide Ser. 59. de ver. Dom. in fine.

impiis, nequiſſimis, fraudatoribus, ſceleratis, adulteris, voluptatum inquiſitoribus, ſuis contemptoribus, detractoribus, murmurantibus, & mores ſuos non mutantibus. Dominus illis mortem minatur, gehennas minatur, interitum ſempiternum minatur. Quid volunt vt ego promittam quod ille non promittit? Ecce dat tibi ſecuritatem procurator. Quid tibi prodeſt, ſi paterfamilias non acceptet? Procurator ſum, ſeruus ſum: vis, dicam tibi, Viue quomodo vis: Dominus te non perdet? Securitatem tibi procurator dedit: nihil valet ſecuritas procuratoris. Vtinam Dominus tibi ſecuritatem daret, & ego te ſolicitum facerem. Domini enim ſecuritas valet, etiam ſi nolim: mea verò nihil valet, ſi ille noluerit.

CAP. XXX.

Differentibus conuerſionem, & tempus miſericordiæ contemnentibus, minatur Deus de iudicij tempore.

[1] NVnquid igitur dicimus, nõ eſſe miſericordem Deum? Quid miſericordius eo qui parcit tantum peccatoribus, & qui in omnibus conuerſis ad ſe, non curat præterita? Sic enim dilige miſericordem, vt velis eſſe veracem. Non enim miſericordia poteſt illi auferre iuſtitiam, neque iuſtitia miſericordiam. Interim quamdiu ille differt, tu noli differre: [2] noli, quod patet, contra te claudere. Ecce indulgentiæ dator aperit tibi oſtium. Quid moraris? Gaudere deberes, ſi aperiret aliquando pulſanti. Non pulſaſti, & aperit: & foris remanes? Ne ergo differas. De miſericordiæ operibus quodam loco ſcriptura dicit: Ne dixeris, vade & reuertere; cras ego dabo; cùm poſſis continuò bene facere. Non enim ſcis quid contingat ſequenti die. Audiſti præceptum non differendi, vt in alium ſis miſericors: & differendo, in te es crudelis? Non debes differre panem daturus; & differs indulgentiam accepturus? Si miſerando alterum, non differs; miſerere & animæ tuæ, placens Deo. Non dicimus, vt tu ei des, ſed ne repellas manum dantis, *& miſericordiam erogantis. Quid enim peccatori inueterato dulcius eſſe poteſt, quàm vt ei offeratur Dei miſericordia?* [3] Ergo quoniam habes tempus miſericordiæ, non tibi blandiaris, non te dimittas: non dicas, Semper parcit Deus. Ecce feci heri, & pepercit Deus: facio & hodie, & parcit Deus: faciam & cras, quia parcit Deus. Attendis ad miſericordiam, & non times iudicium: quia ideo parcit, vt corrigas,

non

[1] In Pſalm. 44. in medio.

[2] D. Auguſt. Serm. 59. de verbis Dom. in medio.

Prou. 3.

Eccl 30.

[3] In Pſal. 100. in initio.

Rom. 2. non vt in malignitate permaneas. Noli tibi thesaurizare iram in die irę, & reuelationis iusti iudicij Dei: quia in hoc tempore

Psal. 49. misericordiæ, in Psalmo dicitur: Peccatori autem dixit Deus, Vt quid tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & abiecisti sermones meos post te. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum mœchis portionem tuam ponebas. Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas: & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, & tacui. Vide tẽpus misericordiæ. Quid est, tacui? Nunquid, non corripui? Sed non iudicaui. Quomodo enim tacet, qui quotidie clamat in scripturis, in Euangelio, in prædicatoribus suis? Tacui à supplicio, non à verbo. Hæc fecisti, & tacui. Et quia tacuit Deus, id est, nõ vindicauit, quid sibi dixit in corde suo peccator? Audi. Suspicatus es, inquit, iniquitatem, quòd ero tibi similis, id est, parum est quia tu talis eras, & me talem putabas. Et cùm ostendisset illi tempus misericordiæ, terruit de tempore iudicij. Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Tu te ponis post te: ego te ponam ante te. Omnis enim, qui nõ vult videre peccata sua, post dorsum se ponit, & aliorum peccata acutè attendit, non per diligentiam, sed per inuidentiam, nõ volens sanare, sed accusare: se autem obliuiscitur. Vnde talibus Dominus dicit: Stipulam

Matth 7. in oculo fratris tui vides: & trabẽ in oculo tuo non consideras?

4 In Psal. 49. ante finem. 4 Et quid tibi, inquit, faciam arguendo te? Quid tibi faciam? Modò te non vides: facio vt videas te: quia si videres te, & displiceres tibi; placeres mihi. Quia verò te nõ vidẽs, placuisti tibi; displicebis & mihi & tibi: mihi, cùm iudicaberis: tibi, cùm ardebis. Quid enim tibi faciam, inquit? Constituam te ante faciem tuam. Quid enim? Vis latere teipsum in dorso tuo? Ibi es, non te vides: facio vt te videas. Quod post dorsum posuisti, ante faciem ponam: videbis fœditatem tuam, non vt corrigas, sed vt erubescas. Iam quia dicit Deus ista, desperandus est ille cui dicitur? Nónne illa ciuitas, de qua dictum est: Tri-

Ionæ 3. duo Niniue euertetur; intra triduum idonea fuit conuerti, orare, plangere, de pœna imminẽti misericordiam promereri? Audiant qui tales sunt, dum licet audire & tacentem. Veniet enim, & non silebit, & arguet, quando correctioni locus nul-

Psalm. 49. lus erit. Statuam te, inquit, ante faciem tuam. Modò ergo tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle tè à tergo tuo, vbi te videre non vis, dissimulans à factis tuis, &

con-

constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat à te confessio: & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper. Quod erat post te, fiat ante te: ne tu ipse postea *cùm iudicium venerit*, à Deo iudice fias ante te, & non sit, quò fugias à te. 5 Sed longè est, inquis, iudicium. Primò, quis dixit tibi, quia longè est dies iudicij? Nunquid si longè est dies iudicij, longè est dies tuus? Vnde scis, quando est? Nónne multi sani dormierunt, & obduruerunt? Nónne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nónne fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est, tamen seruatu diu durat: & inuenis calices ab auis & proauis, in quibus bibunt nepotes & pronepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos. Nos autem homines, & sub tantis casibus quotidianis fragiles ambulamus, & si casus ipsi repentini non accederent, diu tamen viuere non valeremus. Vita humana tota breuis est; ab infantia vsque ad decrepitam senectutem tota breuis est. Adam si adhuc viueret, & hodie moreretur; quid illi vitæ lõgitudo profuisset? Huc accedit, quia ipse dies, qui quasi naturaliter seruit morbo illecto, incertus est. Quotidie moriuntur homines, & qui viuunt, deducunt illos, exequias celebrant, & vitam sibi promittunt. Nemo dicit: Corrigam me, ne cras hoc sim, quod iste, quem deduxi.

Psalm. 50.

5 D. August. Ho. 18 inter 50. in fine.



CAP. XXXI.

Proponuntur aliquæ rationes, ob quas, de peccatis confeßio est facienda.

IAm quia satis, vt opinor, in præcedentibus declaratum est, quarè necesse sit odisse, & punire nostra peccata: & quare nobis inde displicere quòd peccatores sumus, debeamus: quódq; etiam desperare non oporteat de indulgentia; nec præsumere de spe veniæ, vt amplius, aut diutius peccare velimus: restat, vt aliquam rationem, quare ipsa confessio etiam de peccatis facienda sit, ostendamus. 1 Sic enim per Iacobum Apostolum nos admonet Spiritus sanctus, dicens: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Et Psalmista: Confitemini Domino, quoniam bonus. Et iterum: Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impieta-

1 Ho. 12. inter 50. in init. Iacobi 5. Psalm. 135. Psalm. 31.

tem cordis mei. Quo modo enim nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt: sic confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus, vt confiteamur peccata nostra, quòd ea ipse scire non possit; sed quia Diabolus hoc desiderat, vt inueniat quod nobis ante tribunal iudicis æterni obiiciat; ideo vult, vt magis defendere, quàm accusare peccata nostra velimus. E contrariò autem Deus noster, quia pius est, & misericors, vult, ea vt confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis cōfundamur postmodū in futuro. Si enim nos cōfitemur, ille parcit. Si nos agnoscimus, ille ignoscit. Primo homini non dictum est; Confitere peccatum: quia non fecerat quod fateretur: sed dictum est ei, vt nō peccaret. Non obtemperauit, peccauit. Nati sumus mortales ex vinculo peccati: propagata est miseria nostra per successionem fragilitatis humanæ, & dicitur nobis: Fatemini peccata vestra. Serpens autem ille quomodo tunc instituit, vt non seruaret homo, quod illi dictum est, ne peccaret: sic nūc instat, vt non seruet homo, quod ei dictum est, Confitere peccatum. Quomodo enim tūc fecit, vt caderet, qui stabat: sic nunc agit, ne surgat, qui cecidit. Itaque aduersus incantationes eius, & insidias, quibus nunc impedire vult reditum nostrum; suscipiamus præcepta saluberrima: aduersus eum, inquam, qui impedire vult nobis confessionem peccati.

a Ibidem inf. [a] Tunc fecit, quòd non accuses: modo autem vult facere, quòd excuses. Deus confitenti, tanquā in apertum sinum indulgentiam paratus erat dare; si excusas, claudis sinum, includis peccatum, excludis indulgentiam peccati. Ecce, quid fecisti? non vt tolleretur peccatum, sed intercluderetur medicina peccati. Sanare te habebat Deus per indulgentiam, si fateteris: quæris per quem excuses: sed non quærit ille, quē pro te puniat. Dic ergo

Psalm. 40. deuoto corde, quod dixi paulo ante: Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccaui tibi. Sanat te Deus, confitere tantum vulnus tuum. Iaces sub manibus medici: patienter implora auxilium. Fouet, vrit, secat, æquanimiter tolera: tantùm noli attendere nisi vt saneris. Sanaberis autem si ostenderis te medico: non quia ille non videt, si tu te abscondas: sed quia ipsa confessio initium sanitatis est. Ad

3 Serm. 66. de tempore. hanc [3] hortatur nos sæpius scriptura; non quòd Deus indigeat confessione nostra, cui omnia præsto sunt, quæ cogitamus, loquimur, aut agimus: sed nos aliter salui fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod iniquè gessimus

mus negligentes. Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die iudicij: si tamen confitens pœnitendo deleat, quæ fecit; nec iterum renouet, quæ egit. Magnum est salutis medicamentum, non iterare quæ impiè gessimus; nec priorum cicatrices vulnerum resauciare. Viuens etiam confiteatur peccator, quæ fecit; quia non est fructuosa pœnitentia apud inferos, nec pœnitentia ad salutem proficiens. Ecce nunc tempus salutis: ecce nunc tempus 2 Cor. 6.
acceptabile Deo. Tempus est nunc remissionis pœnitentibus, sed tempus erit post mortem vindicationis, negligentibus confiteri scelera sua. Omnes enim impij amaram habent in tormentis pœnitentiam: sed non proficit eis ad remissionem: sed conscientia torquet ad augmentum pœnarum, quas patiuntur. Potuerunt enim sibi per confessionem præcauere tormentorum immanitatem, & neglexerunt: ita sicut foris flammis: ita intus conscientia propria torquentur. Quomodo potest medicus vulnus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit? Deus confessionem nostram desiderat, vt iustam habeat ignoscendi causam. Qui peccata sua occultat, & erubescit salubriter confiteri; Deum, quem iudicem habebit, habebit & vltorem. Confessio iustificat, confessio veniam peccatis donat: omnis spes veniæ in confessione consistit. Confessio opus est misericordiæ, salus ægroti, vnicum est viribus nostris medicamentum cum pœnitentia. Cuius ipse Matth. 4.
saluator in Euangelio virtutem ostendit, dicens. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Et Ioan- Ibidem 3
nes Baptista: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Fructus dignus est pœnitentiæ, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere: sicut scriptum est; Ne adijcias peccatum super pec- Eccle. 5.
catum. Lauamini, dicit Dominus per Esaiam prophetam, & Esaiæ 1.
mundi estote. Lauatur itaque & mundus est, qui & præterita plangit, & iterum *plangenda* non admittit. Lauatur, & non est mundus, qui plangit, quod gessit, nec deserit: sed post lachrymas, flenda hæc, quæ fleuerat, repetit. De his beatus Petrus ter- 2 Petr. 2.
ribiliter ait: Canis reuersus ad vomitum suum. Fili, peccasti, dicit Scriptura, ne adiicias iterum: sed de pristinis depreca- Eccl. 21.
re, vt dimittantur tibi.

CAP. XXXII.

Quid vtilitatis, & securitatis adferat ipsa confessio peccatorum.

1 Hom. 45. in initio.

EX *his itaque* [1] addiscimus, non aliter veniam nos posse mereri, nisi nostra facinora fuerimus, Deo iubente, confessi. Quid enim celat peccator, quod Deo teste commisit? Quid erubescit fateri? quoniam peccatis non erubuit coinquinari. *O homo*, [2] confiteri times Deo, ne confessum damnet? Si non confessus lates, non confessus damnaberis. Times cõfiteri, qui non confitendo, esse non potes occultus? damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus *Audi Psalmum clamantem*: Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes. Et quia ista confessio non ad supplicium ducit, sequitur, & dicit: Lætentur, & exultent gentes. Si plangunt ante hominem, confessi latrones: lætentur ante Deum confessi fideles. Si homo iudicet, exigit à latrone confessionem tortor, & timor: imò aliquando confessionem premit timor, exigit dolor. Et ille, qui plangit in tormentis, timet autem occidi confessus, portat tormenta, quantum potest: et si victus dolore fuerit, profert ad mortem, vocem suam. Nusquam ergo lætus, nusquam exultans. Antequam confiteatur, exarat vngula, *torquet conscientia*: cùm confessus fuerit, damnat *iudex*, *astat* carnifex, ducitur miser vbique. Sed exultent & lætentur gentes, *hoc est, piæ mentes*. Vnde? Per ipsam confessionem. Quare? Quia bonus est, cui cõnfitentur. Ad hoc exigit confessionem, vt liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem, vt puniat superbum. Ergo tristis esto, antequam confitearis: confessus exulta: iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat; adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum: confitere; exeat in confessione, & defluat omnis sanies: quod reliquum est, facilè sanabitur, *si non tegatur*. [3] Nam si tu tegere volueris, erubescens; medicus non curabit. Medicus tegat & curet: emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus; sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? Qui nouit omnia. *Vis sanetur?* [4] Confitere, & dic *quod etiam in Psalmo scriptum est*: Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi. Ipsa repetitio, cõfirmatio est,

2 In Psal. 66. post medium.

Psalm. 66.

3 In Psal. 31. conc. 2. ante medium.

4 In Psal. 74. in initio.

est, ne te confessum esse pœniteat. Non enim alicui crudeli confessus es, non vltori, nõ insultatori: confitere securus. Audi aliam vocem Psalmi adhortantem: Confitemini Domino, quoniam bonus est. Quid est, quoniam bonus est? Quid times confiteri? Bonus est, ignoscit confitenti. Time confiteri iudici homini, ne fortè confessum puniat: Deo noli. Fac confitendo propitium, quem negando non facis nescium. Psalm. 117.

CAP. XXXIII.

Tractatur hic de duplici confessione, quarum altera in laudibus Dei est; altera in peccatis nostris: & vtraque necessaria.

1 DVobus autem modis *in Scripturis* confessio intelligitur, & in peccatis nostris, & in laude Dei. In peccatis nostris nota confessio est, & ita nota omni populo, vt quando auditum fuerit nomen confessionis in lectione; siue in laude dicatur, siue de peccatis dicatur; currant pugni ad pectus. 2 Quapropter *cùm dicitur in Psalmo: Confitemini Domino, quoniam bonus*; potest hic quidem intelligi etiam confessio *non solùm laudis sed &* peccatorum Nam & post paucos versus sequitur: Peccauimus cum patribus nostris: iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Sed in eo quod dicit: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius: laus vtique Dei est, atque in eius laude confessio: quanquam etiam cùm sua quisque confitetur peccata, cum Dei laude confiteri debet: nec aliter pia est confessio peccatorum, nisi non desperans, & poscens misericordiam Dei. Habet ergo eius laudem, siue etiam in verbis, cùm eum bonum & misericordem dicit: siue in solo affectu, cùm hoc credit. Nam & ille publicanus, cuius sola illa verba commemorata sunt, Domine, propitius esto mihi peccatori: etsi non dixit, Quoniam bonus & misericors es, vel aliquid huiusmodi; non tamen illud diceret, nisi hoc crederet; quoniam cum spe orauit, quæ sine illa fide esse non posset. Potest ergo esse laus Dei vera, & pia, vbi non sit confessio peccatorum; quæ laus multo crebriùs in scripturis confessio vocatur. Nulla est autem peccatorum confessio pia & vtilis, vbi non laudatur Deus; siue corde siue etiam ore, atque sermone. 3 Itaque confitentur homines, cùm laudant Deum: confitentur, cùm accusant se; & nihil dignius facit lingua. Verè puto, quòd ipsa sunt vota, de quibus dicit & propheta in alio Psalmo: Reddam

1 In Psal 141. in fine. 2 In Psal. 105. in initio. Psal. 117. Luc. 18. 3 In Psal 94. in princip. Psalm. 65.

tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Nihil ista distinctione sublimius, nihil tam necessarium & ad intelligendum, & ad faciendum. Quomodo ergo distinguis vota, quæ reddis Deo? Vt illum laudes, te accuses: quia illius est misericordia, vt peccata nostra dimittat. Nam si vellet pro meritis agere; non inueniret, nisi quos damnaret. Venit ergo dicens, vt *pœnitentes* recedamus iam à peccatis nostris, *illáque confiteamur*, & non nobiscum deducat rationem de præteritis: sed tanquam tabulæ nouæ fiant, incensis omnibus chirographis debitorum nostro-

4 Ibidē infra. rum. Quanta ergo illius laus, quanta misericordia? 4 Nunquid autem & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando, *si relapsus fueris, iterum* confiteris peccata tua? Imò verò maximè pertinet ad laudem Dei. Quare maximè pertinet ad laudem Dei, quando confiteris *reiterata* peccata tua? Quia tanto amplius laudatur medicus, quanto plus desperabatur ægrotus. Confitêre itaque *eo amplius & libentius, & præsentia & præterita omnia* peccata tua, quo magis desperabas de te, propter iniquitates tuas. Tanto enim maior laus est ignoscentis, quàto

5 In Psal. 7. ante medium maior exaggeratio est peccata confitentis. 5 Ista demum confessio ita Dominum laudat, vt nihil possint impiorum valere blasphemiæ: qui volentes excusare facinora sua, nolunt suę culpæ tribuere, quòd peccant, hoc est, nolunt suæ culpæ tribuere culpam suam. Itaque aut fortunam, aut fatum inueniūt, quod accusent, aut diabolum, cui non consentire in potestate nostra esse voluit, qui nos fecit: aut aliam naturam inducunt, quæ non sit ex Deo; fluctuantes miseri, & errantes potius, quàm confitentes Deo, vt eis ignoscat. Non enim oportet ignosci, nisi dicenti: Peccaui.

Cap. XXXIIII.

Qui in peccatis fuit mortuus, per confessionem reuiuiscit: sed soluitur per Ecclesiam, hoc est, ministros Ecclesiæ, qui à Christo istam potestatem in Ecclesia acceperunt.

1 D. August. Serm. 8. de verbis Domi. qui & 5 est post Epiph. 1 Confitemur ergo, siue laudantes Deum, siue accusantes nosipsos. Pia est vtraque confessio, siue cùm te reprehendis, qui non es sine peccato: siue cùm illum laudas, qui non potest habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua, laus ipsius est. Quare enim iam confiteris in accusatione peccati tui? In accusatione tui ipsius quare confiteris, nisi quia

ex mortuis viuus factus es? Scriptura quippe ait: A mortuo, quasi qui non sit, perit confessio. Si perit à mortuo confessio; qui confitetur, viuit. Et si peccatum confitetur, vtique à morte reuixit. Si peccati confessor reuixit à morte, quis eũ suscitauit? Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille se potuit suscitare qui mortua carne non mortuus est. Etenim hoc suscitauit, quod mortuum fuerat. [2] Mortuus verò est peccator, maxime ille, quem moles cõsuetudinis premit, quasi sepultus Lazarus. Parum enim erat, quia mortuus; etiã fuit sepultus. Quisquis igitur malæ consuetudinis, malæ vitæ, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, ita vt in illo iam factum sit, quod in quodam Psalmo mirabiliter dicitur: Dixit stultus in corde suo, non est Deus; fit talis, de quali dictum est: A mortuo, velut qui nõ sit, perit cõfessio. Quis eum suscitabit, nisi qui remoto lapide, clamauit dicens: Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viueret. Viuere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est. Dicit ergo aliquis: Quid prodest Ecclesia, si iam confessor voce dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo? Ipsum Lazarũ attende: cum vinculis prodit. Iam viuebat confitendo; sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictũ est, Quæ solueritis, soluta erunt; nisi quod ait Dominus cõtinuò ad discipulos: Soluite illũ, & sinite abire? [3] Quomodo autẽ soluimur nos *peccatores à Domino*, nisi cùm dicimus ei *in confessione:* Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis? Soluitur enim vnusquisque à vinculis cupiditatum malarum, vel à nodis peccatorũ suorũ *per confessionem & ministri Christi sacramentalem absolutionem.* Remissio peccatorum, solutio est. Quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi *discipulis* diceretur: Soluite eum, & sinite abire? Ipse quidem Dominus voce de sepulchro suscitauit; ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem terreno sepulchro impositam vicit: & processit ille vinctus. Non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis: fit hoc etiam in corde pœnitentis. Cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, iam reuixit: cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, iam de sepulchro eductus est: sed nondum solutus est. Quando

Eccl. 17.
2 Ibidẽ infra.
Ioan. 11.
Psalm. 13.
Ioan. 11.
Matth. 16.
Ioan. 11.
3 In Psal. 101. conc. 2. à prin.
Psalm. 115.
Ioan. 11.

Matth. 16. Quando soluitur? A quibus soluitur? Quæ solueritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem ipse mortuus non, nisi intus clamante Domino potest. Hoc enim Deus interius agit.

Cap. XXXV.

Homo pœnitens in luce, peccator in tenebris est.

Nunquid ergo & ipsa confessio non viuificat animam peccatricem? Immo verò viuificat. Nec id solum quidem, sed & illuminat. Quomodo enim crederetis, sed tamen adhuc peccanti Ephes. 5. *inclamaret Apostolus, dicens: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus; si non cognosceret quòd spiritus hominis in peccato sopitus, imò & mortuus, rursum per Christi gratiam in vitam reuocari posset, & illustrari? Nam quod in mortuis corporibus iustorum resurgentiū spiritus Christi aliquando operabitur; hoc nunc agit idem spiritus in animabus peccatorum confitentium, vt vere viuant, & verum lumen videant.* [1] In Psal. 12. prope finem *Idcirco, quando* nos delicti pœnitet, in luce esse incipimus. Nam quando quisque ipso delicto inuolutus est, quasi obtenebratus, opertisque oculis, non videt delictum: quia si tibi tegatur & carnis oculus, nec aliud vides, nec hoc, vnde tegitur, vides. *Ab hoc delictorum tegumento cùm quidam sibi metueret vehementer, & correptus à Deo, multum anxius quæreret,* Psalm. 138. *quoquo versus fugeret; diceretq́ Deo, Forsitan tenebræ conculcabunt me: ilico sensit cum ingenti voluptate, se eo magis ac magis à Deo illuminari, quo longius conabatur à peccatis recedere. Et ideo in eodem loco subiunxit, Et nox illuminatio mea, in deliciis meis. Ac si diceret: Gratias ago tibi, qui me tua misericordia prosecutus es tam anxium, & fugitiuum, qui terga mea flagelli plaga percussisti, qui me vocando ab interitu reuocasti, qui fecisti mihi oculos illuminatos, quibus videam tenebras peccatorum meorum. Ac deinde tantæ misericordiæ rationem adiungens.* [3] In Psal. 138. in medio. Quoniam tenebræ, inquit, non obtenebrabuntur à te. Tu ergo, ô homo, noli tenebrare tenebras tuas; & Deus illas non tenebrat, sed magis illuminat; quia illi dictum est in alio Psalmo: Tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illuminabis Psalm. 17. tenebras meas. Qui autem tenebrant tenebras suas, quas Deus non tenebrat? Homines mali, homines peruersi. Cùm peccant, vtique tenebræ sunt: dum non confitentur peccata sua, quæ fecerunt, sed insuper defendunt: tenebrant tenebras suas.

Ergo

Ergo iam si peccasti, in tenebris es: sed confitendo tenebras tuas, mereberis illuminari tenebras tuas. Defendendo autem tenebras tuas, tenebraberis tenebris tuis. Et quando euades à duplicibus tenebris, qui in simplicibus laborabas? Vnde autem Dominus non tenebrat tenebras nostras? Quia non nos sinit impunita habere peccata. Flagellat nos in istis laboribus, & erudit nos. Tota ista miseria generis humani, in qua gemit mundus, dolor medicinalis est, non sententia pœnalis. Vide quia dolor vbique, vbique metus, vbique necessitas, vbique labores. Si ad hoc Deus hîc talibus flagellis erudit nos, vt non tenebrentur tenebræ nostræ; agnoscamus nos sub pœna flagelli esse, & benedicamus Deum miscentem iam amaritudines dulcedini vitæ temporalis: ne temporalium deliciarum delectatione cæcati, non desideremus delicias æternas. Non ergo tenebrat Deus tenebras nostras: quia miscet flagella peccatis nostris, & amaritudines prauis dulcedinibus nostris. Non nos tenebremus tenebras nostras, defendendo peccata nostra; & nox erit illuminatio in delitiis nostris.

CAP. XXXVI.

Qui publicè peccauit, publicam satisfactionem accipiat, secundum iudicium præpositorum Ecclesiæ: nec quisquam ob erubescentiam hoc recuset; quia vtilis est pœnitentiæ medicina.

1 QVisquis ergo post baptismum, *in quo verè illuminatus est, rursum nouorum peccatorum tenebris obfuscatur*; is vsqueadeo sibi inimicus est, vt adhuc dubitet vitam mutare, dum tempus est: cùm ita peccat & viuit. Nam vtique quod ita perseuerans peccat, thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Quod autem adhuc viuit, patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Ergo implicatus quis tam mortiferis tenebris & *vinculis* peccatorum non detractet, aut differat, aut dubitet confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cælo. Sed potius iudicet seipsum propria voluntate, dum potest, & mores conuertat in melius, ne, cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur. Et cùm in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur: & tanquam bonus incipiens iam esse filius,

1 D August. Hom. 50. inter quinquag.

maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacrorum, accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis cõtribulati deuotus & supplex id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur antistiti: in notitia multorum, vel totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.

Iacobi 4. 1 Petr. 5. Meminerit tamen semper, quòd superbis Deus resistit; humilibus autem dat gratiam. Quid enim infelicius, quid peruersius, quàm de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura illius erubescere? [a] Nemo sibi dicat, Occultè *pœnitentiam* ago: apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo? ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei, frustramus verba Christi? Si ô Christiani, promittimus vobis, quod ille negat: nónne vos decipimus? Iob dicit: Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea. Talis iustus thesauri diuini, obrizi, tali camino probatus, ista dicit: & resistit mihi filius pestilentię, & erubescit genu figere sub benedictione Dei? quod non erubuit Imperator, erubescit nec senator, sed tantum curialis? Superba ceruix, mens tortuosa: fortassis (imò quod non dubitatur) propterea Deus voluit, vt Theodosius Imperator ageret pœnitentiam publicam in cõspectu populi; maximè quia peccatum eius celari non potuit: & erubescit senator, quod non erubuit Imperator? Erubescit nec senator, sed tantum curialis, quod non erubuit Imperator. Erubescit plebeius, siue negotiator, quod non erubuit Imperator? Quæ ista superbia est? [3] Quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet? O incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis: de ligatura vulneris erubescis? Nónne nudum fœdius & putidius est? Confuge ergo ad medicum: age pœnitẽtiam: dic, Iniquitatem meam ego agnosco; & peccatum meum ante me est semper. [4] Quàm enim sit vtilis & necessaria pœnitentiæ medicina, facillimè homines intelligunt, qui se homines esse meminerunt. Scriptum est enim, *& iam prædictum*: Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Et Dominus in Euangelio dicit, Quoniam qui se exaltat, humiliabitur, & qui

a D. August. Hom. 49. in medio. Vide et 108. inter diuer. in edit. Plantini. Matth. 18. Ibidem 16. Iob 31. Vide Ambro. in Psal. 37. ante finem. Vide Eccles. Hist. Theod. lib. 5. cap. 17. & Sozome. lib. 7. cap. 24. 3 In Psal. 50. ante mediũ. Psalm. 50. 4 D. August. Hom 50 inter 50 in init. Iacobi 4. 1. Petr. 5. Luc. 18.

qui se humiliat, exaltabitur: magisque iustificatus descendit de templo publicanus ille peccatorum confessione solicitus, quàm Pharisæus meritorum enumeratione securus. Quamuis enim & ipse gratias egit Deo, dicens: Gratias tibi ago Deus, quia non sum, sicut cæteri homines, iniusti, adulteri, raptores, quomodo & publicanus iste; ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo: tamen ille ei prælatus est, qui de longinquo stabat, neque oculos audebat ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Non enim ille Pharisæus tam sua sanitate, quàm morborum alienorum comparatione gaudebat. Vtilius autem illi erat, quoniam ad medicum venerat, ea de quibus ægrotabat, confitendo monstrare, quàm dissimulare de vulneribus suis, & de cicatricibus alienis audere gloriari. Non ergo mirum, si publicanus magis curatus abscessit, quem non puduit ostendere, *& per pœnitentiam sanare*, quod dolebat. *Vis curari & tu? Accede sic ad medicum, & dic te esse ægrotum.*

Cap. XXXVII.

Proponuntur quorundam exempla, qui humiliter pœnitentiam agere non erubuerunt.

1 SEd dicit aliquis: Quomodo ad eum accedo? Tantis malis, tantis peccatis oneratus sum, tanta scelera clamant de conscientia mea: quomodo audeo accedere ad Deum? Quomodo? Si humiliaueris te per pœnitentiam. Sed erubesco, ais, pœnitentiam agere. Accede ergo ad eum, & illuminaberis, & vultus tuus non erubescet. Si enim timor erubescendi reuocat te à pœnitentia; pœnitentia autem facit te accedere ad Deum: non vides, quia pœnam gestas in vultu: quia ideo erubuit vultus tuus, quoniam non accessit ad Dominum? Ideo non accessit, quia non vult agere pœnitentiam. [2] Sed fortè est aliquis, qui dicat, Ego in militia positus sum, vxorem habeo: & ideo pœnitentiã agere quomodo possum? Quasi nos, quãdo pœnitentiam suademus, hoc dicamus, vt vnusquisque magis sibi capillos studeat auferre, & non peccata dimittere; & vestimenta potius euellat, quàm mores. Qui hac dissimulatione decipere se magis, quam excusare conatur, attendat quia regem Dauid nec honor regni, nec dignitas vestimenti ad pœnitentiam agendam, potuit impedire. Achab quoque Rex sacri-

1 In Psal. 33. cóc. 2. in med.

Psalm. 33.

2 Serm. 58. de temp. in med.

2. Reg. 12.

3 Reg 16.

sacrilegus, de quo scriptura dicit, quòd non fuerit alius talis, qui venundatus sit, vt faceret malum cõtra Dominum: postea-quam deprauatus ab vxore Iezabel, abominabilis Deo factus est, interfecto & lapidato Naboth Iezraëlita, cùm vineam eius vellet inuadere: castigatus à sancto Helia, scissis vestibus, cilicio indutus est, & inclinato capite pœnitentiam egit. Pro qua re statim sermo Dei ad Heliam factus est dicens: Nónne vi-
3 Reg. 21. disti humiliatum Achab coram me? Quia, inquit, humiliatus est mei causa, non inducam in diebus eius malum. Considera, quia & ipse quamlibet sacrilegus, non reseruauit, vt post longa tempora *ad Deum accederet, & pœnitentiam ageret*: sed statim sacrificium contriti & humiliati cordis, Deo offerre non distulit. Qui vtique, si postea in illa humilitate, quam cœperat, perdurasset, nunquam ab illo Dei misericordia discessisset.
4 Reg. 21. Manasses quoque rex, sicut in scripturis legimus, tam sacrilegus & impiissimus fuit, sicut de illo scriptum est, vt totam
2 Para. 33. Hierusalem omni iniquitate repleuerit: & tamen post hæc in captiuitatem ductus, & in carcerem missus, cum grandi humilitate pœnitentiam agens, ita gratiam Dei obtinuit, vt mere-
Lucæ 7. retur inter Dei amicos postmodum numerari. Meretrix quoque illa, quæ pedes Domini lachrymis lauit, & capillis suis extersit, vbi cælestem medicum venisse cognouit, vltro se ingessit in domum, vbi rogata non fuerat: & quæ prius frontosa erat ad perditionem, postea frontosior facta est ad salutem. & ideo audire meruit, quòd ei fuerint omnia peccata dimissa.
Nota. Nec ipsa se ad hoc reseruauit, vt in fine vitæ suæ pœnitentiam ageret: sed dum adhuc peccare poterat, sic Deo inspirante voluit peccata deserere, vt illam de adulteriis suis non necessitas subtraheret, sed voluntas. Multos adhuc in scripturis diuinis poteramus inuenire, qui post infinita crimina *accedentes ad Deum*, & *veram* pœnitentiam agentes, in se Dei misericordiam prouocauerint: & non solùm ad peiorem, sed etiam ad meliorem statum redierint. Sed quia longum est ire per singulos, isti quatuor, quos nominauimus, satis abundeque sufficiunt, vt agnoscamus, quòd Dominus noster, qui tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est & *omnibus*, si in *humilitate*, & veritate conuertantur *pœnitentes*, non solùm peccata dimittere, sed etiam æternam beatitudinem dare.

CAP. XXXVIII.

Deus quibus sit prope; & quomodo à longè cognoscat superbos.

1 QVisquis itaque pœnitentiæ recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. Aliud est enim leuare se ad Deum: aliud est leuare se contra Deum. Qui ante illum se proiicit, ab illo erigitur. Qui aduersus illum se erigit, ab illo proiicitur. 2 Certè alius est Deus, non eum attingit elatus. Omnia sublimia vt contingamus, attollimus nos: & si attingere non possumus, machinamenta aliqua, vel scalas quærimus, vt sublimati sublimia contingamus. Contrà Deus, & altus est, & ab humilibus contingitur. Scriptum enim est: Prope est Dominus his, qui obtriuerunt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat iratum, vt illum habeat propitium: se habeat iudicem, vt illum habeat defensorem. Audi aliud testimonium: Excelsus Dominus, & humilia respicit: excelsa autem à longè cognoscit. Excelsus Dominus, & humilia respicit non à longè: excelsa autem à longè cognoscit. Et ne fortè, cùm dictum esset; quia humilia respicit; superbi de impunitate gauderent, quasi eos superbientes non agnoscat, qui in excelsis habitat: territi sunt, & dictum est eis: Videt vos, & cognoscit vos, sed à longè. Hos verò facit beatos, quibus propinquat. Vos autem, inquit, ô superbi, ô celsi, non eritis impuniti, quia cognoscit: non eritis beati, quia à longè cognoscit. Videte ergo, quid agatis. Quia si agnoscit, non ignoscit. Meliùs ergo ignoscit, quàm agnoscit. Quid est enim ipsum ignoscere, nisi non noscere? Quid est, non agnoscere? non animaduertere: nam & vindicantis solet dici animaduersio, *sicut & ignoscentis respectio: quemadmodum in Euangelio scriptum est: Et conuersus Dominus respexit Petrum.* 3 Volunt ergo *peccatores* respici? Humiles sint. Quid si se extulerint in superbiam? Latere ipsius oculos possunt? Ne fortè quia audisti, vt dixi, Humilia respicit; superbus velis esse, & dicas in anima tua, Humiles respicit Deus, me non respicit: faciam quod volo. Quis enim me videt? Hominem latet: Deus non vult me videre, quia humilis non sum. Ille autem humilia respicit: quod volo, facio. O importune, nunquid hoc diceres, si scires, quid amare deberes? Ecce si nollet te videre Deus; hoc ipsum non times, quia te non vult videre? Si salutes

1 Ho. 50 inter quinquag.

2 In Psal. 74. in initio.

Psalm. 137.

Lucæ 22.

3 In Psal. 137. vltra mediu.

salutes aliquem maiorem patronum tuum, & intẽtus in aliud non te videat; quomodo tibi anima dolet? Si autem Deus te non videat, securum te putas? Non te videt saluator, & videt deprædator? Et tamen & ipse te Deus videt. Non te putes non videri: imò roga, vt merearis videre, à quo videris. Dictum

Psal. 33. est enim: Oculi Domini super iustos. Quia nõ super iniustos, faciant ergo quod volunt iniusti? Sequitur adhuc. Et aures eius in preces eorum. Iniusti autem, qui securos se putabant, quia non sunt oculi Domini super eos: non timent, quia non sunt aures eius ad preces eorum? Nónne meliùs & oculi eius super nos, & aures eius ad preces nostras? Sed cùm facis ea, super quæ vis esse oculos Domini, tunc mereris precibus tuis & aures Domini; & tamen malè faciendo, à te non auertis oculos Domini. Quid enim ibi sequitur? Vultus autem Domini super facientes malum. Sed ad quid? Vt perdat de terra memoriam eorum. Vides te videri; vides te latere non posse? Cùm ergo quicquid feceris, videatur: quare hoc non facis, vnde Deo placere me-

Psal. 137. rearis? Ergo & hîc quid? Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit. Excelsa quid? A longè cognoscit. Quid sibi ergo præstat superbus, nisi vt à longè videatur; non vt non videatur? Ne putes te ideo securũ esse debere, quòd min⁹ te bene videat, qui à longè te videt. Tu enim quod à longè vides, non bene vides. Deus etsi à longè te videt, pefectè te videt, & tecum non est. Hoc agis, non vt minus perfectè videaris: sed vt non sis cum illo, à quo videris. At verò humilis quid sibi præstat? Propè est Dominus his, qui obtriuerunt cor. Erigat se ergo superbus, quantum voluerit; certè in alto habitat Deus; in cælo est Deus. Vis tibi propinquet? Humilia te. Nam tanto à te erit altior, quanto tu elatior. Excelsa autem à longè cognoscit.

4 In Psal. 39. vltra mediũ. 4 Cognoscebat à longè iactantem se Pharisæum: subueniebat de proximo *humilianti se*, & confitenti publicano. Iactabat ille merita sua, & tegebat vulnera sua: non iactabat ille merita, sed offerebat vulnera. Ad medicum venerat, sciebat se languidum, sciebat se sanandum. Oculos ad cælum leuare non audebat, *Dei oculos in se flecti petebat*, pectus percutiebat; sibi non

5 In Psal. 74. post mediũ. parcebat, vt ille parceret: se agnoscebat, vt ille ignosceret.

6 In Psal. 31. enar. 2. post principium. Vide in Psal. 90. conc. 1. in medio. 5 Ad medicum etiam Pharisæus ascenderat, & membra sana ostendebat, vulnera tegebat. Quid ergo ille, qui melius nouerat, vnde sanaretur? 6 Quia seipsum intuebatur, conscientiam suam puniebat. Ipse sibi iudex erat, vt ille intercederet; ipse

punie-

puniebat, vt ille liberaret: ipse accusabat, vt ille defenderet. A Deo defensus es, quia dixit pro illo sententiam: Descendit iustificatus publicanus ille magis, quàm ille Pharisæus; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

CAP. XXXIX.

Magnum superbiæ peccatum, qua medicina in nobis curatum sit.

EX his perspicuum est, quòd elatus si quis fuerit, is neque pœnitere neque verè sua confiteri peccata potest: nec tamen ea negat Deo, quæ nescit. Confessio enim peccatoris non Deum docet, sed illum mundat, illum illuminat. Vtinam sic illuminaret, vt emundari mereatur, (sicut Psalmus habet,) à delicto maximo, quod vtique est superbia. Videin Psal. 74. post init. [1] Non enim est maius delictum, quàm apostatare à Deo, quod est initiū superbiæ hominis. Et verè ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret: quia hoc est vltimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. [2] Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cælo deduxit, vsque ad formam serui humiliauit, contumeliis egit, ligno suspendit: vt per salutem tantæ medicinæ, curetur hic tumor. [3] Sicut autem curatio via est ad sanitatē: sic ista curatio peccatores sanādos, reficiendosq́. suscepit. Et quemadmodū medici, cùm alligant vulnera, non incōpositè, sed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiā consequatur: sic medicina sapientiæ, per hominis susceptionē nostris est accōmodata vulneribus, de quibusdam cōtrariis curans, & de quibusdā similibus. Sicut etiam ille, qui medetur vulneri corporis, adhibet quædā contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel quid aliud huiusmodi. Adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum vel rotundo vulneri rotundū, vel oblongum oblongo: ligaturamq́. ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: sic sapientia Dei, hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum: ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis astutia decepti sumus: Dei stultitia liberamur.

[1] In Psal. 18. expos. 1. in fi.

[2] Ibidem expos. 2. in fine

[3] To. 3. li. 1. de doct. christ. cap. 14.



Quem-

Quemadmodum autem illa sapientia vocabatur: (erat autem stultitia contemnentibus Deum) sic ista, quę vocatur stultitia, sapientia est vincentibus diabolum. Nos immortalitate malè vsi sumus, vt moreremur: Christus mortalitate bene vsus est, vt viueremus. Corrupto animo fœminæ ingressus est morbus: integro corpore fœminæ processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quòd etiam exemplo virtutum eius, vitia nostra curantur. Iam verò similia, quasi ligamenta membris & vulneribus nostris adhibita, illa sunt, quòd per fœminam deceptos, per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte

4 In Psal. 15. cōc. 1. prop. fi.

mortuos liberauit. 4 Superbia ergo lapsi sumus, vt ad istam mortalitatem perueniremus. Et quia nos superbia vulnerauerat, humilitas sanos fecit. Venit humilis Deus, vt à tanto superbiæ vulnere curaret hominem. Venit, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Comprehensus est à Iudaeis: insultatum est ei: dixerunt, Dæmoniū habes. Et ille non dixit: Dæmonium habetis vos, quia vos in peccatis vestris estis, & diabolus possidet corda vestra. Non hoc dixit; quod si diceret, verum diceret: sed non erat tempus vt hoc diceret, ne non veritatem prædicare, sed maledictum *pro maledicto* reddere videretur. Dimisit, quod audiuit, quasi nō audisset. Medicus enim erat, & phreneticum curare venerat. Quomodo medicus non curat, quicquid audiat à phrenetico, sed quomodo cōualescat, & fiat sanus phreneticus: nec si & pugnum ab illo accipiat, curat. Ille illi facit noua vulnera: ille veterem febrem sanat: sic & Dominus ad ægrotum venit, ad phreneticū venit; vt quicquid audiret, quicquid passus esset, contemneret: hoc ipso eos docens humilitatem, vt humilitate docti, sanarentur à superbia. 5 Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quę superbia sanari potest, si humilitate filij Dei non sanatur? 6 Iam vide si amplius ægrotare debet genus humanum, accepta tanta medicina. Iam humilis Deus, & adhuc superbus homo? 7 Quæ enim causa humilitatis Christi, nisi infirmitas nostra? Valde enim & irremediabiliter nos obsidebat infirmitas. Et hæc res fecit, vt veniret ad nos tantus medicus. Si enim vel sic ægrotaremus, vt nos possimus ire ad medicum, poterat tolerabilis videri ipsa infirmitas. Sed quia nos ire non potuimus ad eum, ille venit ad nos. Venit, docens humilitatem.

Ioan. 1.

Vide Ser. 225. de temp. prope finem.

Vide Ser. 59. de verb. Dom. ante finem.

5 To 3 lib. de Agone Christ. cap. 10.

6 D. August. Hom 34 inter 50

7 D. August. Ser. 54. de ver. Domini. post medium.

CAP.

CAP. XL.

Medico qui curauit oculos nostros, non habemus quid retribuamus.

ITaque [1] infirmus factus est infirmis: per infirmitatem, sanauit infirmitatem: per mortalem carnem, carnis abstulit mortẽ: de corpore suo collyriũ fecit luminibus nostris. Quomodo? [2] Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ipsa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur superbi oculi cordis nostri, vt possimus videre maiestatem eius, per eius humilitatem. [3] Irruerat homini quasi puluis in oculum; irruerat terra, sauciauerat oculũ, videre non poterat lucem. Oculus iste sauciatus inungitur. Terra sauciatus erat, & terra illuc mittitur vt sanetur. Omnia enim collyria nihil sunt, nisi de terra. De puluere, ô homo, cæcatus es, de puluere sanaris. Ergo caro te cæcauerat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat, consentiendo affectibus carnalibus; inde fuerat oculus cordis cæcatus. [4] Quantum autem præstat cæco, qui illi oculos sanauerit, vt videat hanc lucem? Cùm sanus fuerit ille, non inuenit quid dignum rependat sanatori suo. Quantumlibet enim ille det; quid dabit tale, quale ille præstitit? Vt plurimũ det, aurum dabit, & multum aurum dabit: ille lucem præstitit. Quid ergo nos dabimus medico illi, oculos interiores nostros sananti, ad videndam quandam lucem æternã, quod est ipse? [5] Non enim quomodo medicus homo ipse curat, vt lucem istam ostendat eis quos curauerit. Et aliud est ista lux, quam demonstraturus est: aliud autem ipse medicus, qui curat oculos, quibus ostẽdat lucem, quæ lux non est ipse medicus. Non ergo sic Dominus Deus noster. Ipse est enim medicus, qui curat, vnde nos videre possumus: & ipse lux est, quam videre possumus. [6] Quid ergo illi dabimus? Quæramus, inueniamus, si possumus, & in angustiis inquisitionis nostræ, illud Psalmistę exclamemus: Quid retribuam Domino, pro omnibus quę retribuit mihi? Et quid inuenit? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. *Quid est, inuocabo? Laudabo. Vt autem semper laudes ô homo nomen Domini*, [7] noli obliuisci omnes retributiones eius. Si obliuisceris, tacebis. Non autem poterunt ante oculos tuos esse retributiones Domini, nisi ante oculos tuos fuerint peccata tua. Non sit ante oculos tuos delectatio præteriti peccati: sed sit ante oculos tuos damnatio peccati. Damnatio

[1] Tract. 35 in Ioannem.
[2] In Ioannem Tract. 2. prope finem.
[3] Ibidem inf.
[4] In Psal. 36. conc. 2. ante medium.
[5] In Psal. 84. in principio.
[6] In Psal 36. conc. 2. ante medium. Psal. 115.
[7] In Psal 102. in principio.

à te, remiſſio à Deo. Hæc enim retribuit Dominus, vt poſſis dicere: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? [8] Non ait; quæ tribuit mihi:ſed, quæ retribuit mihi. Retribuiſti tu mala pro bonis; & retribuit ipſe bona pro malis. Quomodo retribuiſti tu, ô homo, Deo mala pro bonis? Qui prius fuiſti blaſphemus, & perſecutor, & iniurioſus; retribuiſti blaſphemias. Pro quibus bonis? Primò, quia es, cùm non eſſes: ſed eſt & lapis. Deinde, quia viuis: ſed viuit & pecus. Quid retribues Domino pro eo quod ſuper omnia pecora, & ſuper omnia volatilia, fecit te ad imaginem & ſimilitudinem ſuam? Noli quærere quid ei retribuas. Similitudinem ipſius retribue illi, non plus quærit, nummum ſuum exigit. Tu autem pro gratiis agendis, pro humilitate, pro obſequio, pro cultu religioſo, id eſt, pro his omnibus bonis, quæ debebas Deo tuo, pro bonis, quæ accepiſti, quæ dixi; retribuiſti blaſphemias. Quid ergo ille? Confitere, ignoſco. Retribuo & ego: ſed non quod tu retribuiſti. Tu retribuiſti mala pro bonis: & ego retribuo bona pro malis. Cogita ergo, anima, omnes retributiones Dei, cogita omnia mala facta tua. Quàm multa enim mala facta tua, tam multæ bonæ ſunt retributiones eius.

Pſal. 115.
8 Ibidē infra.
Vide Tract. 40 in Ioan. prop. finem.

Cap. XLI.

Omnipotens medicus quemlibet poteſt ſanare languorem, ſi, qui languidus eſt, ſanari velit.

Ibidē infra.

PORRÒ [1] quid debebatur peccatori, niſi ſupplicium? quid debebatur blaſphemo, niſi gehenna ignis ardentis? Non ipſa Deus retribuit: ne expaueſcas, ne exhorreſcas, ne ſine amore timeas. Noli obliuiſci omnes retributiones eius bonas; & mutare iam, ne experiaris retributiones eius, quid dicam, malas? Si iuſtas, non malas. A te ergo malas, à Deo aurē bonas. Nec hęc, ſi quę pateris mala, mala ſunt: ſi enim iuſta ſunt, bona ſunt; ſed tibi patienti, hæc mala ſunt. Non vis vt mala ſint tibi, quę iuſta ſunt Dei? Nō ſit mala in cōſpectu Dei iniquitas tua. Non enim ceſſauit vocare, aut vocatum neglexit inſtruere, aut inſtructum ceſſauit perficere, aut perfectum neglexit coronare. Quid dicis, quia peccator es? Conuertere, & accipe retributiones iſtas: propitius ſit omnibus iniquitatibus tuis. Poſt remiſſionem peccatorum, corpus infirmum geris: neceſſe eſt, ſint quædam deſideria carnalia, quæ te titillēt, & quæ tibi ſuggerant delectationes illicitas: ſed de languore tuo veniunt.

Adhuc

Adhuc enim infirmam carnem geris; nondum est absorpta mors in victoriam; nondum corruptibile hoc induit incorruptionem. Adhuc quibusdam perturbationibus etiam ipsa anima quatitur, post remissionem peccatorum. Adhuc in periculis tentationum versatur, quibusdam suggestionibus delectatur, quibusdam non delectatur: & in eis, quibus delectatur, aliquando quibusdam consentit, rapitur. Languor est; sed sanabuntur omnes languores tui: noli timere. Magni sunt, inquies. Sed maior est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit; tantùm tu curari te sine. Manus eius ne repellas: nouit quid agat. Non tantùm delecteris, cùm fouet, sed etiam toleres, cùm secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. 2 Sanat enim omnes languores tuos. Inde autem sanat omnes languores tuos, quia redimit de corruptione vitam tuam. Ecce corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Vitam ergo habet anima in corpore corruptibili. Qualem vitam? Onera patitur, pondera sustinet. Ad ipsum Deum cogitandum, sicut dignum est ab homine cogitari Deum: quanta impediunt, veluti interpellantia de necessitate corruptionis humanæ? Quanta reuocant? Quanta à sublimi intentione detorquent? Quanta interpellant? Quæ turba phantasmatum? Qui populi suggestionum? Totum hoc in corde humano, tanquam de vermibus huius corruptionis scatet. Exaggerauimus morbum: laudemus & medicum. Non ergo te sanabit, qui fecit talem, qualis non ægrotares, si legem sanitatis acceptam seruare voluisses? Nónne tibi & disposuit, & mandauit quid tangeres, & quid non tangeres ad retinendam salutem? Noluisti audire ad retinendam, audi ad recipiendam. Languore tuo expertus es, quàm vera ille iussisset. Iam tandem aliquando homo, quod non tenuit monitus, audiat vel expertus. Quæ duritia est, quam nec experientia docet? Non ergo te sanabit, qui talem fecerat, vt nunquam ægrotares, si eius præcepta seruare voluisses? Non te sanabit, qui fecit angelos, & te refectum æquaturus est angelis? Non te sanabit factum ad imaginem suam, qui fecit cælum & terram? Sanabit te; opus est vt sanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat inuitum. Quid autem te beatius, quàm vt tanquam in manu tua vitam; sic habeas in voluntate sanitatem tuam? Si velles esse in aliquo sublimi honore in hac terra: Ducatum, Proconsulatum,

Margin notes: 1 Cor. 15. — Psalm. 102. — 2 Ibidem inf. — Sapien. 9.

Præfecturam si concupisceres, nunquid continuò posses quod velles? nunquid voluntatem tuam potestas sequeretur? Multi ad ista volunt peruenire, & non possunt: sed si peruenerint, quid prodest honor ægrotis? Quis enim non ægrotat in hac vita? quis non longum languorem trahit? Nasci hîc in corpore mortali, incipere ægrotare est. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ: quotidiana medicamenta sunt refectiones omnium indigentiarum. Fames nónne te

Vide in Psal. 34. in medio.

occideret, nisi medicamentum eius apponeres? Sitis nónne te perimeret, nisi eam tu bibendo non penitus extingueres, sed differres? Redituta est enim sitis paululum temperata. Temperamus ergo istis fomentis ærumnã ægritudinis nostræ. Stando lassatus eras, sedendo reficeris. Ipsum sedere, medicina est lassitudinis. In illa medicina rursus lassaris; diu sedere non poteris. Quicquid est, vbi fatigationi succurritur, alia fatigatio inchoatur. Quid ergo ista desideras languidus? Prius de salute tua cogita. Aliquando ægrotat homo in domo sua, in lecto suo, ægritudine manifestiore: quanquam & ista manifesta sit, quam nolunt homines intueri: tamen ea ægritudine, ad quam quæruntur medici homines, ægrotat quisque in domo sua, anhelat febribus in lecto suo, velit fortè cogitare de re familiari aliquid, iubere in domo sua vel fundo, aut disponere: statim cura suorum circumstrepente & murmurante, reuocatur à talibus curis, & dicitur illi: Dimitte ista, prius cogita de salute tua. Ergo hoc tibi dicitur, omnis homo: Si non ægrotas, alia cogita. Si te ægrotantem languor ipse conuincit, prius de salute tua cogita. Salus tua Christus est. Christum ergo cogita.

Cap. XLII.

Homo quomodo accedat ad Deum, & quomodo recedat à Deo.

1 In Psal. 99. in initio.

1 VT autem cogites illum, accede ad illum. Quod enim vis bene videre, vt habeas, vnde *cogites*, accedis, vt inspicias: ne fortè videndo à longè, fallaris. Sed vt oculis ista corpora; sic ille mente conspicitur, corde attenditur, & videtur,

Matth. 5.

vt inde cogitetur. Et vbi est cor, vnde ille videatur? Beati, ait, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.[2] Para ergo vnde

2 Ibidē infra.

videas, *quod vis cogitare*, & quod amas, antequam videas. Audito enim Deo *medico nostro*, & nomine eius, cui non dulce est

est quod audit; nisi impio multum remoto, multum longè facto? Quoniam ecce, inquit, qui longè faciunt se à te, peribunt: & sequitur, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Psalm. 72
Nobis autem quid? Quia illi longè, & ideo in tenebris, & ita sauciatis oculis in tenebris, vt lumen non solum non desiderent, sed etiam perhorrescant: nobis in longinquo inuentis quid dicitur? Accedite ad eum, & illuminamini. Vt autem accedas, & illumineris, displiceant tibi tenebræ tuæ: damna quod es, vt merearis esse quod non es. Es iniquus: esse debes iustus. Nunquam iustitiam percepturus es, si adhuc tibi placet iniquitas. Contere illam in corde tuo, & munda: expelle illam de corde tuo, vbi vult habitare, quem vis videre. Accedit ergo vtcumque anima humana, hoc est, interior homo recreatus ad imaginem Dei, qui creatus est ad imaginem Dei: qui tanto erat longè factus, quanto ierat in dissimilitudinem. Non enim locorum interuallis acceditur ad Deum, aut receditur à Deo. Dissimilis factus, longè recessisti: similis factus, proximè accedis. Vide quomodo nos vult accedere Dominus, faciens primo similes Deo, vt accedamus. Estote, ait, sicut pater vester, qui in cælis est; qui solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super iustos & iniustos. Disce diligere inimicum, si vis cauere inimicum. In quantum autem in te charitas crescit, efficiens te, & reuocans te ad similitudinem Dei, pertendit vsque ad inimicos: vt sis ei similis, qui facit solem suum oriri non super bonos tantùm, sed super bonos & malos: & pluit non super iustos tantùm, sed super iustos & iniustos. Quantum accedis ad similitudinem, tantum proficis in charitate, & tanto incipis sentire Deum. Et quem sentis? qui venit ad te, an ad quem tu redis? Nam ille nunquam discessit à te. Recedit à te Deus, cùm tu recedis à Deo. Præsentia sunt cæcis omnia, sicut videntibus: vno loco stans cæcus & videns, ijsdem formis rerum vterque circumfunditur. Ille est præsens rebus: ille absens. Ex duobus vno loco stantibus, vnus est præsens, alius absens: non rebus ipsis ad alterum accedentibus, & ab altero recedentibus, sed propter dissimilitudinem oculorum suorum. Ille qui cæcus dicitur, quia extinctum est ibi quod contemplari solet luce cuncta vestienti, frustra est præsens rebus quas non videt: imò rectiùs absens quàm præsens dicitur. Vbi enim non est sensus eius, rectè dicitur absens. Hoc est enim absentē esse, sensu abesse. Sic & Deus præsens est, vbique

Psalm. 33
Matth 5.

Sapien. 8. totus est. Sapientia eius attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Quod autem Deus pater, hoc Verbū eius, & sapientia eius: lux de luce, Deus de Deo. Quid ergo optas videre, *quò accedas?* Non est à te longè, quod vis videre. Apostolus dicit equidem, non longè positum ab vnoquoque

Actor. 17. nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Quanta ergo miseria est, longè esse ab eo, qui vbique est? Esto ergo similis pietate, & diligens cogitatione. Si dissimilis sis, repelleris: si similis, exultabis.

Cap. XLIII.

Idem & hîc latiùs ostenditur.

1 In Psal. 94. in init. QVid ergo? 1 Nunquid locis longè potest homo esse ab eo qui vbique est? Vis esse ab eo longè? Quò ibis, vt longè sis? Nam quidam peccator quidem; sed tamen cum spe salutis pœnitens, & dolens de peccatis, & metuens iram Dei, & volens

Psalm. 138. placare Deum; sic in Psalmo loquitur: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu ibi es. Quid ergo restat? Quia si ascenderit in cælum, ibi inueniet Deum. Vt longè fugiat à Deo, quò iturus est? Vide quid dicat: Si descendero ad infernum, ades. Si ergo ascendendo in cælum, ibi inuenit Deum: descendendo in infernum non fugit Deum, quò iturus est, quò fugiturus est ab illo irato, nisi ad ipsum placatum? Et tamen, cùm omnino nemo possit fugere ab illo, qui vbique est; nisi quidam longè essent à Deo, non

Esai. 29. diceretur: Populus iste labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Non ergo loco quisque longè est à Deo, sed dissimilitudine. Quid est dissimilitudine? Mala vita, malis moribus. Si enim bonis moribus propinquatur Deo; malis moribus receditur à Deo. Vnus ergo idemque homo corpore stans vno loco, & amando Deum, accedit ad Deum, & amando iniquitatem recedit à Deo. Nusquam pedes mouet, & tamen potest accedere, & recedere. Pedes enim nostri in hoc itinere, affectus nostri sunt. Prout quisque affectum habuerit, prout quisque amorem habuerit, ita accedit, vel recedit à Deo. Nónne plerumque dicimus, quando inuenimus aliqua dissi-

Vide in Psal. 34. conc. 2. in medio. milia; hoc longè est ab illo? Quando aliquos duos fortè homines comparamus, duos equos, duas vestes, & dixerit aliquis simile: Hæc vestis talis est, qualis illa: aut, iste homo talis est, qualis

qualis ille; quid alius dicit, qui contra dicit? Absit, longè est ab illo. Quid est, lõgè est ab illo? Dissimilis est illi. Et iuxta stant, & tamen iste longè est ab illo. Duo verò iniqui, pares vita & moribus, si vnus sit in oriente, alter in occidente; iuxta inuicem sunt. Et duo iusti similiter, alter sit in oriente, alter in occidente: secum sunt, quia in Deo sunt. Contrà, vnus iustus, alter iniquus, etiam si vna catena ligentur, multum à se separati sunt. Ergo si dissimilitudine recedimus à Deo, similitudine accedimus ad Deum. Qua similitudine? Ad quam facti sumus, quam in nobis peccando corruperamus, quam peccatorum remissione recepimus; quæ in nobis renouatur intus in mente, vt tanquam resculpatur in nummo, id est, in anima nostra imago Dei nostri, & redeamus ad thesauros eius. Nam & inde de nummo, voluit Dominus noster Iesus Christus ostendere tentatoribus suis, quid quærat Deus. Quando enim de tributo Cæsaris, quærentes causam calumniæ, consulere magistrum veritatis voluerunt, & consulendo tentare, vtrum liceret tributum dare Cæsari; quid ille ait? Quid me tentatis Matth. 22.
hypocritæ? Petit afferri sibi nummum, & allatus est. Cuius habet, inquit, imaginem? Responderunt, Cæsaris. Et ille: Reddite ergo Cæsari, quæ Cæsaris sunt; & Deo, quæ Dei sunt: tanquam diceret, Si Cæsar quærit in nummo imaginem suam: Deus non quærit in homine imaginem suam? Ad hanc similitudinem nos Dominus noster Iesus Christus inuitans, imperat nobis, vt nostros etiam inimicos diligamus: & dedit exemplum de ipso Deo. Sicut pater vester, ait, qui in cælis est, Matth. 5.
qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Estote ergo sicut pater vester, perfecti. Cùm dicit, Estote, sicut ille, perfecti; ad similitudinem nos inuitat. Si ergo ad similitudinem nos inuitat, constat, quia dissimiles existendo, recesseramus à Deo, & facti eramus longè per dissimilitudinem: & efficimur propè per similitudinem, vt iam fiat in nobis quod scriptum est: Accedite ad eum, & illuminamini. *Et quanquam Christus ipse sit lux, sicut dicit in Euangelio: Ego sum lux mundi: tamen & de nobis etiam scribit Apostolus, Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Sed quomodo lux in Domino? Quia ad illam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, à peccatis nostris decedentes, per fidem accessimus.* [a] Non ergo quomodo ad eum accesserunt Iudæi

Psal. 33. Ioan. 8. Ephes. 5. a In Psal. 33. côc. 2. in med.

 vt

vt tenebrarentur. Accesserunt enim illi ad illum, vt crucifigerent: nos ad eum accessimus, vt corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt: nos manducando crucifixum, & bibendo, illuminamur, *eiq; similes efficimur: quia tanti sacramenti virtute in ipsum transformamur. Sed quomodo, inquis, accedo?* Fide tectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui, charitas tua est. Duos pedes habeto: noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei & proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum: quia & vt curreres, ipse hortatus est; & ipse suum lumen aspersit sic, vt magnificè & diuinè se sequi possis.

CAP. XLIIII.

Tribulationibus temporalibus, etiam in ipsis Dei electis, peccata purgantur.

QVandoquidem ergo nos omnes errantes, & peccantes, à Deo longiùs per superbiam recessimus, nec ad illum, nisi pœnitentes, & nostra peccata, cum illorum odio & displicentia, humiliter confitentes, appropinquare valemus, vt per charitatem ipsi Deo rursum similes simus: quanta hac eius misericordia sit erga nos, quòd tali remedio in hac mortali vita nobis vti concesserit, quis explicet, quis dicat? Cæterùm quia nemo, etsi confessus, pro peccatis suis, quibus supplicium debebatur æternum, facilè in hoc tempore satisfacere ex æquo potest: etiam hoc ipsum de munere diuinæ misericordiæ venit, quòd hîc frequenter magnis flagellis, propter ipsa peccata, à Deo corripimur, & ad vitam sanctiùs instituendam tribulationibus temporalibus erudimur. Vnde & ipsos etiam electos ac sanctos suos hoc modo Deus purgare, curare & perficere consueuit: ne quid mali aliquando in eis maneret residuum, quod ipsos hinc discedentes, aut minus gloriosos fieri permitteret, aut diutius ab ingressu vitæ æternæ impediret. De Moyse enim, de Aaron, de Samuele quid scriptum est? quid Psalmus dicit? Audi: [a] Domine Deus noster, tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis. Propitius verò non dicitur Deus, nisi peccatis: quando dat veniam, tunc dicitur propitius. Et quid habebat in istis quod vindicaret, vt esset propitius? Ignoscendo propitius fuerat: propitius erat donando peccata: propitius fuerat & vindicando. Quid enim sequitur? Tu, inquit, propitius fuisti eis, & *vlciscens siue* vindicans in omnes *adinuentiones, vel, sicut alius textus habet,* affectiones eorum. Etiam vin-

[a] In Psal. 98. vltra medium

vindicans, inquit, propitius fuisti: non solum donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Vide, & quid hic commendauit *spiritus sanctus*, aduerte. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propitius est, non solùm donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum: sed etiam castigat, ne semper peccare delectet. Age, quomodo in illis vindicatum est, si quæramus, aderit (spero) Dominus, vt dicam. Quæramus enim tres istas personas, Moysen, Aaron, & Samuelem: & quomodo in eis vindicatum sit: quia Psalmus dixit, Vindicans in omnes affectiones eorum: vsque eas affectiones dicens eorum, quas homines non nouerant. Etenim sine querela hominum, versabantur in medio plebis Dei. Sed quid dicimus, quia Moyses habuit primam vitam fortasse peccatricem? Nam & percusso homine, fugit de Aegypto. Habuit & Aaron primam vitam, quæ displiceret Deo. Nam ipse insanienti populo, & quærēti idôlum, permisit vt fieret: & factum est populo Dei idôlum quod adoraret. Samuel quid fecit, infans ad templum datus? Omnes ætates suas inter sancta sacramenta Dei peregit, ab ineunte ætate famulus Dei. Nihil vnquam dictum est de Samuele; nihil ab hominibus. Nouerat ibi fortè Deus aliquid quod purgaret: quia & quod perfectum iam videtur hominibus, illius perfectioni adhuc imperfectum est. Pleraque faciunt artifices, & ostendunt imperitis: & cùm iam iudicauerint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui nouerunt adhuc quid illis desit, vt mirentur homines tantam expolitionem rebus accessisse, quas iam perfectas pronunciauerant. Fit hoc & in ædificiis, & in picturis, & in vestibus, & prope in omni genere artium. Primò iudicant illud iam quasi perfectum esse, vt oculi eorum amplius nihil desiderent. Sed aliud iudicat oculus imperitus, aliud iudicat artificis regula. Sic & illi sancti versabantur ante oculos Dei, tanquam sine culpa, tanquam perfecti, tanquam angeli: nouerat autem quid illis deesset, qui vindicabat in omnes affectiones eorum. Vindicabat autem non irascens, sed propitius: & ad hoc vindicabat, vt perficeret cœptum, non vt damnaret eiectum. Vindicans ergo in omnes affectiones eorum erat Deus. Quomodo vindicauit in Samuele? vbi est vindicta ipsa? Hoc dico; vt nouerint Christiani, quomodo vapulent, cùm multum profecerint. Quærimus vindictam in Moyse, prope nullam habet, nisi quòd ad extremum ait illi Deus: Ascende in montem, & morere:

Psalm. 98.
Exod. 2.
Exod. 3.
1. Reg. 1.
Vide lib. 1. de Ciuit. Dei. cap. 19.
Deut. 32.

morere: ait seni, morere. Iam peregerat ætates suas, nunquid
Num. 20. nunquam erat moriturus? Qualis illa vindicta? De Aaron autem quod dictum est; mortuus est & ipse senex: filij sui successerunt ei in sacerdotio; filius eius postea sacerdotium administrauit. Quomodo & in istum vindicauit? Samuel & ipse sanctus senex mortuus est, relictis filiis successoribus suis. Quid est, quod in illis vindicatum est, quæro; & secundùm hominem non inuenio. Secundum autem quod scio pati seruos Dei, quotidie in illos vindicabatur. Fortè vindictas quotidie patiebantur populos contradicentes, quotidie patiebantur iniquè viuentes: & inter illos viuere cogebantur, quorum vitam quotidie reprehendebant. Hæc erat vindicta. Nondum proficit, cui parua est. Tantum te enim torquet iniustitia aliena,
a Ibidem inf. quantum recesseris à tua. [a] Vide ergo quantas plagas in corde patiaris, qui corpore & corde integro inter malos versaris. Probabitis, quicunque profeceritis: probabitis, quicunque iam
Luc. 12. proficitis. Tolerāda sunt ergo ista: & fortè hoc pertinet ad illud: Seruus, qui nouit voluntatem domini sui, & non facit digna, plagis vapulabit multis. In multis enim quantum nobis innotescit voluntas Dei, etiam reatus noster innotescit nobis: & quanto ille nobis innotescit, tanto plus imus in fletus & lachrymas. Videmus enim quàm sit iustū, quod de nobis exigat Deus; in quanta adhuc imperfectione iaceamus, & sit in nobis
Eccles. 1. quod dictum est: Qui apponit scientiam, apponit dolorem. Ecce abundet in te charitas, & plus dolebis peccātem. Quanto in te maior charitas est, tanto amplius te torquebit, quem toleras: non torquebit tanquam irascentem illi, sed tanquam dolentem pro illo. Vide Paulum Apostolum quid patiebatur. Præter illa, inquit, quæ extrinsecus sunt. Dixit enim multa, quæ patiebatur, & cœpit dicere interiora, præter illa quæ extrinsecus erant, quę patiebatur à malis persecutoribus Christi: incursus in me quotidianus, solicitudo omnium Ecclesiarum. Et vide qualis solicitudo, quàm paterna, quā materna. Vide quomodo cædebatur, vt vindicaretur in omnes affectiones
2 Cor. 11. eius. Dicemus affectiones eius, in quas vindicabat Deus. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Quanto maior charitas, tanto maiores plagæ de peccatis alienis. Acceperat quidem ille & stimulum carnis, angelum satanæ, à quo colaphizabatur. Ecce quomodo propitius erat Deus, vindicans in omnes affectiones eius. Quæ
sunt

ſunt affectiones, in quas ſic vindicabat? Ipſe expoſuit, ipſe dixit. In magnitudine, inquit, reuelationum ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Tam perfectus erat, vt tamen timendum eſſet ne extolleretur: nam non poneret Deus medicamentum, vbi vulnus non eſſet. Et rogauit, vt tolleretur: æger ille rogauit, vt auferretur medicamen. Propter quod ter Dominum rogaui, inquit, vt auferret eum à me, id eſt, ſtimulum carnis, à quo colaphizabatur, aliquem fortè dolorẽ corporis. Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Ego noui, quem curo: non mihi det, qui ægrotat, conſilium. Tanquam emplaſtrum mordax vrit te, ſed ſanat te. Rogat medicum, vt tollat emplaſtrum, & non tollit, niſi cùm fuerit ſanatum, quo poſuerat. 2. Cor. 12. Nota.

CAP. XLV.

Dauid per diſciplinam Dei poſt peccatum correptus: Saul in peccato deſertus & reprobatus eſt.

1 ERgo, quicunque in Chriſto proficimus, non nos putemus ſine flagello futuros: quia quantùlibet proficiamus, nouit ipſe peccata noſtra: aliquãdo & nobis oſtendit illa, & videmus & nos peccata noſtra. Et cũ inter tales homines verſari cœperimus, vt iam homines, quod in nobis reprehendant, non inueniant: reprehendit ille adhuc, qui nouit omnia, & vindicat in omnes affectiones noſtras: quia propitius eſt nobis. Nã ſi nõ vindicet, & deſerat, perimus. *Vnde autẽ vindicare vult, niſi quia bonus, & de nobis ſolicitus eſt?* [2] Tu potes hoc exhibere filio tuo; & Deus non poteſt? Non enim bonus es, quando blandiris filio tuo; & malus, cùm cædis filium tuum. Et cùm blandiris, pater es: & cùm cædis, pater es. Ideo blandiris, ne *rectus* deficiat: ideo cædis, ne *correctus* pereat. 3 Quàm bonus autem Deus Iſraël rectis corde? Proinde, *quod dicturus ſum*, audi. Aliquando Deus, cui ignoſcit in futuro ſæculo, corripit eum de peccato, in iſto ſæculo. Nam & ipſi Dauid, cui dictum iam fuerat per prophetam: Dimiſſum eſt peccatum tuum, euenerunt quædam, quæ minatus erat Deus, propter ipſum peccatum. Nam filius eius Abſalon aduerſus eum, cruentum bellum geſſit; & in multis humiliauit patrem ſuum. Ambulabat ille in dolore, in tribulatione humiliationis ſuæ, ita ſubditus Deo, vt omnia iuſta ei tribuens, confiteretur quòd nihil pate-

1 Ibidem inmed. 2 Ibidem inf. 3 In Pſal. 50. poſt medium. Pſalm. 55. 2 Reg. 12.

pateretur indignè: habens iam rectum cor, cui non displicebat Deus. Iniuriosum quendam, & in os sibi dura maledicta iacientem, patiĕter audiebat; ex aduersa parte vnum ex militibus, qui erant cum filio eius impio. Et cùm ille iaceret maledicta in Regem, iratus vnus ex comitibus Dauid, voluit ire, & percutere eum: prohibetur à Dauid. Et quomodo prohibetur? Vt diceret: Deus illum misit, vt mihi malediceret. Denique, agnoscens *Dauid ex intimo humiliq́ corde culpam suam*, amplexus est pœnam suam. ♦ Quid enim aliud, quàm cordis eius profunda cernebat spiritus Dei, quādo iam correptus per prophetam, dixit, Peccaui: continuoque ad hoc vnum verbum audire meruit, quòd acceperit veniam, *qui agnouisset culpam*? Ad quam verò rem *accepit veniam*, nisi ad æternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo, secundùm Dei comminationem, flagelli paterni disciplina; vt & confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Haud verò mediocre fidei robur fuit, aut paruum mitis & obedientis animi indicium, cùm audisset à Propheta, quòd sibi Deus ignouisset, & tamen quæ fuerat comminatus, consequenter euenissent, non se dicere prophetæ deceptum esse mendacio, nec murmurare aduersus Deum, quasi falsam peccatorum eius indulgentiam pronunciauerit. Intelligebat enim vir altè sanctus, & non contra Deum, sed ad Deum leuans animam suam, nisi Dominus esset confitenti pœnitentiq́ue propitius, quantum pœnarum æternarum eius essent digna peccata, pro quibus, cùm temporalibus emendationibus vreretur, videbat erga se & manere veniam, & non negligi medicinam. Cur autem Saul per Samuelem correptus, cùm diceret etiā ipse, Peccaui: nō meruit audire, quod Dauid, quòd ei Dominus ignouisset? Num personarum acceptio est apud Deum? Absit. Sed in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod diuinus oculus discernebat. Quid talibus exemplis docemur, nisi regnum cælorum intra nos esse, & de intimis nostris Deum colere nos debere, vt ex abundantia cordis, os loquatur: non autem vt populus Deum labiis honoret, cor autem eorum longè sit ab eo: neque iudicare aliter audeamus de hominibus, quorum interiora videre non possumus, quàm Deus, qui hoc potest: & falli aut corrumpi *vt homo non* potest. 5 Nam etiam homo, iudicare *alium hominem* nō potest, quem videre *in corde* non potest. Si quid verò persuadeamus cordi nostro,

♦ To. 6. lib. 22. contra Faust. cap. 67.
2 Reg. 12.
1 Reg. 15.
Luc. 17.
Matth. 12.
Ibidem 15.
5 To 9. Tra. 6. in epist. Ioan. ante medium

nostro, coram illo *qui corda videt*, persuadeamus. Quia si malè sentiat cor nostrum, id est, accuset nos intus, quia non eo animo quid facimus, quo faciendum sit: maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Cor tuum absconde ab homine; à Deo absconde, si potes. Quomodo abscondes ab eo, cui dictum est à peccatore quodam timente & confitente: Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Quærebat quà fugeret, vt euaderet iudicium Dei: & non inueniebat. Vbi enim non est Deus? Si ascendero, inquit, in cælum, ibi es: si descendero in infernum, ades. Quò iturus es? quò fugiturus? Vis audire consilium? Si vis ab illo fugere, *ne te corripiat*, ad ipsum fuge, *vt te recipiat*. Ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo: latere enim non potes, sed confiteri potes. *Voluit post peccatum latere Saul, quia ex intimo & sincero corde suam culpam confessus non est: Dauid non latuit quia verè doluit. Ideoq́ Dominus illum tanquam venia indignum, reprobauit: hunc paterna disciplinà correctum, de indulgentia securum fecit.* Psalm. 138.

CAP. XLVI.

Deus per disciplinam suam nos exercet, vt ipsum laudemus, & offendere timeamus.

HAec si nos sedulò versaremus in cordibus nostris, qui iam grauissimis, propter nostra peccata, afflictionibus atterimur; nunquam certè aduersus Deum murmuraremus positi in angustiis & aduersitatibus huius sæculi: sed corporalibus castigationibus eruditi, Deiq́ flagellis correcti quòd his omnibus digni essemus, libenter confiteremur & à diuinis laudibus nunquàm cessaremus. Si enim tantus Rex Deiq́ propheta Dauid, quod extrinsecus patiebatur, se pati confessus est propter sua delicta: multo magis ad nos pertinet id confiteri, qui quales coram Deo hactenus fuerimus, ignoramus. Quamuis enim coram hominibus perfecti fortè videamur, aut probi, aut iusti: multa tamen, quæ ipsi displiceant, in nobis videre potest Deus, quæ videre nõ possunt & homines. Istud igitur apud nos semper cogitemus: [a] & si quando existunt tentationes, pressuræ vnde non sperabantur; iam intelligamus Dominum facere hoc ad disciplinam, vt excutiat à nobis malè prouidẽtem de temporalibus securitatem, & dirigat nos in regnum suum composito desiderio. Quod desiderium tribulationibus hinc atque hinc contundentibus producitur, [a] In Psal. 32. cõc. 2. in med.

ducitur, vt simus canori auribus Domini, tanquam tubæ ductiles. Dictum est enim & hoc in Psalmis, vt in tubis ductilibus laudemus Deum. Tuba ductilis malleo producitur: ita Christianum cor in Deum, pressurarum plagis extenditur. Meminerimus ergo iam his temporibus, non deesse Deo vnde proferat quo nos emendet, cùm emendatione nobis opus est. Nouit ille omnium corda; quid ad tẽpus proferat, vnde proferat; quantam potestatem tribuat malis in bonos; ad iudicandos quidem malos, erudiendos autẽ bonos. Nouit, quomodo hæc agat, qui (*vt Psalmus habet*) *Congregat sicut in vtre aquas maris*, & ponit in thesauris abyssos. *Sed quid est hoc? Deus, (inquit) quando vult, quiescere facit persecutores electorum suorum: & iterum, quando iudicat expedire, sæuire eos permittit: ne quis sanctorum mala torpeat securitate, & à proposito excidat.* Fiat ergo quod ibi sequitur: Timeat Dominum omnis terra. Non glorietur superba lætitia, temeraria exultatione, dicens: Iam congregata est, velut in vtre aqua maris, quis mihi aliquid facere audebit? Nescis, quia posuit ille in thesauris abyssos? nescis, vnde proferat, quod opus est, ad flagellandum te, pater tuus? Qui quidem in disciplinam tuam habet abyssi thesauros, quibus te erudiat ad thesauros cælorum. Ergo redi ad timorem, qui iam ibas in securitatem. Exultet terra, sed & timeat. Exultet: Quare? quia misericordia Domini plena est terra. Timeat: Quare? Quia sic congregauit in vtre aquas maris, vt poneret in thesauris abyssos. Fit ergo in illa, quod alibi breuiter vtrumque dicitur: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Non autem timeas alterum pro illo: *hoc est, creaturam pro creatore*. Ab ipso quippe commoueantur, inquit, omnes qui inhabitant orbem terræ. Fera sæuit. Deum time. Serpens insidiatur, Deum time. Homo te odit, Deum time. Diabolus te impugnat. Deum time. Tota enim creatura sub illo est, quẽ iuberis timere; *cuius etiam voluntati omnia eius opera subiecta sunt. Sed quare à te timeri vult Deus? Quia te peccare non vult. Si autem peccas, quia non times: per te morieris, si non per aliud flagelleris. Nam sicut* [a] nullum *timentem* deserit Dei misericordia: ita nullius est iniquitas impunita: quãdo flagellat etiam omnem filium quem recipit. Sed si iustus vix saluabitur; peccator & impius vbi parebunt? Eligat sibi homo quodlibet. Non sic cõstituta sunt opera Domini, vt creatura in arbitrio libero constituta, creatoris superet voluntatẽ: etiam si contra

Psalm. 32. (margin, line 2)
Psalm. 32. (margin, line 10)
Psalm. 2. (margin, line 25)
a In Psal. 110. in initio. Hebr. 12. 2. Petr. 4. (margin, lines 34–36)

contra eius faciat voluntatem. Non vult Deus, sicut dixi, vt pecces: nam prohibet: tamen si peccaueris, nõ putes hominem fecisse, quod voluit, & Deo accidisse, quod noluit. Sicut enim vult, vt homo non peccet: ita vult peccanti *misericorditer* parcere, vt reuertatur, & viuat: ita vult postremò *non timentem, &* in peccato perseuerantem punire, vt iustitiæ potentiam contumax non euadat, *qui contempsit misericordiam.* Ita demum quicquid elegeris, omnipotenti non deerit, vnde suam de te compleat voluntatem: *siue te peccantem, sed tamen propter flagella timentem, corrigat, vt viuas: siue te non pœnitentem deserat, vt intereas.*

CAP. XLVII.

Dies bonos, & meliora tempora non hîc promittit Euangelium: ergo non hîc, sed alibi sunt expectanda.

Sed scio, timeres desertus à Deo. sic interire; & magis adhuc amares viuere, & videre hîc dies bonos. Vis ad hoc peruenire, & nunquã interire? Audi non meum, sed Psalmistæ consilium. [1] Et quid dicit? Venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos. Doceat ergo, præbeamus aurem, præbeamus cor. Non aperiamus aures carnis, & cordis claudamus: sed sicut ipse dixit in Euangelio: Qui habet aures audiẽdi, audiat. Quis nouit audire docentem Christum per Prophetam? *Quis? nisi qui didicit timere Christum cũ propheta. Nisi enim ipse timeret, nos suos filios timere non doceret. Vnde cùm dixisset, Venite filij, audite me, timorẽ Domini docebo vos; vt huius timoris fructum quem ipse gustauerat etiam nobis prælibandum proponeret, continuò addidit: Quis est homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Tanquam si diceret: Timor non peccandi, Deumq́; non offendendi, securitas est semper viuendi. Neque enim certior est ad vitam æternam, ingressus, quàm cùm ille timor mentẽ hominis, ne in Deum peccet, constringit. Hunc quisquis habuerit, vtique vitam inueniet, & dies quos diligit, bonos videbit. Sed non hic illos videbit.* [2] Ait enim ipse Dominus: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram. Si ergo sumus *veri* Christiani, pressuras in isto mundo speremus. *Bonos dies &* tranquilliora & meliora tempora nolimus sperare, falleremus enim nos. Quod nobis Euangelium non promittit, nolimus nobis promittere. Quid dicat Euangelium, scimus: fidei præuaricatores esse non debemus.

Euan-

1 In Psal. 33. in medio.
Matth. 13.
2 In Psal. 96. in fine. Ioan. 16.

Euangelium hoc dicit, quia in nouissimis temporibus multa mala, multa scandala, multæ pressuræ, multæ iniquitates abundabunt: sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Refrigescet, inquit, charitas multorum. Qui ergo perseueranter spiritu ferbuerit, secundùm Apostolum, qui ait, Spiritu feruentes; eius charitas non refrigescet: quia ipsa charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nemo ergo sibi promittat, quod Euangelium non promittit: Ecce venient lætiora tempora: ecce dies boni venient: & facio illud & illud. Bonum est nobis, vt attendamus illum qui non fallitur, nec fefellit aliquem, qui nobis promisit non hic bonos dies, sed in se. Quis est ergo homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Si interrogaremus hoc omnes, nónne quilibet responderet, Ego? An quisquam est qui hoc non vult? Nónne quotidie murmurant infirmi homines, & dicunt, Quamdiu ista patimur; quotidie peiora, & peiora? Apud parentes nostros fuerunt dies lætiores, fuerunt dies meliores. O si interrogares ipsos parentes tuos, similiter tibi de parentibus murmurarent. Fuerunt beati patres nostri: nos miseri sumus, malos dies habemus. Dominatus est ille: putabamus quia illo mortuo posset aliquod refrigerium dari: deteriora venerunt. O Deus, ostende nobis dies bonos. Quis est homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos? Non hic quærat dies bonos. Bonam rem quærit, sed non in regione eius illam quærit. Quomodo si aliquem iustum quæreres, sed in ea patria, vbi non habitaret; diceretur tibi, Bonum virum quæris, magnum virum quæris: quære illum, sed noli hîc. Superfluò hîc eum quæris, nunquam eum inuenturus es. Dies bonos quæris; simul eos quæramus: nolimus quærere hîc. Sed habuerunt illos patres nostri. Fallimini. Omnes hîc laborauerunt. Legite scripturas: ideo voluit Deus vt scriberentur, vt nos consolaremur. Temporibus Heliæ fuit fames: passi sunt eam patres nostri. Capita iumentorum mortuorum auro vendebantur: occiderunt suos, & comederunt eos. Et duæ mulieres statuerunt inter se, vt occiderent filios suos, & manducarent. Occidit vna filium suum, & manducauerunt eum ambæ. Alia nolebat occidere filium suum, & exigebat illa quæ prior occiderat filium suum: & talis rixa venit ante regem. Adduxerunt se ante Regem, contendentes de interfectione filiorum. De talibus cibis auertat Deus ea quæ legimus. Semper dies mali

Marginalia: Matth. 24. — Rom. 12. — Ibidem. 5. — In Psal. 33. in medio. — 3 Reg. 17. — 4 Reg. 6.

mali in sæculo, sed semper dies boni in Deo. Habuit dies bonos Abraham, sed intus in corde. Habuit dies malos, quando à fame mutauit regionem, & quærebat cibum. Sic omnes quæsierunt. Paulus habuit dies bonos, qui dicit: In fame & siti, in frigore & nuditate? Sed non irascantur serui. Ipse Dominus non habuit dies bonos in hoc sæculo: contumelias, iniurias, crucem, & tanta mala patiebatur. Non ergo Christianus murmuret *propter dies malos: tantum hoc* videat, cuius vestigia sequatur, *ad habendos dies bonos.* 2 Cor. 11.

CAP. XLVIII.

Ad bonos dies peruenire poterimus, si Dei pacem quæramus

1 ERgo si dies bonos *bonus* Christianus amat, audiat docentem; & dicentem: Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. Quid enim vis? Vitã, & dies bonos. Audi & fac quod sequitur: Contine linguam tuam à malo. Fac illud. Nolo, dicit homo miser: & linguam meam nolo continere à malo, & vitam volo, & dies bonos. Si operarius tuus tibi diceret, Vasto istam vineam, & exigo à te mercedem meam: adduxisti me ad vineam, vt falcitem illam, & putem; concido omnia ligna vtilia, præcidam ipsa robora vitium, vt non hîc habeas, quod colligas: & cùm fecero ista, redditurus es mihi laborem meum: nónne insanum illum diceres? nónne illum de domo tua repelleres, antequam mitteret manum ad falcem? Tales sunt homines, qui & facere volunt mala, & iurare mendacium, & blasphemare contra Deum, & murmurare, & fraudem facere, & inebriari, & litigare, & adulterari, & ligaturas adhibere, & ire ad sortilegos, *& audire hæreticos*; & nihilominus dies bonos videre. Dicitur illi, Non potes malè faciens, quærere bonam mercedem. Si tu iniustus es, iniustus erit & Deus? Ergo quid faciam? *Dic mihi*, quid vis? Vitam volo, dies bonos volo. Contine ergo linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum, id est, nulli fraudem, nulli mendacium. Sed quid est *quod sequitur*, Declina à malo? Parum est, nulli noceas, nullum occidas, non fureris, non adulteres, non fraudem facias, non falsum testimonium dicas: declina à malo. Cùm declinaueris, dicis, Securus sum, perfeci omnia, habebo vitam, videbo dies bonos. *Falleris. Nam dictum est* non solum, Declina à malo: sed, & fac bonum. Parum est, vt non expolies

1 Ibidem immed.

vestitum, vesti nudum. Si non expoliaueris, declinasti à malo: sed non facies bonum, nisi cùm peregrinum susceperis in domum tuam. Ergo sic declina à malo, vt facias bonum. *Quo fine?* Quære pacem, & sequere eam. *Vt habeas pacem æternam, ideo facias bonum*. Non tibi dixit: habebis hic pacem: sed quære illam, & sequere eam. Quò illam sequor? Quò præcessit.

Ephes. 2. Dominus enim est pax nostra, resurrexit, & ascendit in cælum. Et tu cùm surrexeris, hoc mortale mutabitur, & amplecteris pacem, vbi tibi nemo molestus erit. Ibi est perfecta pax, vbi non esuries. Nam hîc tibi pacem fecit panis. Subduc panem, & vide quale bellum erit intra viscera tua. Ipsi iusti quomodo gemunt hîc? Vt sciatur, quia quærimus hîc pacem, consequemur autem in fine. Sed ex parte hîc habeamus, vt ex toto illic habere mereamur. Quid est, ex parte? Concordes simus: sic diligamus proximum, quomodo nos. Sic dilige fratrem, quomodo teipsum: habe cum illo pacem. Sed non possunt nisi existere rixæ aliquæ, quomodo inter fratres, & inter

Actor. 15. sanctos extiterunt, inter Barnabam & Paulum: sed non quæ occiderent concordiam, non quæ interimerent charitatem. Nam & tibi ipsi resistis aliquando, & tamen non te odisti. Omnis enim, quem pœnitet aliquid, rixatur secum. Peccauit, redit, irascitur sibimetipsi hoc se fecisse, illud commisisse. Rixam ergo secum habet, sed ista rixa ad concordiam, *& ad pacem* tendit. Vide quomodo secum rixetur, & dicat quidam

Psalm. 41. iustus: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Dominum, quoniam adhuc confitebor illi. Cùm dicit animæ suæ, Quare conturbas me? vtique turbabat illum. Volebat fortè ipse pati aliquid pro Christo, & anima ipsius cōtristabatur. Et ille qui sciebat & dicebat, Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? pacem adhuc secum non habebat: sed ex mente hærebat Christo, vt sequeretur illū anima eius, & non illū cōturbaret. Ergo quærito pacē. Dominus dixit;

Ioan. 14. Hęc loquor vobis, vt in me habeatis pacē. Pacem in terra vobis non promitto. In ista vita pax vera non est, nec tranquillitas, *sicut nec dies boni. In futuro sæculo* gaudium immortalitatis, societas angelorum, *& longitudo dierum bonorum & æternorum* promittitur. Sed quisquis non illam, cùm hîc est, quæsierit; non illam habebit, cùm venerit. *Quærit verò illam, qui iam liberatus à peccatis, ne rursum in Deum peccet, timet; facitq́; diligenter vnde bonus immò seipso melior efficiatur, multaq́; in conscientia*

ſtientia pace & ſecuritate gaudeat, Deoq́ per omnia placeat: quique in aduerſitatibus quibuſlibet & tribulationibus huius ſæculi perferendis tam paratus patiens, & fortis eſt, vt dicere poſſet cum Apoſtolo: Sed & gloriamur in tribulationibus noſtris. Hæc vtique ad optimi hominis, & ad ſupernam pacem, angelorúmque ſocietatem electi à Deo, animum ſtudiumq́ pertinent.

CAP. XLIX.

Conſcientia mala nuſquam ſinit quieſcere hominem malum.

1 QVid autem facit hîc malus homo, cùm cœperit tribulari? Foris nihil habet: ablata ſunt omnia: in cõſcientia nullum ſolatium eſt. Non eſt, quò exeat, quia *quæ patitur*, dura ſunt: non eſt, quò intret, quia *quæ cogitat*, mala ſunt. Conſolatio non eſt in externis, nõ eſt in internis. Extra ſunt enim à nobis, de quibus conſolatio nulla eſt. Et vniuerſi qui Deum non habent, pecuniæ, amicitiæ, gloriæ, facultatibus mundi ſeruiunt: & quæcunque bona ſunt corporalia, non poſſunt conſolari intrinſecus, quomodo conſolabatur ille plenus ſagina interiore, & de ipſa ſagina ructans: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Ergo illis malis & peccatoribus non eſt locus in his quæ foris ſunt: quia ibi patiuntur tribulationes, vbi conſcientia illos non conſolatur. Non eſt bene illis ſecum: quia bene eſſe cum malo non poteſt. Quiſquis autem malus eſt, malè ſecum eſt. Torqueatur neceſſe eſt ſibi, ſeipſo tormento. Ipſe eſt enim pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Fugit ab inimico, quò potuerit; à ſe quò fugiet? 2 Quicquid enim vis, potes fugere homo, præter conſcientiam tuam. Intra in domum tuam, requieſce in lecto tuo, intra in interiora: interius nihil habere potes, quò fugias à conſcientia tua, ſi rodunt te peccata tua. *Quid eſt, rodunt? Premunt, coarctant: quia, qui eo loci conſtitutus eſt, non eſt vbi anguſtias non patiatur. Arcta enim omnis malitia: ſola innocentia lata eſt. Vide quendam in hac latitudine non laborantem præ aliqua anguſtia nec inde fugere cogitantem, ſed ſpacioſiùs & delicatiùs obambulantem: Dicit enim.* 3 Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Medium domus ſuæ dicit cor ſuum: domus enim noſtra interior,

1 In Pſal. 10. conc. 2. ante medium.

Iob 1.

2 In Pſal. 30. côc. 1. in med.

3 In Pſal. 100. in medio.

rior, cor nostrum est: vt hoc exposuerit, quod superius dixit: In innocentia cordis mei. Quæ est innocentia cordis sui? Medium domus suæ. Hanc domum quisquis habet malam, pellitur ab illa foris. Quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quomodo quisquis ab stillicidio exit de domo sua, aut à fumo; non ibi se patitur habitare: sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt à seipsis animi intẽtione, & de his quæ foris sunt circa corpus delectantur: quietem in nugis, in spectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris voluerunt sibi bene esse? Quia non est illis intus bene vnde gaudeant in conscientia sua. Ideo Dominus, cùm sanasset paralyticum, ait:

Matth. 9. Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Faciat illud anima, quæ quasi paralysi dissoluta est: in membris bonæ operationis constringatur, vt bene operetur. Tollat grabatum suum, regat cor suum, *ne amplius sibi tribulationem faciat*. Iam eat in domum suam, intret in conscientiam suam; eam latam

4 In Psal. 35. post initium. inueniet, vbi deambulet, *& requiescat*. 4 Quàm multa multi patiuntur in publico, in foro, in iurgiis, in iniuriis, in contentionibus & molestiis negotiorum? Quomodo quisque fatigatus negotiis foris, currit ad domum suam, vt ibi requiescat, & dat operam citò finiri negotia quæ foris sunt, & tollere se ad requiem in domum suam? Ideo enim vnusquisque domum suam habet, quia ibi requiescit. Si verò & ibi molestias patiatur, vbi potest requiescere? Quid ergo bonum est? Vt vel in domo sua requiem habeat. Si autem patitur foris inimicos, intus fortè malam vxorem; procedit in publicum. Cùm vult requiescere ab his; quæ foris sunt, intrat in domum. Quando verò nec ibi requiescit, nec foris requiescit: vbi erit requies? Saltem in cubili cordis, vt tollas te ad interiora conscientiæ tuæ. Si ibi inuenisti fortè coniugem, quæ tibi non faciat amaritudinem, sapientiam Dei: cum ipsa cõiungere, quiesce intus in cubili tuo: non inde te eiiciat fumus malæ conscientiæ.

Cap. L.

Quomodo conscientia mala purganda sit, vt bona fiat: & quòd maxima tribulatio sit, mala conscientia.

1 Ibidé supra. 1 CVbile itaque nostrum, est cor nostrum: ibi tumultum patimur malæ conscientiæ: & ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Qui amat cubile cordis sui, aliquid boni ibi

ibi agat. Ibi est cubile, vbi nos Dominus Iesus Christus iubet orare. Intra, inquit, in cubiculum tuum, & claude ostium tuum, [2] & ora in occulto; & pater tuus, qui videt in occulto; reddet tibi. Cùm ergo intras in cubiculum tuum, intras cor tuum. Beati qui gaudent, quando intrant ad cor suum, & nihil mali ibi inueniunt. Attende quomodo nolunt intrare domos suas, qui habent malas vxores; quomodo exeunt ad forum, & gaudent: cœpit hora esse, qua intraturi sunt in domum suam, & contristantur. Intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad euersiones: quia non est domus composita, vbi inter virum & vxorem pax nulla est. Et melius illi est foris circumire. Si ergo miseri sunt, qui cùm redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus euertantur: quanto sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum euertantur? Ergo vt possis libens redire ad cor tuum, munda illud. Beati enim mundicordes, quoniam ipsi Deum videbũt. Aufer inde cupiditatum sordes, aufer labem auaritiæ, aufer tabem superstitionum, aufer sacrilegia, *aufer falsa dogmata*, & malas cogitationes; odia, non dico aduersus amicum, sed etiam aduersus inimicum. Aufer ista omnia: intra cor tuum, & gaudebis ibi. Cùm ibi cœperis gaudere, ipsa munditia cordis tui delectabit te, & faciet orare: quomodo si venias ad aliquem locum, silentium est ibi, fortè quies est ibi, mundus est locus: oremus hîc, dicis: & delectat te cõpositio loci, & credis quòd ibi te exaudiat Deus. Si ergo loci visibilis te delectat munditia; quare te non offendit immunditia cordis tui? Intra, munda omnia, leua oculos tuos ad Deũ, & statim *orantem* te exaudiet. Clama & dic: Inquisiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eruit me. Quare? Quia, cùm fueris illuminatus; cùm cœperis hîc habere bonam conscientiam, restant tribulationes; quia restat aliquid infirmum. Donec mors absorbeatur in victoriã, & mortale hoc induat immortalitatem, necesse est vt in hoc sæculo flagelleris: necesse est vt aliquas tẽtationes suggestionésque patiaris. *Sed quodlibet illud sit quod pateris, & quantumcunque magnum malum sit quod pateris: non inde tribulaberis, sed magis gloriaberis, si non infirmatus ac detentus ab immunda conscientia, in omni tua tribulatione ad illum confugeris, cui dictum est in Psalmo:* [3] Deus noster refugium, & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt

[2] In Psal. 33. concione 2. ante medium

Matth. 5.

Psalm. 33.

1 Cor. 15.

[3] In Psal 45. in princ.

nos nimis. Multæ quippe sunt tribulationes, & in omni tribulatione ad Deum confugiendum est: siue sit tribulatio in re familiari, siue in salute corporis, siue de periculo charissimorum, siue de aliqua re, ad huius vitæ sustentaculum necessaria: omnino aliud refugium non debet esse homini Christiano, quàm saluator eius, quàm Deus eius, quò cùm confugerit, fortis fit. Nō enim ipse in se fortis erit, aut sibi ipse fortitudo erit, sed ille illi fortitudo erit, qui refugium eius factus est. Veruntamen inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio, quàm cōscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod conscientia vocatur; vbicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies nō est, propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est: quid facturus est homo? Quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum, a domo in cubiculum: & sequitur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat, non habet, nisi interius ad cubile tuum. Porrò si ibi tumultus est: si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere. Pellitur enim inde; & cùm inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce hostem suum inuenit, quò confugerat: seipsum quò fugiturus est? Quocunque fugerit, se talem trahit post se: & quocunque talem traxerit se, cruciat se. Sed à seipsō sunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis: acerbiores enim non sunt: tanto sunt acerbiores, quanto sunt interiores. Vide cùm ligna dedasciantur à fabris, & probantur, aliquando in superficie videntur quasi læsa & putrida. Faber autem inspicit tanquam medullam interiorē ligni: & si sana interius ligna cognouerit, promittit ea in ædificio duratura: nec valde erit de superficie læsa solicitus, quando id quod interius est, sanum renunciat. Porrò hominis interius conscientia nō inuenitur. Quid igitur prodest, si quod est exterius, sanum est, & putrefacta est medulla conscientiæ? Arctæ istæ, & vehementes omnino. & (sicut Psalmus ipse ait) nimiæ tribulationes sunt: tamen & in his adiutor factus est Dominus, dimittendo peccata. Iniquorū enim conscientias non sanat, nisi indulgentia. Si enim magnas tribulationes habere se dicit debitor fisci, confessus & intuens angustias rei familiaris suæ, cùm se videt nō posse esse soluēdo, propter imminentes omni anno compulsores; tribulationes

Psalm. 45.

magnas

magnas se pati dicit, nec vsquam respirat, nisi in spe indulgentiæ rerum terrenarum: quanto magis debitor pœnarum de abundantia deiictorum, quando reddet, quod debet de mala conscientia, quando si reddiderit, ipse perit? Hoc enim debitum reddere, pœnas luere est. Restat ergo vt de ipsius indulgentia securi esse possimus, si tamen accepta indulgentia, non rursus ad debita contrahenda redeamus.

CAP. LI.
Conclusio huius Libri.

SEd (vt hunc librum suo fine concludamus) qui sunt, qui ad id quod iam ipsis indultum est, redeunt? quique in bono proposito, quod fecerunt, non persistentes, noua iterum debita sibi contrahunt? [1] Qui conuersi ad Deum, cùm hic non inuenerint requiem, quam quærunt; & gaudia, quæ promittuntur; tanquam in itinere deficientes, & longum sibi quiddam, donec hoc sæculum vel hæc vita finiatur, restare arbitrantes, & quærentes hîc aliquam requiem, quæ si habetur, falsa est: respiciunt retro, & decidunt à proposito: nec attendunt cum quanto terrore dictum est: Mementote vxoris Loth. Vt quid enim in statuam salis versa est, si non homines condit, vt sapiant? Ergo exemplum illius malum, tibi fit bonum, si caueris. Mementote, inquit, vxoris Loth. Respexit enim retro, vnde liberata erat à Sodomis, & ibi remansit, vnde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura. Liberati ergo à Sodomis præteritæ vitæ, non respiciamus retro. Nam hoc *redire* est, non attendere quod promisit Deus, quia longè est: & respicere ad id quod proximum est, vnde iam liberatus es. De talibus quid dicit Apostolus Petrus? Contigit illis res veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientia peccatorum: accepta indulgentia quasi vomuisti, & * reuelatum est peccatum tuum. Facta est bona conscientia, ex mala conscientia. Quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis: tu quid eris oculis Dei? Vnusquisque porrò de loco itineris sui, ad quem proficiendo peruenit, & quē fortè vouit Deo, inde respicit retro, cùm ipsum dimiserit. Verbi gratia: statuit quis castitatem coniugalem seruare, (inde enim incipit iustitia,) recessit à fornicationibus, & ab illa illicita immunditia: quando se ad fornicationes conuerterit,

[1] In Psal. 83. à principio.

Luc. 17.

2 Pet. 2.

al. releuatum.

M 4 retro

Nota. retro respexit. Alius ex munere Dei, maius aliquid vouit: statuit nec nuptias pati. Qui non damnaretur, si duxisset vxorem; post votum, quod Deo promisit, si duxerit, damnabitur: cùm hoc faciat, quod ille qui non promiserat: tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quare? nisi quia iste respexit retro: Iam enim ille ante erat: iste autem illuc nondum peruenerat. Sic virgo, quæ si nuberet, non peccaret; sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur. Respexit enim retro de loco quo accesserat. Sic quibus placet relicta omni spe sæculari, & omni actione terrena, conferre se in societatem sanctorum, in communem illam vitam, vbi non dicit aliquis aliquid proprium, Actor. 4. sed sunt illis omnia communia, & est illis anima vna, & cor vnum in Deum: quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille qui non intrauit. Ille enim nondum accessit: iste retro respexit. *Atqui eodem etiam modo, qui de peccatis suis indulgentiam accepit, & non perseuerat in dolore pœnitentiæ, sed ad solita peccata redit, retro respicere, & ad noua debita contrahenda redire dicendus est. A quo tam horrendo, tamq; detestabili malo, precor te potentissime benignissimeq; Domine Deus, me indignum seruum tuum, tua immensa & immerita gratia aliquando ad te conuersum, semper auertere & præseruare digneris. desq; cũctis te sincerè quærentibus, & ex corde amantibus, vt toti iam à peccatis conuersi, & per digna pœnitentiæ opera tibi reconciliati, tuaq; paternæ correctionis flagellis in omni patientia & pietate exercitati consolidatiq;, nulla deinceps diaboli fraude decepti, aut humana tentatione præoccupati excidant à spe cælestis illius hæreditatis, quam in regno gloriæ tuæ quique boni Christifideles percipere & possidere desiderant, per eundem Christum Dominum nostrum, filium tuum, tibi coæternum, cui est laus & bonor in sæcula sæculorum, Amen.*

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM LIBRI DE PROSPERITATE ET ADVERSITATE HVIVS SAECVLI.

CAP. I.
Qvare Deus prosperitatibus huius seculi admisceat tribulationes & aduersitates.
2. Promissa Dei futura, per patientiam expectanda sunt; & eius flagella grato animo sustinenda.
3. Sunt qui benedicunt Dominũ, quando putant sibi bene esse, cùm & malè illis sit.
4. Quis benedicat Dominum in omni tempore.
5. Qua spe, etiam in rebus difficilioribus & tristibus, anima humana se erigere debeat ad laudandum Deum.
6. Quomodo anima, quæ inuitatur ad laudandum Deum, corpore præstantior sit.
7. Reuocatur infirma anima ab exterioribus in interiora, vt melius laudet Deum.
8. Deus nostris laudibus nec maior fit, nec melior: sed nos eius benedictione crescimus & proficimus.
9. Deus quare potissimùm sit laudandus.
10. Quomodo ex particulari distributione & ordinatione rerum, Deus sit laudandus.
11. Quomodo generaliter laudetur Deus in omnibus, & ab omnibus.
12. Laudis illius, quã Deo damus, merces debet esse ipse Deus.
13. Nemo excusari potest, quo minus laudare possit Deum.
14. Laudãt semper Deũ, qui bene viuunt: nunquam laudant, qui male viuunt.
15. Quomodo Deus laudetur in omni negotio & actione.
16. Anima humana quomodo tẽtatur prosperitate & aduersitate: & quare vtraque cauenda; ne Dei irritentur promissa.
17. Homo qui se dirigit ad volũtatem Dei, rectus est.
18. Voluntas Dei est quasi regula, ad quam humana volũtas, quæ est curua, est corrigenda & dirigenda.
19. De corde recto & non recto.
20. Quid intersit inter cor rectũ & prauum: & quomodo cor distortum recti tudini Dei collimiari non possit.
21. Recti corde qui sint, & non recti: & quomodo vtrique se habeant in diuinis actionibus & dispositionibus considerandis.
22. Epilogus præcedentium, quo ostenditur & rectorum & peruersorum retributio.
23 Qui murmurant contra Deũ, quòd malis parcat, multum mali sibiipsis faciunt: & propterea innocentes non sunt.
24. Idem & hîc probatur: & quomodo isti murmuratores nõ sint imitandi, ostenditur.
25. In qua re sancti fideles, cæli luminaribus similes sint.
26. Malis, qui hic florent, quare parcat Deus: & iustos quare flagellet.

27. *Instruuntur, qui propterea murmurant contra Deum, quòd mali floreant boni laborent.*

28. *Qui modò laborant dominabuntur postea, quando peccator, qui exiguo tempore floret, loco suo, quem nunc habet, excidet.*

29. *Praecedentium epilogus, quo etiam instruuntur quidam murmurantes contra Deum.*

30. *Quomodo, qui seipsos excusare volunt, dum aliquid mali patiuntur, vel Deum accusent, vel alios homines.*

31. *Bonus non murmuret contra Deũ, quòd malis parcat, in quos vindicabitur in fine.*

32. *Magna res est cognoscere, quomodo hîc mali floreant, & boni laborent: quamquæ profunda sit ista Dei cogitatio, quòd hoc fieri permittat ostenditur.*

33. *Prosperitas huius saeculi plus periculi habet, quam ipsa adversitas.*

34. *Terrena felicitas significatur in scripturis per sinistram: per dexteram verò aeternae vitae felicitas.*

35. *Quomodo sinistra dexterae nõ sit praeponenda declarat illa sententia: Sinistra eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.*

36. *Diversis modis volunt se homines benedici à Deo, qui indifferenter dat bona & mala temporalia, bonis & malis.*

37. *Sicut formica aestate sibi colligit quod comedat hieme: ita qui prudens & bonus est, providet sibi tempore prospero, ne deficiat in adverso.*

38. *Magnum bonum est, beatum esse; propter quod adipiscendum, & boni & mali faciunt quicquid faciunt.*

39. *Quale bonum sit, quod facit hominem verè beatum.*

40. *Quo amore Deus prae omnibus creaturis amandus sit.*

41. *Sicut fides amatur, licet non videatur, sic & Deus potest amari non visus: sed gratis, non ad mercedem, amandus est.*

42. *Quid sit invocare Dominum: & qui eum non invocent, licet clament ad Deum.*

43. *Dei exauditiones discernũtur: & quomodo quidã ad voluntatẽ, quidam ad salutẽ exaudiantur, exemplis ostenditur.*

44. *Non est murmurandum cõtra Deum, si quando negat quod ab illo petitur: ipse medicus est, & scit quid homini expediat.*

45. *Epilogus praecedentium, & huius libri conclusio.*

DE

DE PROSPERITATE ET ADVERSITATE HVIVS SAECVLI,

LIBER VNVS:

Ex ſcriptis D. Aurelij Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, contextus.

CAPVT I.

Quare Deus proſperitatibus huius ſæculi admiſceat tribulationes & aduerſitates.



MNIS anima infirma, in hac vita quærit ſibi aliquid terrenum, vbi requieſcat: quoniam intentionem laboris & mentis extentæ in Deum, difficile poteſt perpetuò tolerare; aliquid ſibi in terra conquirit, vbi requieſcat, & quodammodo pauſatione quadam recumbat; veluti ſunt iſta, quæ diligunt & innocentes. Neque enim de cupiditatibus malorum nunc loquendum eſt: quia multi acquieſcunt in theatris, multi acquieſcũt in circo, in amphitheatro; multi acquieſcunt in alea, multi in luxuria popinarum, multi in libidine adulteriorum, multi in violentiis rapinarum, multi in dolo & inſidiis fraudium: *multi in nouis erroribus ſpargendis, & defendendis*. Acquieſcunt in his omnibus homines. Quid eſt, acquieſcunt? Delectantur illic. Sed remoueamus hæc omnia: ad innocentem hominem veniamus. Acquieſcit in domo ſua, in familia ſua, in coniuge, in filiis, in paupertate, in prædiolo ſuo, in nouella manibus ſuis conſita, in ædificio aliquo, ſuo ſtudio fabricato. Acquieſcunt innocentes in his. Sed tamen Deus, volens nos amorem non habere, niſi vitæ æternæ, & iſtis velut innocentibus delectationibus miſcet amaritudines, vt & in his patiamur tribulationes. Non ergo cõqueratur quis, quando in his quæ innocenter habet, patitur aliquas tribulationes. Docetur amare meliora, per amaritudinem inferiorum: ne viator tendens ad patriam, ſtabulum amet pro domo ſua. ² Si enim ſemper Deus in iſtis proſperitatibus faueret nobis, vt omnia nobis abundarent, nullamq́ue in tempore iſto mortalitatis noſtræ, tribulationem, nullas preſſuras, anguſtiaſq́ue pateremur: non diceremus niſi iſta eſſe ſumma bona, quæ

præ-

¹ In Pſal. 40. in medio.

² In Pſal. 41. poſt princip. Vide Ser. 27. de verb. Domini

præstat Deus seruis suis; & maiora ab illo non desideraremus. Ideo autem huic vitæ malæ dulci miscet amaritudines tribulationum: vt alia quæ salubriter dulcis est, requiratur. 3 Quid ergo nō misericorditer præstatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio, *terrena felicitati admixta*, beneficium est? Nam res prospera, donum est consolantis: res autem aduersa, donum est admonentis Dei. 4 Si cessaret Deus, & non misceret amaritudines felicitatibus sæculi; obliuisceremur eum. Sed vbi angores molestiarum faciunt fluctus animæ; fides illa, quæ ibi dormiebat, excitatur. Trāquillum enim erat, quando dormiuit Christus in mari: illo dormiente, tempestas orta est: & cœperunt periclitari discipuli. Ergo in corde Christiano & tranquillitas erit, & pax; sed quamdiu vigilat fides nostra: si autem dormit fides nostra, periclitamur. Hoc enim significat dormiens Christus; quia quidā obliuiscuntur fidem suam, & periclitantur. Sed quomodo, illa nauis cùm fluctuaret, excitatus est Christus à fluctuantibus, & dicentibus: Domine, perimus (surrexit ille, imperauit tempestatibus, imperauit fluctibus, cessauit periculum, facta est tranquillitas:) sic & te, *ô homo Christiane*, cùm turbant concupiscentiæ malæ; persuasiones malæ, *tribulationes & angustiæ*; fluctus sunt: *sed si fides in te euigilauerit*; tranquillabuntur. Iam *in aduersitate* fluctuas, desperas, & putas te non pertinere ad Dominum: euigilet fides tua, excita Christum in corde tuo; surgente fide, iam agnoscis vbi sis. Et si fortè tentant fluctus concupiscentiæ: intueris quid promisit Deus; & dulcedo promissorum facit te contemptorem dulcedinum sæculi. Et si fortè multæ vrgent minæ potentium malorum, & ipsę te expellunt de iustitia; attēdis quod minatur Deus, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius; & non dimittis iustitiam. Timens ergo ignem sempiternum, contemnis dolores temporales, & pro eo quod promisit Deus, contemnis temporalem felicitatem. Promisit requiem; patere molestiam. Minatur ignem æternum; contemne dolores temporales.

3 Tom. 2. epist. 87.

4 In Psal. 93. ante finem.

Matth. 8.

Matth. 25.

CAP. II.

Promissa Dei futura, per patientiam expectanda sunt, & eius flagella grato animo sustinenda.

1 In Psal. 91. in initio.

1 MOdò ergo patientia necessaria est, quamdiu veniat quod promissum est. Nemo autem patiens est in bonis. Quando exigitur de homine patientia, in malis agit:
quando

quando dicitur, patiens esto, tolera, sustine; molestia est, sub qua re Deus vult esse fortem, tolerantem, longanimem, patientem. Sed nunquid decipit, qui promisit? Medicus exerit ferrum ad secanda vulnera, & dicit ei quem secturus est, patiens esto, sustine, tolera: in doloribus exigit patientiam; sed post dolores promittit salutem. Et ipse qui tolerat dolores in ferro medici, nisi sibi proponat sanitatem quam nondum habet; deficit in dolore quem patitur. Multa ergo mala sunt in isto sæculo: intus, foris, prorsus non cessant: abundant scandala, nemo illa sentit, nisi qui graditur viam Dei. Ei dicitur in omnibus diuinis paginis, vt toleret præsentia, speret futura: amet quem non videt, vt amplectatur cùm viderit. Charitas enim, 1. Cor. 13. quæ tertia nobis adiungitur ad fidem & ad spē, maior est supra fidem & spem: quia fides est rerum quæ non videntur; erunt autem species, cùm visæ fuerint: & spes rei est, quæ non tenetur; adueniente ipsa re, nō erit iam spes: quia tenebimus, non sperabimus. Charitas autem non nouit tunc crescere magis magisque. Si enim amamus, quem non videmus: quomodo amaturi sumus, cùm viderimus? desiderium ergo nostrum crescat. Christiani non sumus, nisi propter futurum sæculum. Nemo præsentia bona speret; nemo sibi promittat felicitatem mundi, quia Christianus est: sed vtatur felicitate præsenti, vt potest, quomodo potest, quando potest, quantum potest. Cùm adest, cōsolationi Dei gratias agat: cùm deest, iustitiæ Dei gratias agat. Vbique sit gratus; & patri emendāti, & flagellanti, & disciplinam danti gratus sit. Amat enim ille semper, siue blandiatur, siue minetur. [2] Si nō blādiretur, nulla esset exhortatio: si nō minaretur, nulla esset correctio. *Gratias autem illi, quod vtrobiq. nostra sit eruditio: quia & hinc, vt à peccatis recedamus, terremur: & illinc incitamur, vt cū gaudio Deū semper laudemus.* 2 In Psal. 144. ante medium

Cap. III.

Sunt qui benedicunt Dominum, quando putant sibi bene esse, cùm & malè illis sit.

1 QVàm verò multi sunt Christiani, qui solum tunc Deo gratias agunt, quando illis accidit lucrum? Hoc est *quod Psalmus habet, dicens Deo*: Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei; laudabit te, & dicet, Verè quia tu es Deus meus. Liberabit me, inquit, de carcere, & confitebor illi. Venit illi lucrum, & confitetur: venit hæreditas, confitetur: patitur damnum, blasphe- 1 In Psal. 48. conc 2. ante finem. Psalm. 48.

blasphemat. Qualis filius es? quia quando te, *qui amat te*, pater emendat, tunc tibi displicet? Non emendaret, nisi *tu illi* displiceres: aut si sic displiceres, vt odisset; non ille te emendaret. Gratias ergo age emendatori, vt accipias hæreditatem à Deo, qui te emendat. Erudiris enim, cùm emendaris. Sed multum emendat, quia magnum est, quod habes accipere. Nam si appendas quod emendaris, cum eo quod accepturus es: inuenies
2.Cor.4. quia nihil est quod emendaris. Apostolus Paulus hoc dicit: Etenim quod ad præsens est temporale, leue tribulationis nostræ, iuxta incredibilem modum, æternum gloriæ pōdus operatur in nobis. Sed quando? Non respicientibus, inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur: non quæ sunt temporalia, sed quæ æterna. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem
Roman.8. non videntur, æterna. Et iterum: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quid est ergo quod pateris? Sed semper pateris. Concedo. Ex quo natus es, per omnes ætates tuas, vsque ad senectam tuam: quousque morieris, puta quia hoc pateris, quod est passus Iob. Quod ille passus est aliquot diebus, aliquis patiatur ab ipsa infantia. Quod pateris, transit, finitur: quod accepturus es, finem non habebit. Nolo iam æques pœnam cùm præmio temporali; æqua æternitati, si potes: & videbis, quia nihil est, quod emendaris. *Denique nec hoc magnum putes esse, si fortè dicatur de te quod & in prædicto Psalmo scriptum est de*
Psalm. 48. *homine nescio quo: Quoniam anima eius in vita ipsius benedicetur: tanquam epulando & potando* quamdiu vixit, bene sibi
a Ibidem sup. fecerit. a Hoc enim dicunt carnales omnes, sed falsò dicunt. Benedictio hæc est ab animo benedicentis, nō ab ipsa veritate. Quid enim dicis tu? Quia manducauit & bibit; quia fecit quod voluit, quoniam splendidè epulatus est, ideo tecum fecit bene? Ego dico, fecit tecum malè. Non ego dico, sed Christus;
Luc.16. fecit tecum malè. Etenim diues ille, quando quotidie epulabatur splendidè, bene secum facere putabatur: cum autem cœpit ardere apud inferos, tunc inuentum est malè, quod putabatur bene. Quod enim manducauerat apud superos, hoc digerebat apud inferos. Iniquitatem dico, quàm epulabatur. Manducabat pretiosas epulas ore carnis: ore cordis manducabat iniquitatem. Quod apud superos ore cordis manducabat, hoc apud inferos in illis suppliciis digerebat. Et quidem temporaliter manducauerat, in æternum malè digerebat. Fortè aliquis
dicit:

dicit: Quid est quod loquitur? manducatur iniquitas? Non ego dico; audi scripturam: Sicut vua acerba dentibus vexatio Prou. 10.
est,& fumus oculis: sic iniquitas vtentibus ea. Qui manducauerit enim iniquitatem, id est, qui libenter habuerit iniquitatem, non poterit manducare iustitiam. Panis enim iustitia est. Quis est panis? Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Ioan. 6.
Ipse est panis cordis nostri. Quomodo qui manducat ore corporis vuas acerbas, obrigescunt & obstupescunt dentes eius, & minus idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare, quod videt se manducare non posse: sic & qui iniquitate vsus est, & pastus peccatis in corde, incipit non posse manducare panem; laudat verbum Dei, & non facit. Vnde non facit? Quia cùm cœperit facere, laborat; quomodo sentimus laborare detes post vuas acerbas, cùm cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi, quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam, & incumbunt pani. Sic & nos laudemus iustitiam. Sed si nos volumus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus; & nascetur in corde non solùm delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi. Nam si tu dicis, Christiane, Deus nouit quia delectat me, sed non possum facere: quassatos dentes habes. Quare? Quia Ibidem inf.
momordisti panem, & dolent dentes. Quando videbas ipsum panem, laudabas: cœpisti manducare, & dolent dentes: id est, quando audiebas sermonem Dei, collaudabas: cùm tibi dicitur, fac hoc, blasphemas. Noli sic velle. Hoc dic, Bonus est panis; sed ego non possum illum manducare. Nunc autem si oculis vides, laudas. cùm cœperis dentes premere, dicis, Malus est panis iste. Et qualis est ille, qui illum fecit? Ita fit, vt confitearis Deum, quando tibi bene fecit Deus; & mentiaris, quando cantas, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius Psalm. 33.
in ore meo. Exigitur de corde tuo cantatio labiorum tuorum. Cantasti in Ecclesia, Benedicam Dominum in omni tempore. Quomodo in omni tempore? Si omni tempore lucrum, omni tempore benedicetur. Si aliquando est damnum, non benedicitur, sed blasphematur. Certè, quia non benedicis in omni tempore; certè, quia non semper laus eius in ore tuo est; eris talis, qualem modò Psalmus descripsit, Confitebitur tibi, cùm Psalm. 48.
benefeceris ei.

CAP.

CAP. IIII.

Quis benedicat Dominum in omni tempore.

1 In Psal. 33. conc. 2. in princip.

1 QVis est autem qui benedicit Dominum in omni tempore, nisi humilis corde? Esto humilis, si vis benedicere Dominum in omni tempore,& semper laus eius sit in ore tuo: quia Iob non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia,quibus eum legimus diuitem fuisse,& felicem; & pecore,& seruis, & domo; felicem filiis & omnibus rebus. Ablata sunt omnia vno tempore, & impleuit quod in Psalmo scriptum est, dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factũ est: sit nomen Domini benedictum. Ecce habes exemplum benedicentis Dominum in omni tempore. Quare autem benedicit Dominum homo in omni tempore? Quia humilis est. Quid est esse humilem? Nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est. Qui superbus non est, humilis est. Non vis ergo esse superbus; vt possis esse humilis, dic quod dictum est: 2 Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quod est autem in omni tẽpore, hoc est, semper. Et quod est benedicam; hoc est laus eius in ore meo. Omni tẽpore,& semper, siue in prosperis siue in aduersis. Nã si in prosperis,& non in aduersis, quomodo omni tempore? quomodo semper? Exaudiuimus multas multorum tales voces, quando illis prouenit aliqua felicitas, exultant, gaudent, cantant Deo, laudant Deum; non sunt improbandi; imo gaudendum est illis, quia sunt multi. Sed isti qui iam Deum laudare ex prosperitatis parte cœperunt, docendi sunt patrem agnoscere & flagellantem, nec *in terrena aduersitate* murmurare aduersus corrigentis manum, ne semper praui *& superbi* remanẽtes, exhæredari mereantur. 3 Est enim quædam terrena prosperitas; est quædam terrena aduersitas: & ex vtraque laudandus est Deus. Quæ est terrena prosperitas? Cùm sani sumus secundum carnem, cùm abundant omnia quibus viuimus, cùm incolumitas nostra seruatur, cùm fructus largi proueniunt, cùm Deus solem suum oriri facit super bonos & malos,& pluit super iustos & iniustos. Hæc omnia ad vitam terrenam pertinent. Quisquis inde non laudat Deum, ingratus est, *superbus est*. Nunquid quia terrena, ideo non Dei sunt? Aut ideo alter ea dare cogitandus est, quia dantur & malis? Multiplex est enim misericordia Dei, patiens est, & longa-

Iob 1.

2 In Psal. 33. conc. 1. post principium.

3 Ibidem ante medium.

Matth. 5.

longanimis. Inde magis significat, quid seruet bonis, cùm ostendit quanta donet & malis. Aduersitates sunt autem de fragilitate generis humani, in doloribus, in languoribus, in pressuris, in tribulationibus, in tentationibus. Sed vbique laudet Deum, qui *non superbus, sed gratus, & humilis est*. Non attendat quia ista inferiora sunt; sed quia regi & gubernari nō possunt, nisi ab illa sapientia, quæ attingit à fine vsq; ad finem Sapien. 8. fortiter, & disponit omnia suauiter. Non enim cælestia regit, & terrena deserit: aut illi non dicitur, Quò ibo à spiritu tuo, & Psalm. 138. à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades: Vbi ergo deest, qui nusquam non est? Siue ergo tibi abundet terrenum aliquid, gratias age illi qui dedit: siue tibi desit, siue fortè damno tibi auferatur aliquid; securus *lauda Dominum*. Non est enim ille tibi ablatus, qui dedit, quamuis tibi ablatum fuerit, quod dedit.

CAP. V.

Qua spe, etiam in rebus difficilioribus & tristibus, anima humana se erigere debeat ad laudandum Deum.

1 QVapropter tota meditatio præsentis vitæ nostræ, in laude [1] In Psal. 148. in initio. Dei esse debet: quia exultatio sempiterna futuræ nostræ vitæ, laus Dei erit. Et nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui se ad illam modò non exercuerit. Modò ergo non solùm laudamus Deum; sed & rogamus Deum. Laus nostra lætitiam habet: oratio gemitum. Promissum est enim nobis aliquid, quod nondum habemus: & quia verax est, qui promisit, in spe gaudemus: quia tamen nondum habemus, peregrinantes in desiderio gemimus. Bonum est nobis perseuerare in desiderio, donec veniat quod promissum est: & transeat gemitus, & succedat sola laudatio. Interea [2] deliciæ spiritus nostri, diuina [2] In Psal. 45. in initio. sunt Cantica, vbi & fletus sine gaudio non est. Fideli homini & peregrino in sæculo, nulla est iocundior recordatio, quàm ciuitatis illius vnde peregrinatur. Sed recordatio ciuitatis in peregrinatione, non est sine dolore atque suspirio. Spes tamen reditus nostri certa, etiam peregrinando tristes consolatur, & exhortatur. Rapiant *proinde* cor nostrum verba Dei; & possessor noster vendicet sibi possessionem suam, id est, mentes nostras, ne auertantur in aliud. Vnusquisque nostrum totus hîc sit, vt hîc non sit; id est, totus sit in verbo Dei, quod sonat in

terra, *quod fructificat in Ecclesia*: vt ab eo exaltetur, & nõ sit in terra. Ideo enim Deus nobiscum est, vt & nos simus cum illo. Qui enim,vt nobiscum esset, descẽdit ad nos; facit vt cum illo possimus ascendere ad se. Interim ipse peregrinationẽ nostrã non fastidiuit, quia nusquam est peregrinus, qui condidit omnia. Ecce Psalmus *quidam diuinus* sonat, in quo cuiusdam vox est, quæ, si vis, tua est; exhortãtis animam suam ad laudandum
Psalm. 145. Deum, & dicentis sibi, Lauda anima mea Dominum. Aliquando enim in tribulationibus atque in tentationibus præsentis vitæ, velis nolis, conturbatur humana anima, cuius perturba-
Psalm. 41. tionem in alio Psalmo alloquitur, dicens: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Vt autem auferat ei eandem perturbationem, suggerit gaudium, nondum de re, sed de spe; & ait illi perturbatæ & anxiæ, tristi & mœrenti, Spera in Dominum, quoniam adhuc confitebor illi. Spe qua se erexit, & in confessione constituit, quasi diceret ei anima sua, quæ illum tristitia conturbabat. Quid mihi dicis; Spera in Deũ? Reuocat me conscientia peccatorum. Ego noui quæ commisi; & dicitur, Spera in Dominũ? Commisisti; verum est. Vnde tamen speras? Quoniam confitebor illi. Sicut odit Deus peccata sua defendentem: sic subleuat confitentem. Hac ergo spe accepta, quæ spes non potest esse sine gaudio, quamuis in rebus simus difficilibus, secundum istam vitam, & plenis procellarum & tempestatum: hac tamen spe erecta anima, quia gaudet
Rom. 12. in spe; sicut dicit Apostolus; Spe gaudentes, in tribulatione patientes: accipit erectionem quandam in Deum, vt laudet
Psal. 145. Deum: & dicitur ei, Lauda anima mea Dominum. Sed quis dicit? Et cui dicit? Quid dicimus? Caro dicit, Lauda anima mea Dominum? Et potest caro bonum consiliũ animæ suggerere? Vt multum sit edomita caro, & à Domino impertitis viribus, nostræ seruituti subiecta; vt omnino ita seruiat nobis, sicut conditionale mancipium; sufficit, vt *consilium bonum quod dare non potest*, non impediat.

CAP. VI.

Quomodo anima, quæ inuitatur ad laudandum Deum, corpore præstantior sit.

1 Ibidem immediatè. 1 DEnique, vbique consilia à melioribus petuntur. Et si bonum quiddam est anima nostra; vtique & bonum quiddam est caro nostra, quia vtrumque ille creauit, qui fecit omnia

omnia bona valde? Quāuis ergo in generibus propriis vtrumque sit bonum, tamen dicit Apostolus, Corpus quidem mortuum est propter peccatum: in cuius redemptione, spe gaudemus, dicente eodem Apostolo, In nobismetipsis ingemiscimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis nostri. Quamuis ergo bonum aliquod sit corpus nostrum, tamen quamdiu mortale, propter peccatum; quamdiu indigens, quamdiu corruptibile, quamdiu ita mutabile, vt ne pūcto quidem temporis consistat in se: proculdubio tale est, vt optemus redemptionem illius, qua sit aliquando non tale. Sed quale erit aliquando? Quale idem Apostolus dicit alio loco, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Sed etiam cùm fuerit tale corpus nostrum, corpus iam cæleste & spiritale, corpus angelicum in societate angelorum; nec sic dabit consilium animæ. Semper enim corpus, quoniam corpus est, infra animam est: & quæuis anima vilis, excellentissimo corpore excellentior inuenitur. Nec hoc quasi mirabile videatur: quia & vilis anima quælibet peccatrix, melior est quolibet magno & præstantissimo corpore. Non est melior meritis, sed natura. Est quidem anima peccatrix, est quibusdā cōcupiscentiarum sordibus inquinata: tamen melius est, etsi sordidum aurum, quàm purgatissimum plumbum. Ita currat animus per cunctas creaturas, & videbit, quod dicimus, non esse incredibile: vt quamuis anima vituperabilis, sit tamen laudabilior corpore. Duo quædam sunt, anima & corpus. Animam vitupero, corpus laudo; Animam vitupero, quia iniqua est: corpus laudo, quia sanum est. Tamen in suo genere animam laudo, vel in suo genere animam culpo: & in suo genere corpus laudo, vel culpo. Si à me interroges, quid sit melius: vtrum quod vituperaui, an quod laudaui: mirabilem responsionē recepturus es. Ego certè illud vituperaui, & ego hoc laudaui. Interrogatus tamen quid sit melius; respondeo esse melius quod vituperaui, eo quòd laudaui. Si miraris in his duobus, attende illa duo in promptu posita, quæ commemoraui de auro & plumbo. Ecce vituperaui aurum, non bonum aurum; sordidum est, non ita fulget, non ita purgatum est: hoc plumbum optimum, nihil eo purgatius. Illud vituperaui, hoc laudaui; & posui ante te vtrumque: vituperans vnum, laudans aliud. Post hanc vituperationem, laudationemq́ue meā, interroga me, quid horū sit melius: respondebo,

Rom. 5.

Ibidem.

1 Cor. 15.

Aurum melius est etiam sordidum, quàm plumbũ purgatum. Vnde melius? Et quare vituperasti? Quare vituperaui? Quia nondum est aurum, quod potest esse. Quid potest esse? purgatum & melius. Quia nondum purgatum est, vituperatum est. Plumbum quare laudatum est? quia iam purgatum est, ita vt melius esse non possit. Item dicis mihi equum optimum, & hominem pessimum: tamen equo laudato præponis hominem vituperatum. Si enim interrogêtis, ex his duobus quid sit melius, responsurus es, homo: non meritis, sed natura. In artibus dicis optimum sutorem (verbi gratia) & reprehendis aliquem iurisperitum, quod multas leges ignoret. Sutorem laudasti, iurisperitum reprehendisti. Ex his tamen duobus, quære, quis sit melior. Imperitior Iurisperitus perfecto sutori præponitur. Ita multis rebus laudatis, aliisque vituperatis, interrogati, plerumque res vituperatas præponimus rebus laudatis. Natura itaque animæ, præstantior est, quàm natura corporis: excellit multum; res spiritalis est, res incorporea est, vicina est substantiæ Dei. Inuisibile quiddam est, regit corpus, mouet membra, dirigit sensus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines. Et quis est tandem, qui sufficiat laudibus animæ? Et si in animæ laudibus deficitur; quæ laus est eius qui animam condidit? Et tamen tanta est eius gratia, vt dicat homo iste, Lauda anima mea Dominum. Quis potest laudare Deum? Si diceret, Teipsam lauda, fortasse deficeret. Lauda, inquit, Deum. Conare pietatis affectu, deficies in laudibus eius. Expedit tibi deficere laudando Deum, quàm proficere laudando te. Cùm enim laudas Deum, non explicas quod vis: extenditur in interiora cogitatio tua; ipsa extensio capaciorem te facit eius quem laudas.

Psalm. 145.

CAP. VII.

Reuocatur infirma anima ab exterioribus in interiora, vt melius laudet Deum.

a Ibidem immediate.

1 QVis ergo est, vt dicere cœperam, qui dicit: Lauda anima mea Dominum? Caro non dicit. Sit licet corpus angelicum, inferius est quàm anima: superiori consilium dare non potest. Infelix est ipsa anima, si à corpore expectet consilium. Caro bene obediens, famula est animæ. Illa regit, hæc regitur. Illa imperat; ista famulatur. Quando potest caro dare

hoc

hoc consilium animæ? Quis est ergo, qui dicit, Lauda anima mea Dominum? Nihil inuenimus amplius in homine, quàm carnem & animam. Totus homo hoc est, spiritus & caro. An fortè ipsa anima sibi dicit, & sibi quodammodo imperat, & se exhortatur atque excitat? Quibusdam enim perturbationibus ex quadam sui parte fluitabat; ex quadam verò parte, quam vocant rationalem illam, qua cogitat sapientiam, inhærens Domino iam, & suspirans in illum; animaduertit quasdam suas infirmiores partes perturbari motibus sæcularibus, & cupiditate quadam terrenorum desideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum: reuocat se ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora, & dicit, Lauda anima mea Dominum. Quid tibi placet in sæculo? Quid est, quod vis laudare? quid est, quod vis amare? Quocunque corporeis sensibus conuerteris; occurrit tibi cælũ, occurrit tibi terra. Quod amas in terra, terrenum est: quicquid amas & in cælo, corporeum est. Vbique amas, & vbique laudas. Quomodo laudandus est ille qui fecit quæ laudas? Iam ergo, ô anima, diu occupata vixisti, & desideriorum diuersitate verberata, portas plagas saucia, diuisa per amores multos, vbique inquieta, nusquã secura. Colligere ad teipsam; quicquid tibi foris placebat, quære quem habeat autorem. Nihil melius in terra (verbi gratia) quàm hoc & illud: aurum, argẽtum, animalia, arbores, amœnitates: totam terram cogita. Quid melius in cælo, sole, luna, sideribus? Totum cælum cogita. Omnia ista simul bona valde. Vndique occurrit pulchritudo operis, quæ tibi commendat artificem. Miraris fabricam; ama fabricatorem. Non occuperis in eo quod factum est, & recedas ab illo qui fecit. Si hærebis superiori, calcabis inferiora: si autem recedas à superiori, ista tibi in supplicium conuertentur. Sic enim factum est. Accepit homo corpus tanquam in famulatum; Deum autem Dominum habens, corpus seruum: habens supra se conditorem; infra se, quod sub illo conditum est. In medio quodam loco, rationalis anima constituta, legem accepit, hærere superiori, regere inferiorem. Regere non potest inferiorem, nisi regatur à meliore. Trahitur ab inferiore, deseruit ergo meliorem. Non potest regere quod regebat: quia regi noluit à quo regebatur. Modò ergo redeat, laudet: consilium sibi det ex luce Dei ipsa anima per rationalem mentem, vnde cõcipit consilium fixum in æternitate auctoris sui. Legit ibi quiddam tremendum,

laudandum, amandum, desiderandum & appetendum. Nondum tenet, nōdum capit; coruscatione quadam perstringitur: non est tam valida, vt maneat ibi. Itaque ad sanitatem se colligit quandam, & dicit, Lauda anima mea Dominum. Et quid est? Nónne laudamus Dominum? Nónne quotidie hymnum nos cantamus? Nónne quotidie pro modulo nostro sonat os nostrum, parturit cor nostrum laudes Dei? Et quid est quod laudamus? Magnum est quod laudamus: sed quo laudamus, adhuc infirmum est. Quando implet laudator excellentiam laudati? Ecce homo stat, cantat Deo aliquanto prolixius, & sæpe labia mouentur ad cantum, cogitatio autem, nescio per quæ desideria volat. Stabat ergo aliquando mens nostra quodammodo ad laudem Dei, & anima nostra per diuersas cupiditates, vel curas negotiorum, hac atque illac fluitabat. Sed quasi desuper attendit ipsa mens ad fluitantem hac atque illac, & eius inquietudinem molestiarum, quasi conuersa alloquitur, Lauda anima mea Dominum. Quid est, quod de aliis rebus satagis? Quid est, quod te occupat cura rerum terrenarum atque mortalium? Sta mecum; Lauda Dominum. Respondet anima, Laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter: Quare? Quia quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino.
2 Cor. 5. Quare sic laudas Dominum, non perfectè, non stabiliter? In-
Sapient. 8. terroga scripturam: Quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Tolle mihi corpus, quod aggrauat animam; & perfectiùs laudabo Dominum. Tolle mihi terrenam habitationem, deprimentem sensum multa cogitantem, vt à multis in vnum confluam: & stabiliùs laudabo Dominum. Quamdiu autem ita sum, non possum; prægrauor. *Ecce tanta carnis nostræ infirmitas est, vt cùm mente simul & ore, ad maiorem Dei gloriam,*
Psalm. 49. *ipsi laudis sacrificiū, quo se in Psalmo pronunciauit honorificari; offerre volumus: non id præstare, nisi valde imperfectè possimus.*

CAP. VIII.

Deus nostris laudibus nec maior fit, nec melior: sed nos eius benedictione crescimus, & proficimus.

1 In Psal. 59. ante medium 1 ET quid? Maior gloria erit Deo, quia glorificamus eum? Aut addimus gloriam Deo, quando ei dicimus, Glorifico te Deus meus? aut sanctiorem eum facimus, quando dicimus, Bene-

Benedico te Deus meus? Ipse quando nos benedicit, facit nos sanctiores, facit nos feliciores: quando nos glorificat, facit nos gloriosiores, facit nos honoratiores: quãdo eum glorificamus, nobis prodest, non illi. Quomodo enim eum glorificamus? Gloriosum dicendo, non faciendo. Proinde, quid ibi secutus ait, cùm diceret: Sacrificium laudis honorificauit me? Ne putares te aliquid præstare Deo, offerendo illi sacrificium laudis, Et ibi est via, inquit, vbi ostendam illi salutare meum. Vides quia tibi proderit laudare Deum, non Deo? Si laudas Deum, ambulas *salutis* viam: si reprehendis Deum, perdidisti viam. *Et qui viam perdidit, perdidit & profectum: nam quomodo Deum laudet, non habet. Et qui non laudat, non proficit. Ergo* [1] laudari se vult Deus: & hoc vt tu proficias, non vt ille sublimetur. & quod exigit, nõ sibi, sed tibi exigit, tibi proderit, tibi seruatur. Non hoc à te amat, quod illum augeat, sed quod te ad illum perducat. Propterea etiam [3] cùm benedicit nos Deus, nos crescimus: & cùm nos benedicimus Dominum, crescimus: vtrumq. nobis prodest. Non augetur ille benedictione nostra; nec minuitur maledictione nostra. Qui maledicit Domino, ipse minuitur: qui benedicit Dominum, ipse augetur. Prior est in nobis benedictio Domini, & consequens est, vt & nos benedicamus Dominum. Illa pluuia, iste fructus est. Ergo redditur tanquam fructus agricolæ Deo, compluenti nos, & colenti. Apertissimè enim Deus pater dictus est agricola. Apostolus dicit: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. In rebus huius mundi visibilibus, vitis non est ædificium: & ædificium non est vinea: nos autem vinea Domini sumus, quia colit nos ad fructum. Aedificium Dei sumus, quia qui colit nos, habitat in nobis. Et quid ait idem Apostolus? Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: *tanquam si diceret: Benedictio Domini ideo est super nos, vt & nos benedicamus Dominum. Serui enim Dei, inquit, sumus. Et* [4] quid iustius? quid dignius? quid gratius? quàm vt serui benedicant & laudent Dominum suum. Etenim si non laudauerint serui Dominum; superbi, ingrati, irreligiosi erunt. Et quid faciunt nõ laudando Dominum, nisi vt seuerum sentiant Dominum? Neque enim seruus ingratus, si Dominum suũ laudare noluerit, ideo efficit, vt seruus non sit. Laudes, non laudes; seruus es. Sed si laudes, propitiabis: Si non laudes, offendis. Bona ergo exhortatio & vtilis, *vbi dicitur, Laudate serui Dominũ. Hoc enim* hortatur

Psalm. 49.
1 In Psal. 134. in initio.
3 In Psal 66. in principio
Ioan. 15.
1 Cor. 3.
Ibidem.
4 In Psal. 134. in initio.
Psalm. 134.

nos Psalmus, hortatur nos Propheta, hortatur nos Spiritus Dei, hortatur postremò nos ipse Dominus, vt *nos eius serui* laudemus Dominum. Non enim laudibus nostris ille crescit, sed nos: Deus nec melior fit, si laudaueris; nec deterior, si vituperaueris: sed tu laudando bonum, melior eris; vituperando, deterior. Bonus autem ille manet, vt est. Si enim seruos suos ipsos bene de se meritos, prædicatores verbi sui, rectores Ecclesiæ suæ, veneratores nominis sui, obtemperatores mandati sui docet, vt in conscientia sua habeant dulcedinem bonæ vitæ suæ, ne corrumpantur laudibus, ne frangantur vituperationibus hominum: quanto magis ipse incommutabilis super omnia, qui hæc docet, non vtique maior fit, si laudaueris, nec minor, si vituperaueris? Sed quoniam nobis expedit laudare Dominum, misericorditer iubet vt laudemus eum, non arroganter. Audiamus ergo quid dicit: Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum. Tanquam si diceret: Non aliquid incongruum facitis, laudando serui Dominum. Et si semper tantummodo serui essetis, deberetis laudare Dominum: quanto magis debetis laudare Dominum serui, vt esse mereamini & filij?

CAP. IX.

Deus quare potißimùm sit laudandus.

e Ibidem inf. Porrò [e] quid dicturus sum, quare eum laudetis? Hoc Psalmus iste indicat, qui dicit, Quoniam bonus Dominus. Breuiter enim hîc vno verbo explicata est laus Domini Dei nostri. Bonus Dominus; sed bonus, non vt sunt bona, quæ fecit. Nam fecit Deus omnia bona valde: non tantum bona, sed & valde. Cælum & terram, & omnia quę in eis sunt, bona fecit, & valde bona fecit. Si hæc omnia bona fecit; qualis est ille, qui fecit? Et tamen cùm bona fecerit, multoque sit melior, qui fecit, quàm ista, quæ fecit: non inuenies melius, quod de illo dicas, nisi quia bonus est Dominus: si tamen intelligas propriè bonum, à quo sunt cætera bona. Omnia enim bona ipse fecit: ipse est bonus, quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono. Ille à seipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono. Mihi autem adhærere Deo bonum est; qui non eguit à quò fieret bonus, sed eguerunt illo cætera, vt fierent bona. Vis audire quàm singulariter ille sit bonus? Dominus interrogatus dixit, Nemo bonus, nisi vnus Deus.

Genes. 1. Psalm 72. Marci 10.

Hanç

Hanc singularitatem bonitatis eius, & preterire breuiter nolo, & commendare congruè non sufficio. Metuo, ne si hinc citò transiero, ego ingratus inueniar. Item metuo, ne hoc cùm explicandum suscepero, sub tanta laudis dominicæ sarcina defatiger. Sic tamen accipiat me, *quisquis hæc legerit*, & laudantem, & non sufficientem; vt etiam si non impleatur illius laudis explicatio, acceptetur laudatoris deuotio. Approbet me voluisse, ignoscat non impleuisse. Ineffabili dulcedine teneor, cùm audio, Bonus Dominus: consideratisque omnibus & collustratis, quæ forinsecus video, quoniam ab ipso sunt omnia, etiam cùm mihi hæc placent, ad illum redeo, à quo sunt, vt intelligam, quoniã bonus est Dominus, rursum, cùm ad illum, quantum possum, ingressus fuero; interiorem mihi & superiorem inuenio: quia sic bonus est Dominus, vt istis nõ indigeat, quo sit bonus. Denique ista non laudo, sine illo: illum autem sine istis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem, quo augeatur; nullius malum timentem, quo minuatur, inuenio. Et quid dicam amplius? Inuenio in creatura cælum bonum, solem bonum, lunam bonam, stellas bonas, terram bonam, quæ gignuntur in terra, & radicibus nixa sunt, bona: quæ ambulant, & mouentur, bona; quæ volitant in aere, & natant in aquis, bona. Dico & hominem bonum. Homo enim bonus, de bono thesauro cordis sui profert bonum. Dico & angelum bonum, qui non est lapsus superbia, & diabolus factus non est, sed inhæret obediendo ei, à quo factus est. Omnia ista dico bona; sed tamen cùm suis nominibus, cælum bonum, angelum bonum, hominem bonum. Ad Deum autem cùm me refero, puto melius nihil dicere, quàm bonum. Ipse quippe Dominus noster Iesus Christus dixit; Homo bonus; & ipse item dixit, Nemo bonus, nisi solus Deus. Nónne stimulauit nos ad inquirendum, & ad distinguendum quid sit bonum, & alio bono bonum; & bonũ seipso bonum? Quàm ergo bonum est, à quo sunt omnia bona? Omnino nullum inuenias bonum, quod non ab illo sit bonum. Bonum bonum faciens, sicuti est propriè; sic & bonum est propriè. [1] Cogita nunc & vide, quoniam quicquid aliud laudas, ideo laudas, quia bonum est. Insanit qui laudat quod non est bonum. Si laudes iniquum, eo ipso quod iniquus est: nónne & tu iniquus eris? Si laudes furem, eo ipso quod fur est; nónne & tu particeps eris? Si laudes iustum in eo ipso, quod iustus est:

Matth. 12.

1 Ibidem inf.

nónne & tu habes in te partem, laudando? Non enim laudares iustum, nisi amares: non amares, si nihil inde haberes. Si ergo quicquid aliud laudamus, ideo laudamus quia bonum est: nulla tibi maior causa, & melior, & firmior dari potuit, quare laudes Deum, nisi quia bonus est. Quādiu dicamus eius bonitatem? Quis corde concipiat aut complectatur, quàm bonus sit Dominus? Sed ad nos redeamus, & in nobis illum agnoscamus, & in operibus eius mirabilibus, mirabilem artificem laudemus: quia ipsum contemplari idonei non sumus. Et si contemplari idonei aliquando erimus, cùm fuerit mundatum cor nostrum fide, vt postremò gaudeat veritate: nunc, quoniam ipse à nobis videri non potest, opera eius videamus, ne sine laude eius remaneamus.

Cap. X.

Quomodo ex particulari distributione & ordinatione rerum, Deus sit laudandus.

1 MVlti stulti, non valentes contemplari, & discernere creaturam locis suis, & ordine suo, sub nutu Dei & iussu agentem motus suos, *a non Deum laudant, sed reprehendunt. Nam* visum est illis, quia superiora omnia Deus gubernat; inferiora verò despicit, abiicit, deserit; vt nec curet ista, nec regat: sed casibus regantur, quomodo possunt, qua possunt; & mouent illos, qui dicunt aliquando sibi, sed non dicāt tibi, id est, ne audiendo tu consentias, quando ista dicunt, (blasphema enim sunt, & execrabilia Deo:) Si Deus plueret, nunquid plueret in mari? Qualis, inquiunt, prouidentia? Getulia sitit, & mare compluitur. Acutè sibi videntur tractare. Quibus dicendum est hoc: Getulia sitit, ne tu sitires. Bonum enim erat, si diceres bono Deo: Anima mea velut terra sine aqua tibi: quod alio loco apertè dicitur: Sitiuit tibi anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea. Et Dominus in euangelio: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabūtur. Iste enim iam saturatus est, qui talia disputat, & quasi sibi doctus videtur; nec vult discere, ideo non sitit. Nam si sitiret, vellet discere: & inueniret quod totū Dei prouidentia sit in terra, & *eam laudans*, miraretur disposita etiam membra pulicis. Attende: quis disposuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem suum; habeant vitam suam; habeant motum suum. Vnam bestiolam breuem, minutissimam considera, quam volueris.

a In Psal. 148. in medio.

Psalm. 142.

Psal. 62.

Matth. 5.

lueris. Si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ, qua mouetur; pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat molestias, exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quàm tenuis fistula est, qua sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expauescis in minimis, lauda magnum. Hoc itaque tene: nemo te de fide excutiat, & de sana doctrina. Qui fecit in cælo angelum, ipse fecit in terra vermiculum: sed angelum in cælo pro habitatione cælesti: vermiculum in terra, pro habitatione terrestri. Nunquid angelum fecit repere in cœno, & vermiculum in cælo? Distribuit sedibus habitatores: incorruptionem incorruptis sedibus dedit: corruptibilia corruptibilibus locis. Totum attende, totum lauda. Qui ergo disposuit membra vermiculi, non gubernat nubes? Et quare in mare pluit? Quasi in mari non sint quæ alantur pluuia: quasi non ibi fecit pisces: quasi ibi non fecit animalia. Attende quomodo currunt pisces ad aquam dulcem. Et quare, inquit, pisci pluit, & mihi non pluit aliquando? Vt cogites te in regione esse deserti, & in peregrinatione vitæ: vt amarescat tibi vita præsens, vt futuram desideres; aut vt flagelleris, & corripiaris, & corrigaris. Quomodo autem distribuit propria regionum. Ecce, quia de Getulia locuti sumus; pluit hîc in Africa propè Deus omni anno; & omni anno dat frumentum. Seruari hîc frumentum non potest: citò corrumpitur, quia omni anno datur. Ibi, quia raró; & multum datur, & diu seruatur. Sed fortè putas, quia ibi bonus Deus deserat homines: aut non ibi secundum iocunditatem suam, & laudant & glorificant Deum. Apprehende inde Getulum; pone inter istas arbores amænas: fugere hinc vult, & redire ad nuda Getulia. Omnibus ergo locis Deus, regionibus, temporibus, sua quæque distribuit & ordinauit. Et longum est commemorare diligentiorem considerationem omnium rerum. Quis illam explicat? Tamen qui oculos habent, multa ibi vident. Cùm viderint; placent; cùm placuerint; laudantur, non tanquam ipsa, sed ille qui *verbo suo* fecit. Non tibi ergo videantur casibus moueri, quæ verbo Dei in omni motu suo deseruiunt. Quó vult Deus, illuc lucet ignis: illuc fertur nubes, siue pluuiam, siue niuem, siue grandinem portet. Et quare aliquando percutiunt montem fulmina, & non percutiunt latronem? Quodcunque possum dicere pro captu mētis meæ,

quan-

quantum Deus donare dignatur: maiores maiora nouerint,& amplius intelligant: & det illis Deus plus sapere quàm dico, tamen cum temperantia, sine superbia. Possum ergo pro modulo meo dicere, quare fulmina percutiant montem, & non percutiant latronem: quia fortè adhuc latronis conuersionem Deus quærit: & ideo percutitur mons, quia non timet, vt mutetur homo, qui timet aliquando. Et tu cùm das disciplinam, terram feris, vt infans expauescat. Et aliquando Deus ferit, & quem vult hominem. Sed dicis mihi: Ecce cædit innocentiorem, & dimittit sceleratiorem. Noli mirari. Vndecumque mors pio, bona est. Vnde autem scis, illi sceleratiori si se mutare noluerit, quid pœnarum in occulto seruetur? Nónne mallent fulmine incendij potius interire, quibus in fine dice-
Matth.25. tur, Ite in ignem æternum? Opus est, vt innocens sis. Quid enim? Malum est mori naufragio; & bonum est mori febre? Siue inde, siue inde moriatur, quære qualis sit qui moritur; quò post mortem iturus est, non vnde de vita exiturus; quacunque occasione hinc exituri sumus. Quibus exitibus martyres exire meruerunt? Nunquid febribus? Quomodo multi optant, vt febribus soluantur? Alij vno ictu gladij, alij ignibus, alij bestiis. Et deuorauerunt bestiæ corpora martyrum, & non timuerunt ne perirent corpora ipsorum. Vndecunque enim
Luc.21. Deus reducet corpora sanctorum suorum, cui capilli capitis nostri numerati sunt. Et quando voluit, tres pueros ab igne li-
Daniel 3. berauit. Nunquid ideo Machabæos in igne deseruit? Illos
2. Machab.7. apertè liberauit: istos occultè coronauit. Nouit igitur Deus, quid agat. Tu time, & bonus esto. Vndecunque voluerit, vt exeas hinc, paratum te inueniat. Inquilinus enim es, non possessor domus. Locata est enim tibi domus. Domus ista tibi locata est, non donata, & si nolis, migrabis: & non eam tali conditione accepisti, vt quasi tempora certa tibi sint. Quid dixit Dominus Deus tuus? Quando voluero, cùm dixero, Migra, paratus esto. Expello te de hospitio; sed dabo domum. Inquilinus es in terra, eris possessor in cælo. Quicquid ergo hîc accidit contra voluntatem nostram, nouerimus non accidere, nisi de voluntate Dei, & de prouidentia ipsius; de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: & si nos non intelligimus, quid quare fiat; demus hoc prouidentiæ ipsius, quia non fit sine causa: & non blasphemabimus. Cùm enim cœperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud; & non debuit sic
facere,

facere, malè fecit hoc; vbi est laus Dei? Proinde omnia sic considera, quomodo placeas Deo, & laudes artificem. Quasi si intrares in officinam fortè fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem, nescientem quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Nō sine causa hoc loco folles positi sunt. Artifex nouit, quare; etsi ego non noui. In officina non audet vituperare fabrū; & audet reprehendere in hoc mundo Deum, *quem laudant cætera creata omnia*? [a] Clamat cælum Deo, Tu me fecisti, non ego. Clamat terra, Tu me condidisti, non ego. Quomodo ergo clamant ista? Quando considerantur, & hoc inuenitur; ex tua consideratione clamant, ex voce tua clamant. Attende cælum, pulchrum est: attende terram, pulchra est: vtrumque simul valde pulchrum est. Ipse fecit, ipse regit, ipsius nutu gubernātur: ipse traiicit tempora, momenta ipse instaurat, per seipsum instaurat. Omnia ergo ista laudant illum, siue in statu, siue in motu, siue de terra deorsum, siue de cælo sursum, siue in vetustate, siue in renouatione, *si tu ista considerando, & penitius contemplando, laudaueris omnium conditorem & Dominum*. a Ibidē infra.

Cap. XI.

Quomodo generaliter laudetur Deus in omnibus, & ab omnibus.

1 SEd planè sunt quædam, quæ habent spiritum laudandi Deum in eo affectu, quo eis placet Deus. Nemo enim laudat, nisi quod ei placet. Sunt autem quæ spiritum & intellectum ad laudandum Deum nō habent: sed quia & ipsa bona sunt, & in ordine suo integrè disposita sunt; & ad pulchritudinem vniuersitatis referuntur, quam condidit Deus: ipsa quidem per se voce sua, & corde suo non laudant Deum; sed cùm ab intelligentibus considerantur, *sicut iam dictum est*, per ipsa laudatur Deus: & cùm per ipsa laudatur Deus, quodammodo & ipsa laudant Deum. Verbi gratia: laudant Deum in cælis omnia, quæ habent spiritum vitæ, & intellectum purum ad eum contemplandum, & sine fastidio & defectu diligendum. Laudant autem Dominum per intellectum in terra discernendi bonum & malum, & per intellectum cognoscendi creaturam & creatorem homines, qui ista cogitant, & quibus tribuit a Ibidem in mituo.

tribuit Dominus mentem discernendi ista, delectandi, atque laudandi. Pecora nunquid habent huiusmodi intellectum? Si haberent huiusmodi intellectum pecora; non nobis diceret
Psalm. 31. Deus, Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Quando hortatur nos, vt non simus sicut pecora sine intellectu; ostendit nobis, quia tribuit homini intellectum ad laudandum Deum. Arbores, nunquid vel vitam habent ipsam, qua sentiant, sicut pecora? Nam pecora & si sensum interiorem rationalem, & mentem intelligentem atque discernentem non habent, quam homo habet, vt laudet Deum: habent tamen vitam manifestam, sicut omnes nouimus, appetendi cibum, vtilia sumendi, noxia respuendi, sensus corporalia discernendi, visum ad colores, auditu ad voces, olfactum ad odores, gustum ad sapores, motus vel ad voluptates vel ad molestias cognoscendas. Intelligimus hæc, & videmus ante oculos nostros. Non habent rationem intelligendi, sed habent spiritum corporis animati, & vitam manifestam. Arbores autem nec ipsam habent: & tamen omnia laudant Deum. Quare laudant Deum? Quia cùm ista videmus, & consideramus creatorem qui ea fecit, de illis nascitur in nobis laus Dei: & cùm ipsorum consideratione laudatur Deus, omnia laudant Deum.

2 Quibusdam ergo dedit sensum, & intellectum, & immortali-
a In Psal. 144. vltra medium tatem, sicut Angelis: quibusdam dedit sensum & intellectum cum mortalitate, sicut hominibus: quibusdam dedit sensum corporis, non intellectum, nec immortalitatem, sicut pecoribus: quibusdam verò nec sensum, nec intellectum, nec immortalitatem, sicut herbis, lignis, lapidibus: tamen & ipsa in genere suo deesse non possunt, & gradibus quibusdam Deus ordinauit & ornauit creaturam, à terra vsque ad cælum, à visibilibus ad inuisibilia, à mortalibus ad immortalia. Ista contextio creaturæ, ista ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens; à summis ad ima descendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare ergo tota laudat Deum? Quia cùm ea consideras, & pulchram vides; tu in illa laudas Deum. Vox quædam est mutæ terræ, species terræ. Attendis eius speciem, vides eius fœcunditatem, vides eius vires, quomodo concipiat semen, quomodo plerumque afferat quod non est seminatum. Vides, & consideratione tua tanquam interrogas eam: & ipsa inquisitio, interrogatio est. Cùm autem inquisieris admirans, & per-

& perscrutatus fueris, & magnam vim,& magnam pulchritudinem,præclaramque virtutem inueneris,quoniam apud se,& à se habere hanc virtutem non posset: continuò tibi venit in mentem, quia non potuit à se esse, nisi ab illo creatore. Et hoc quod in illa inuenisti, vox responsionis ipsius est, vt laudes creatorem.

Cap. XII.

Laudis illius quam Deo damus, merces debet esse ipse Deus.

1 Vellem ego,inquit aliquis,laudare Dominum *creatorem omnium*, si mihi aliquid pro illa laude donaret. Quis enim laudat gratis vel hominem? Expectant ergo aliquam mercedem laudatores hominum. Nullámne mercedem expectare,aut petere, aut sperare debet laudator Dei? Laudatur infirmus, & speratur de eo aliquid: laudatur omnipotens, & nulla merces est? An fortè hoc cupio, quod ille dare non potest? Quis homo desiderat quod in manu Dei non sit? Cùm laudaueris hominem, fortè hoc cupis, quod ab illo præstari non potest. Deum securus lauda,quem nemo potest dicere non posse præstare, quod tu poteris desiderare. Proposita ergo spe mercedis alicuius, laudare debemus Deum; non tamen daturum quicquid cupimus. Pater est enim, & quod mali cupiunt filij, non dat. Laudemus,& speremus,& desideremus,nō illud aut illud; sed quod indicat dandum esse,quem laudamus. Ille enim nouit quid nobis dari expediat; nos autem intendamus quid nobis prosit accipere. Apostolus ait: Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus. Et ipse idem Apostolus Paulus sperabat sibi prodesse, si auferretur ab eo stimulus carnis suæ, angelus sathanæ, à quo colaphizabatur: sicut ipse confitetur,& ait: Propter quod Dominum ter rogaui, vt auferret eum à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Desiderauit aliquid, non concessum est ad voluntatem,vt consolaretur ad sanitatem. 2 Quod ergo præmium *pro tua laude*,accepturus es ô auare? Non tibi terram, sed seipsum seruat, qui fecit cælum & terram. Ipsius laude gaudeas *tanquam plena ac perfecta mercede tua laudis*, quo laudato non erubescas. Non enim quemadmodum laudatur à studiosis theatricarum nugarum vel auriga, vel venator. vel quilibet histrio; & à laudatoribus suis inuitantur alij laudatores,& exhortātur, vt

1 In Psal. 144. in initio.

Roma. 8.

2. Cor 12.

2 In Psal. 55. ante finem.

vt pariter clament: & cùm omnes clamauerint; plerumque illo victo, omnes erubescunt: non ita est Deus noster. Laudetur voluntate, laudetur charitate: gratuitum est, & quod amatur,& quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, nō propter aliud. Si enim laudas Deum, vt det tibi aliquid aliud, iam nō gratis amas Deū. Erubesceres, si te vxor tua propter diuitias amaret; & fortè si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cùm ergo te à coniuge gratis amari velis: tu Deum

Psalm. 53. propter aliud amabis, *propter aliud laudabis?* Voluntariè, inquit ille, sacrificabo tibi: noli ex necessitate. Si enim propter aliud laudas Deum, ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares Deum. Vide, quid dicam. Laudas Deum (verbi gratia) vt tibi det amplam pecuniam. Si haberes aliunde amplam pecuniam, non à Deo; nunquid laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non volūtariè sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas: quia præter illū, nescio quid aliud amas. Inde dictum est, Voluntariè sacrificabo tibi. 3 Facis aliquando domum: quam si nolles facere, sine habitatione remaneres. Necessitas coëgit te facere domum, non libera voluntas. Facis vestem: quia si non faceres, nudus ambulares. Ad faciendam ergo vestem necessitate duceris, non libera voluntate. Conseris montem vitibus, semen spargis: quia nisi feceris, alimenta non habebis. Omnia hæc necessitate facis. 4 Inuenimúsne aliquid, quod libera voluntate faciamus? Inuenimus planè, cùm ipsum Deum amando laudamus. Hoc enim libera voluntate facis, quando amas quod laudas: non enim ex necessitate, sed quia placet. Vnde iustis & sanctis Dei, placuit Deus, etiam flagellans eos. Quādo iniquis omnibus displicet, placuit illis: & sub flagello eius, in ærumnis, in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti, laudauerunt Deum. Non eis displicuit, nec torquens. Hoc est ergo gratis *laudare &* amare, non quasi proposita acceptione mercedis: quia ipsa merces tua summa, Deus ipse erit, quem gratis diligis: & sic amare debes, *& laudare,* vt ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet; sicut Philippus desiderabat, cùm diceret: Ostēde nobis patrē, & sufficit nobis. Merito: quia hoc de libera voluntate facimus, & de libera volūtate facere debemus, quia delectati facimus, dehinc amando facimus: quia etsi corripimur ab illo, nobis nunquam displicere debet, quia semper iustus est, *& omni laude dignissimus.* 5 Quid enim magis homo

3 In Psal. 134. in medio.

4 Ibidem inf.

Ioan. 14.

5 In Psal. 94. in initio.

homo debet laudare, quàm id quod sic sibi placet, vt non possit sibi displicere? Securitas ergo laudis, in laude Dei est. Ibi laudator securus est, vbi *non solum* non timet ne de laudato erubescat, *sed insuper certus est, quod pro sua laude, quam defert Deo, ipsum Deum plenam mercedem habebit.*

CAP. XIII.

Nemo excusari potest, quo minus laudare possit Deum.

1 SI cogereris offerre Domino tuo sacrificium gratum illi, & acceptum, sicut antea vouebantur sacrificia in vmbra futurorum; fortè non inuenires in grege tuo placitum taurum, in capris hircum aræ Domini dignum; nec in ouili tuo arietem dignum ad victimam Domino tuo: & non inueniens satageres, quid faceres, & diceres fortè Deo, volui & non habui. Nunquid potes de laude dicere, volui & non habui? Ipsum voluisse, laudasse est. Non enim verba à te quærit Deus, sed cor. Neque enim potest quisquam dicere, Et linguam non habui. Si quis obmutescit aliqua valetudine, linguam nō habuit; & tamen laudem habuit. Si enim Deus aures carnales haberet, & sono tui corporis indigeret: idcirco, cùm remansisses sine lingua, sine laude etiam remaneres. Nunc verò quia cor quærit, cor inspicit, intus testis est, iudex, approbator, adiutor, coronator; sufficit vt offeras voluntatem. Cùm potes, ore confitere ad salutem: tùm nō potes, corde crede ad iustitiam. Corde laudas, corde benedicis, corde in aram conscientiæ victimas sacras imponis; & respondetur tibi: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. 2 Ibi quippe immolamus hoc sacrificium laudis. Securi sumus; non imus in Arabiam thus quærere; non sarcinas auari negotiatoris excutimus: sacrificium laudis quærit à nobis Deus. Habebat hoc sacrificium laudis Zachæus in patrimonio suo: habebat vidua in saccello suo: habebat nescio quis, pauper hospes in dolio suo. Alius nec in patrimonio, nec in saccello, nec in dolio aliquid habebat: totum habebat in animo suo. Salus domui Zachæi. Et plus misit hæc vidua, quàm diuites illi. Iste calicem aquæ frigidæ porrigens, non perdet mercedem suam. Sed & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. O sacrificium gratuitum, gratia datum. Non quidem hoc emi, quod offerrem, sed tu Deus donasti. Et hæc immolatio,

Marginal notes: 1 In Psal. 134. ante finem. — Rom. 10. — Lucæ 2. — 2 In Psal. 49. in medio. — Luc. 19. — Ibidem 21. — Matth. 10. — Luc. 2.

hoc sacrificium laudis est, gratias agere illi, à quo habes quicquid boni habes: & cuius misericordia tibi dimittitur quicquid tuum mali habes. Immola Deo hoc sacrificium laudis semper.

Psalm. 49.

CAP. XIIII.

Laudant semper Deum, qui bene viuunt: nunquam laudant, qui male viuunt.

1 Ibidem inf. Psalm. 49.

1 IAm nescio quis, quia in Psalmo dixerat Deus: Immola Deo sacrificium laudis, & hoc quodammodo vectigal indixerat: meditabatur sibi, & dicebat: Surgam quotidie, pergam ad ecclesiam, dicam vnum hymnum matutinum, alium vespertinum, tertium aut quartum in domo mea: quotidie sacrifico sacrificium laudis, & immolo Deo meo. Bene facis quidem, si hoc facis: sed vide si iam securus sis, quia iam hoc facis: & fortè lingua tua Deum benedicat, & vita tua Deo maledicat.

2 In Psal. 102. in fine.

2 Omnes enim malè viuentes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt. Quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Malè viuendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat hymno; & cæteræ te intuentium vacant blasphemiis. 3 Quomodo, inquis, vita maledico? Quia attenditur vita tua, & dicitur: Ecce Christianus: ecce quales sunt Christiani. Blasphematur propter te Christus. Ecce cùm vita tua maledicat, quid prodest quod lingua tua benedicit? *Et quare hoc non prodest? Audi.* Peccatori autem dixit Deus, Vt quid tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tanquam diceret ei: Nihil tibi prodest quod laudas. Ego indixi laudis sacrificium illis qui bene viuunt. Eis enim prodest quod laudant: tu autem si laudas, nihil tibi prodest. Vt quid me laudas? Non est speciosa laus in ore peccatoris. Si enim male viuis, & bona dicis, nondum laudas. Sed rursus, si cùm cœperis bene viuere, meritis tuis tribuas, quòd bene viuas; nondum laudas. Nolo te esse latronem insultantem cruci Domini: sed nec te volo esse pharisæum in templo iactantem merita sua, & occultantem vulnera sua. Si fueris iniquus, & perseuerans in illa iniquitate; non dico tibi, non proderit laus: sed non me laudas. Laudem istam esse non deputo. Rursus si fueris quasi iustus, (nam nemo iustus, nisi humilis & pius,) & de iustitia tua inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, & te super illos

3 In Psal. 131. in medio. Rom. 2.

4 In Psal 49. non procul à fine.

Eccles. 15.

Ibidē infra.

Lucæ 23.

Ibidem 18.

illos extuleris, tanquam glorians de meritis tuis: non me laudas. Nec ille me laudat, qui malè viuit, nec ille me laudat, qui quasi de suo bene viuit. Sed nunquid ille pharisæus, quasi de suo talis erat, cùm diceret: Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines: Gratias agebat Deo ex eo quod bonum in se habebat. Quamuis ergo aliquod bonum in te sit, quamuis iam intelligas nõ ex te esse quod bonum est, sed à Deo te accepisse: tamen in eo ipso si te extuleris super alium non habentem; inuidus teneris, nondum laudator meus. Primò ergo corrigere à via pessima: incipe viuere bene: intellige quia nõ corrigeris, nisi dono Dei. A Domino enim gressus hominis diriguntur. Hoc cùm intellexeris, faue & aliis, vt sint quod & tu es: quia hoc eras & tu, quod & illi sunt. Faue quantum potes, & noli desperare: non enim vsque ad te diues est Deus. Non ergo laudat, qui malè viuendo offendit Dominum: non laudat, qui cùm iam cœperit bene viuere, de suo putat esse quod bene viuit, non acceptum à Deo. Nec ille laudat, qui cùm sciat se, quod bene viuit, accepisse à Deo; tamen vsque ad se vult esse diuitem Deum. Ille itaque qui dicebat, Gratias tibi ago Deus, quod non sum sicut & cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri, sicut & publicanus iste: nónne hic habebat vnde diceret, dona & publicano huic, quod mihi donasti: supple & mihi, quæ nondum dedisti? Sed iam quasi saturatus ructabat: non dicebat, Ego autem egenus & pauper: quod dicebat publicanus ille: Domine, propitius esto mihi peccatori. Ideo descendit iustificatus publicanus magis quàm ille pharisæus. Ergo audite qui bene viuitis: audite qui malè viuitis: Sacrificiũ laudis glorificabit me. Nemo mihi offert sacrificium hoc laudis, & malus est. Non dico, non hoc mihi offerat malus: sed nemo mihi hoc offert malus. Qui enim laudat, bonus est: quia si laudat, etiam bene viuit: quia si laudat, non solum lingua laudat, sed & vita cum lingua consentit. [6] Vis ergo vt Deo tuo iocunda tua sit laus? Noli bonæ cãtilenæ tuę, obstrepere moribus malis. Plus ille attendit quid viuas, quàm quid sones. Certè cum eo quem laudas, pacem habere vis. Quomodo cum illo quæris pacem, quando à teipso dissonas? Quomodo, inquis, à meipso dissono? Aliud sonat lingua, aliud indicat vita. Potest laus iocunda esse homini, cùm audit concinnis acutisque sententiis, & suaui voce laudantem: sed Deo nostro iocunda sit laus, cuius aures non ad os, sed ad cor; non ad linguam peccatoris,

Luc. 18. Psalm. 36. Luc. 18. Psalm. 108. Luc. 18. [6] In Psal. 146. post princip.

7 In Psal. 148. in principio. sed ad vitam sancti laudatoris patent. 7 Non ergo cesses bene viuere, & semper laudas Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando à iustitia, & ab eo quod illi placet, declinas. Nam si à vita bona nunquam declines; lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. Quomodo enim aures nostræ ad voces nostras; sic aures Dei ad cogitationes nostras. Habet quippe aures Deus: habet & sonum cor. Clamas voce, si est homo qui audiat: interiora tua nunquam deest qui audiat. Alternes pro tempore sonos vocum: perpetua sit vox interiorum.

Vide lib. de Innocent. Sent. 81.

8 In Psal. 103. in initio.

Cap. XV.

Quomodo Deus laudetur in omni negotio & actione.

1 In Psal. 146. post initium. 1 Non ergo solùm vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cùm enim voce cantaueris, silebis aliquando: vita sic canta, vt nunquam sileas. Negotium agis, & fraudem cogitas; siluisti à laude Dei: & quod grauius est; non solum à laude siluisti, sed in blasphemiam perrexisti. Cum ergo Deus laudatur de bono opere tuo; opere tuo laudas Deum: & cùm blasphematur Deus de malo opere tuo; opere tuo blasphemas Deum. Itaque ad aurium exhortationem canta voce: corde ne sileas, vita ne taceas. Non cogitas in negotio fraudem, psallis Deo. Cùm manducas & bibis, psalle, non intermiscendo sonorum suauitates ad aures aptas, sed modestè, & frugaliter, & temperanter manducando & bibendo. Quia hoc dicit Apostolus: Siue manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si ergo bene agis; & quod manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrórum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplemẽtorum solatia: & cibus & potus tuus laudat Deum. Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites: quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum & potum requiescas, vt dormias; nec in lecto aliquid turpiter agas, ne excedas vltra concessam licentiam in lege Dei. Sit castus cùm coniuge thorus, & si est cura propagandi liberos, nõ sit effrenata luxuries libidinum. Defer in lecto tuo coniugi tuæ honorem; quia membra Christi estis ambo; ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati. Hæc agens, laudas Deum, nec omnino silebit laudatio tua.

Vide in Psal. 34. in fine.

1. Cor. 10.

Quid

Quid cùm somnus aduenerit? Et cùm dormis, non te excitet à quiete, mala conscientia tua: & innocentia somni tui laudat Deum. Laudas ergo cùm agis negotium: laudas cum cibum & potum capis: laudas cùm in lecto requiescis; laudas cum dormis. Quando ergo non laudas? Vide in Psal. 102 in initio.

Cap. XVI.

Anima humana quomodo tentatur prosperitate & aduersitate: & quare vtraque cauenda; ne Dei irritentur promissa.

CAeterùm, vt ad propositum redeamus, vnde in hanc, de Deo laudando, materiam incidimus; primas certè partes inter omnes Dei laudatores isti obtinere videntur, qui in rebus duris & aduersis illum laudare non cessant. Non enim possunt esse non excellenter boni, qui tunc Deum sibi maximè bonum & charum esse confitentur, quando per illum probantur multis malis & incommodis. Et qui tales sunt, non id attendunt, quod modò in corpore vel in animo patiuntur: sed quod à Deo sibi in calis promissum est. In cuius promissionibus in tantum delectantur; vt & aduersa nulla timeant, & omnia prospera contemnant & completur in illis quod Psalmus dicit Deo, Exitus matutini, & vespere delectabis. Sed quid est hoc, delectabis? Id est, delectabiles facies. [1] Iam ergo in ista vita quid nobis promittitur? Exitus delectabilis manè & vespere. Sunt exitus manè; sunt exitus vespere. Manè significat prosperitatem sæculi: vespere significat tribulationem sæculi. In vtroque enim tentatur anima humana; & prosperitate, ne corrumpatur; & aduersitate, ne frangatur. Ideo autem manè prosperitatem significat, quia manè lætum est, trāsacta velut tristitia noctis. Tristes autem sunt tenebræ, veniente vespera. Ideo veniente quasi mūdi vespera, obtulit Christus sacrificium vespertinum, *hoc est de quo iam diximus, sacrificium laudis.* Nos ergo sic timeamus vnusquisque vesperum, ne & manè corrumpamur. Ecce nescio quis, vt facias mali aliquid, promisit lucrum: manè est. Arridet tibi ampla pecunia, manè tibi fit. Noli corrūpi, & habebis exitum mane. Si enim habes exitum, non capieris. Sic est enim promissio lucri, quasi esca in muscipula. Dedit autem tibi exitum Dominus Deus tuus, ne lucro capiaris; cùm tibi dicit in corde: Ego sum diuitiæ tuæ: noli attendere quod mundus promittit,

[1] In Psal. 64. ante finem.

sed quod promittit conditor mundi. Attende quod tibi promittit Deus facienti iustitiam: & contemne quod tibi promittit homo, vt abducat iustitiam, & adducat iniustitiam. Noli ergo attendere quod mundus promittit, sed quod conditor mundi; & habebis exitum mane per Domini verbum, dicentis: Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Sed ille, qui te promissio lucro corrumpere, & ad iniquitatem adducere non potuit, minatur pœnas; & conuertit se ad inimicitias, & incipit tibi dicere: Si hoc non feceris, ego ostendam *quod tibi displiceat*: ego faciam, habebis me inimicum. Primò cùm lucrum promittebat, manè tibi erat: modò iam vesperascit: tristis factus es. Sed qui dedit tibi exitum manè, dabit & vespere. Quomodo contempsisti manè sæculi, ex luce Domini: sic contemne & vesperã ex passionibus Domini: vt dicas animæ tuæ, Quid mihi amplius facturus est iste, quàm passus est pro me Dominus meus; vt teneam iustitiam, non consentiam ad iniquitatem? Sæuiat in carne, & frangatur muscipula, & volabo ad Dominum meum, qui mihi ait, Nolite timere eos qui corpus occidunt; animam autem non possunt occidere. Et de ipso corpore securitatem dedit, dicens, Capillus capitis vestri non peribit. Magnificè idcirco hîc posuit, Delectabis exitus manè & vespere. Si enim non te delectet ipse exitus, non laborabis exire inde. Mittis caput in lucrum promissum, si non te delectet promissio saluatoris. Et rursus cedis tentanti & terrenti, si non te delectat ille qui prior passus est, vt tibi *morte sua* exitum faceret, *& spem ad vitæ cælestis ingressum sua promissione firmaret*.[1] Est enim promissio Dei rata, certa, fixa & inconcussa, fidelis, & omni dubitatione carens, quę consolatur tentatos & afflictos. Tota enim vita humana super terram, sicut scriptum est, tentatio est. Nec quasi prospera eligenda est, & sola aduersa deuitanda: sed vtraque cauẽnda est. Illa, ne corrumpat; ista, ne frangat: vt vnicuique hominum, in quocumque statu rerum in hac vita egerit, non sit refugium, nisi Deus; *non sint deliciæ, nisi Deus*, nec vllum gaudium, nisi in promissis eius. Vita enim hæc qualibet redundans felicitate, multos fallit, Deus neminem. Quia ergo omni homini conuerso ad Deum mutatur delectatio; mutantur & deliciæ: non enim subtrahuntur, sed mutantur. Omnes autem deliciæ nostræ in hac vita nondum sunt in re; sed ipsa spes *ex Dei promissione*,

Matth. 16.

Matth. 10.

Luc. 21.

1 In Psal. 74. in initio.

Iob. 7.

ſione, tam certa eſt, vt omnibus huius ſæculi deliciis præponenda ſit: ſicut ſcriptum eſt: Delectare in Domino. Et ne putares te iam habere quod promittit, ſubiecit ſtatim, Et dabit tibi petitiones cordis tui. Si ergo nondum habes petitiones cordis tui; *ſed habes exitum manè & veſpere*: vnde delectaris in Domino, niſi quia tenes certum promiſſorem, qui ſe efficit promittendo debitorem? Illuc ergo mentis oculus dirigatur, *vbi finis huius promiſſionis eſt*. Omnia quæ in via occurrerint, tranſeantur, vt perueniatur in illum finem. Exultent ſuperbi de præſenti felicitate, tumeant honoribus, fulgeant auro, redundent familiis, obſequiis clientum conſtipentur: prætereunt iſta, & tranſeunt tanquam vmbra. 3 Exultēt autem iuſti, hoc eſt, humiles, in Domino: quia permanente Domino, permanebit iuſtorum exultatio. Exultare autem in Domino ita conuenit, vt ſemper laudemus illum, qui ſolus nō habet quod nobis diſpliceat: & nemo tam multa habet, quæ infidelibus diſplicent. Et breue præceptum eſt. Ille placet Deo, cui placet Deus. Nec leue putes hoc.

Pſalm. 36. — 3 In Pſal. 32. cōc. 1. de prima parte.

CAP. XVII.

Homo qui ſe dirigit ad voluntatem Dei, rectus eſt.

1 VIdes etenim quanti diſputant contra Deum; quàm multis diſplicieant opera eius. Cùm enim facere voluerit contra voluntatem hominū, quia Dominus eſt, & nouit quid faciat; nec tam attendit noſtram voluntatem quàm vtilitatem: illi qui malunt ſuam potius voluntatem impleri, quàm Dei, volunt ad ſuam voluntatem flectere Deum, nō ſuam corrigere ad Deū. Talibus hominibus infidelibus, impiis, iniquis (quod piget dicere, ſed tamen dicam) facilius placet pantomimus, quàm Deus. Propterea, cùm dixiſſet *in quodam loco Pſalmiſta*, Exultate iuſti in Domino: (quia exultare in illo, niſi laudando non poſſumus: eum autem laudamus, cui tanto magis placemus, quanto magis ipſe nobis placuerit) rectos, inquit, decet laudatio. Qui ſunt recti? Qui dirigunt cor ſecundum voluntatem Dei: & ſi eos perturbet humana fragilitas, diuina conſolatur æquitas. Quamuis autem corde mortali priuatum aliquid velint, quod ſuæ interim cauſæ, vel negotio, vel præſenti neceſſitati conueniat: vbi intellexerint & cognouerint aliud Deum velle; præponunt voluntatem melioris, voluntati ſuæ:

1 Ibidem immediatè. — Pſalm. 32.

& voluntatem omnipotentis, voluntati infirmi; & voluntatem Dei, voluntati hominis. Quantum enim Deus distat ab homine; tantum voluntas Dei à voluntate hominis. Vnde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos viuere, & præstans nobis viuere; ostendit hominis quandam priuatam voluntatem, in qua suam figurauit, & nostram; quia caput nostrum est, & ad eum tanquam membra vtique pertinemus. Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid, & tanquam priuatum volens. Sed quia recto corde voluit esse hominem, vt quicquid in illo aliquantū curuum esset, ad illum dirigeret, qui semper est rectus: Verum non quod ego volo, ait, sed quod tu, pater. Sed quid possit mali velle Christus? Quid postremò aliud possit velle, quàm pater? Quorum vna est diuinitas, non potest esse dispar voluntas. Sed ex persona hominis transfigurans in se suos, quos etiam in se transfigurauit, cùm ait: Esuriui, & dedistis mihi manducare: quos in se trāsfigurauit, cùm furenti & sanctos persequenti Saulo clamauit desuper, quem nemo tangebat: Saule, Saule, quid me persequeris? ostendit quandam hominis propriam voluntatem; ostendit, & correxit te. Ecce, vide, inquit, te in me; quia potes aliquid proprium velle, vt aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanę infirmitati. Aliquid proprium velle, difficile est, vt non tibi contingat: sed statim cogita, qui sit supra te: illum supra, te infra illum: illum creatorem, te creaturam: illum Dominum, te seruum: illum omnipotentem, te infirmum, corrigens te, subiugansque voluntati eius, ac dicens: Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis, pater. Quomodo disiunctus es à Deo, qui iam hoc vis, quod Deus? Eris ergò rectus, & te decebit laudatio; quoniam rectos decet laudatio. Si autem curuus fueris, laudas Deum, quando tibi bene est; blasphemas, quando tibi malè est. Quod quidem malè, si iustum; non est malè. Iustum est autem, quoniam ab illo fit, qui iniustè facere nihil potest. Et eris insulsus puer, in domo patris, amans patrem, si tibi blanditur; & odio habens, quando te flagellat: quasi non & blandiens, & flagellans, hæreditatem paret.

Matth. 26. — Matth. 25. — Actor. 9. — Matth. 26. — Psalm. 32.

Cap. XVIII.

Voluntas Dei est quasi regula, ad quam humana voluntas, quæ curua est, est corrigenda & dirigenda.

1 HAec est autem in hominibus magna & vsitata peruersitas: quia cum debeant viuere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum volunt viuere secundum voluntatem suam. Et cùm ipsi nolunt corrigi, illum volunt deprauari: rectum non arbitrantes quod ille vult, sed quod ipsi volunt. 2 Voluntas tamen Dei sic est, quomodo regula. Ecce, puta, torsisti regulam; vnde habes corrigi? Illa autem integra manet regula est enim incommutabilis. Quamdiu integra est regula, habes quo te connectas, & corrigas prauitatem tuam: habes vnde corrigas quod in te tortum est. Quid autem volunt homines? Parum est, quia voluntatem suam tortuosam habent; etiam volunt voluntatem Dei tortuosam facere secûdum cor suum, *quod rectum non est*, vt hoc faciat Deus, quod ipsi volunt, cùm ipsi hoc debeant facere, quod Deus vult. Sed illi tortuosi sunt.
3 Hi verò recticordes, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei, *non ei resistentes neque diffidentes*. Voluntas Dei est aliquando, vt sanus sis: aliquando vt ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei; & quando ægrotas, amara est voluntas Dei: non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad volútatem Dei, sed Dei vis curuare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curuus. Voluntas tua corrigenda est ad illam: non illa curuanda est ad te, & rectum habebis cor. 4 Rectum autem cor est, non resistere patri emendanti, & credere pollicenti. 5 Vis habere igitur rectum cor? Tu fac, quod vult Deus: noli Deum velle facere, quod vis tu. Prauicordes ergo sunt, id est, qui rectum cor non habent, qui sedent & disputant quomodo debuit facere Deus, non laudando quod fecit, sed reprehendendo. Corrigere illum volunt, (parum est, quia corrigi ab eo nolunt) & dicunt: Non debuit Deus facere pauperes, sed soli diuites esse debuerunt, & ipsi soli viuerent. Vt quid factus est pauper? vt quid viuit? Reprehendit Deum pauperum. Quanto melius esset pauper Dei, & diues esset de Deo, hoc est, sequeretur voluntatem Dei, & videret paupertatem suam temporalem esse, & transituram; diuitias autem sibi spirituales ita venturas, vt nullo pacto possent præterire, & haberet in diuitiis cordis fidem, si ei non contingit aurum habere

1 In Psal. 48. in initio.
2 In Psal 93. post medium.
3 In Psal. 35. conc. 1 post medium.
4 In Psal. 124. in initio.
5 In præfat. Psalm. 124.

in arca? Quia si aurum haberet in arca, furem timeret, & aurum de arca etiam nolens perderet: fidem autem de corde non perdet, si ipse illam inde non expulerit. Citò autem respõderi potest: Fecit Deus pauperem, vt probet hominem: & fecit Deus diuitem, vt probet illum de paupere. Et omnia quæ fecit Deus, rectè fecit. Etsi non possumus videre consilium ipsius, quare illud sic fecit, & illud sic; bonum est nobis, vt subdamus nos sapientiæ ipsius, *& voluntatem nostram voluntati ipsius submittamus*, & credamus, quia bene omnia fecit, etsi nondùm nouimus, quare sic fecit: & habebimus cor rectũ, vt præsumamus & confidamus *iam cor nostrum coniungi posse Deo, si*
6 In Psal. 77. ante medium *per fidem accedat ad Deum.* [6] Voluntas igitur, quæ est in corde recto, paratur à Domino fide præcedente, quia acceditur ad Deum directum, vt cor fiat rectum. Rectus est enim Deus: & ideo recto adhærens, tanquam incommutabili regulæ, potest fieri rectum, quod in se fuit prauum cor hominis. Vt autem cor cum illo sit, & per hoc rectum esse possit: acceditur ad eum non pede, sed fide. Quæ fides præueniente & vocante misericordia Dei, per obedientiam suscitatur, & applicare incipit ad Deum cor, vt dirigatur: & quanto magis magisque dirigitur, tanto magis videt quod non videbat, & valet quod non
Actor. 8. valebat. Hoc non fecerat Simon, cui Petrus Apostolus dixit: Non est tibi pars, neque sors in hac fide: Cor enim tuum non est rectum cum Deo. Ibi enim ostendit, quia non potest esse rectum sine Deo, *sed semper curuum & prauum.*

CAP. XIX.

De corde recto, & non recto.

1 In Psal. 100. in medio. [1] QVid est autem cor prauum? Cor tortum. Quod est cor tortum? Cor nõ rectum. Quod est cor non rectũ? Vide quod est cor rectum, & ibi inuenis quod est cor non rectum. Rectum cor dicitur hominis, qui omnia quæ vult Deus, ipse vult. Orat aliquis, vt nescio quid non eueniat; orat, & non prohibetur. Petit quantum potest, sed contra voluntatẽ ipsius euenit aliquid. Subiungat se voluntati Dei, non resistat voluntati magnæ: quia & ipse Dominus sic illud exponit. Ostendens enim infirmitatem nostram in se, quando passurus erat,
Matth. 26. ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Non enim verè ille timebat mortem, qui in potestate habebat ponẽdi animam suam, & in potestate habebat iterum sumendi eam. Et Paulus Apo-

Apostolus miles ipsius, seruus ipsius clamat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Exultat seruus, quia moriturus est: & Dominus eius, & imperator eius tristis est, quia moriturus est? Ergo melior seruus, quàm Dominus? Et vbi est quod ait ipse Dominus: Sufficit seruo, vt sit sicut Dominus eius: sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius? Ecce fortior est Paulus ventura morte; & Dominus tristis est? Optabam, inquit, dissolui, & esse cum Christo. Gaudet quia dissoluitur, vt sit cũ Christo; & ipse Christus tristis est, cùm quo futurum iste se esse lætatur? Sed quid erat illa vox, nisi sonus infirmitatis nostræ? Multi adhuc infirmi contristantur futura morte. Sed habeant rectum cor: vitent mortem quantum possunt: sed si non possunt, dicant quod ipse Dominus, nõ propter se, sed propter nos dixit. Quid enim dixit? Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Ecce habes volũtatem humanam expressam: Vide iam rectum cor: Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Si ergo rectum cor sequitur Deum, prauum cor resistit Deo. Itaque [a] præsignauit Dominus in sua infirmitate nos, non se: non enim timebat Dominus pati, tertio die resurrecturus. Si prorsus quomodo homo pateretur, & non quomodo Deus pati veniret, & si sciret se post triduum resurrecturum, nullo modo formidaret moriturus, quod non formidauit Apostolus Paulus in fine sæculi resurrecturus. [3] *Quid enim?* Iste sic gauderet coronandus, & tristis esset ille coronatus? Sed tristitiam sic assumpsit, quomodo carnem. Noli enim putare, quia hoc dicimus, non fuisse tristem Dominum. Si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cùm Euangelium dicat ipsum dixisse, Tristis est anima mea vsque ad mortem: ergo & quando dicit Euangelium, Dormiuit Iesus; non dormiuit Iesus: & quando Euangelium dicit: Manducauit Iesus; non manducauit Iesus: surrepet vermiculus putredinis, & nihil sanum relinquet, vt dicatur, quia & Christi corpus non erat verum, & carnem veram non habuit. Quicquid ergo de illo scriptum est, factum est, verum est. Ergo tristis fuit? Prorsus tristis: sed voluntate suscipiens tristitiam. Quomodo voluntate suscipiens carnem. Quomodo voluntate carnem veram: sic voluntate tristitiam veram. Sic tristitiam ergo voluntate ostendit in se, vt, si fortè surrepserit tibi humana infirmitas, & cœperit

2. Tim. 4.
Matth. 10.
Philip. 1.
Matth. 26.
Ibidem
[a] In Psal. 93. in medio.
3 Ibidẽ infra

cœperit aliud velle, quàm Deus vult: videas prauitatem cordis tui extra regulam; figas illúd ad regulam, & dirigatur in Deum cor tuum, quod in homine cœperat esse prauum, *vt fiat rectum secundum Deum.*

CAP. XX.

Quid intersit inter cor rectum & prauum: & quomodo cor distortum rectitudini Dei colliniari non possit.

1 In Psal. 11. expos. 2. vltra medium.

1 QVapropter inter rectum cor & prauum cor hoc interest: Quisquis homo quicquid patitur præter suam voluntatem; afflictiones, mœrores, labores, humiliationes; non tribuit, nisi voluntati Dei iustæ; non illi dans insipientiam, quod quasi nesciat quid agat, quia talem flagellat, & talibus parcit; ipse est rectus corde. Peruersi autem corde sunt, & praui, & distorti, qui omnia quæ patiuntur mala, iniquè se pati dicunt; dantes illi iniquitatem, per cuius voluntatem patiuntur: aut quia non ei audent dare iniquitatem, auferunt ei gubernationem. Quia ipse, inquit, non potest facere iniquum; iniquum autem est, vt ego patiar, & ille non patiatur: concedo enim vt sim peccator: certè sunt peiores, qui lætantur, & ego tribulor. Quia ergo hoc iniquum est, vt etiam peiores me lætentur, & ego tribuler, qui aut iustus aut minus peccator, quàm illi, sum: & certum est apud me hoc esse iniustum; & certum est apud me, quia Deus non faciet iniustum: Deus non gubernat res humanas, nec cura est illi de nobis. Ergo prauicordes, id est, distorti corde, tres habent sententias: Aut non est Deus: (Dixit enim stultus in corde suo, non est Deus, cui displicet, quicquid illi accidit præter voluntatem, & alteri non accidit, cui se proponit.) Aut iniustus Deus, cui ista placent, & qui hæc facit: Aut non gubernat Deus res humanas, nec cura est illi de hominibus. In istis tribus sententiis magna impietas est, aut negare Deum, aut dicere iniustum, aut auferre illi gubernationem rerum. Quare hoc? Quia *qui sic sentit*, distortus est corde. Rectus est autem Deus, & ideo distortum cor illi non acquiescit, *sed id solùm, quod rectum est*: quod & in Psalmo dicitur *per Prophetam*: Quàm bonus Deus Israel rectis corde? Et quia talem habebat ipse, *qui hoc dicit*, aliquando de se sententiam, inquiens: Quomodo sciuit Deus, aut si est scientia altissimo? ideo ibi subiecit, Mei autem penè moti sunt pedes. Quomodo distortum lignũ, etsi disponas in pauimẽto ęquali, non

Psalm. 13.

Psalm. 72.

Psalm. 42.

non collocatur, non compaginatur, nec adiungitur; sed semper agitatur & nutat, non quia inæquale est, vbi posuisti; sed quia distortum est quod posuisti: ita & cor tuum quamdiu prauum est, & distortum, non potest colliniari rectitudini Dei; & non potest in illo collocari, vt hæreat illi, & fiat rectum. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Denique, [2] rectæ sunt, inquit scriptura, viæ Domini, sed prauicordius in illis scandalizabitur. Quid est prauicordius? Torticordius, tortum cor habens. Putat torta esse omnia quæ dicuntur à Deo: putat praua esse omnia quæ fecit Deus, & displicent illi omnia iudicia Dei, maximeque in quibus ipse corripitur; & sedet & disputat quàm male faciat Deus, quia non pro eius voluntate facit. Distortum cor, prauum cor est, quod non se corrigit ad Deum, & Deum vult distorquere ad se. Quid ergo dicit Deus desuper? Tortus es: æquus sum. Si tu rectus esses, sentires æquitatem meam. Quid ergo tortum est cor? Quomodo vero dirigatur? Et tortum est, & durum. Iam ergo tortum & durum frangatur, conteratur, vt dirigatur. Tu dirigere cor tuum non potes; tu frange; Deus dirigat. Quomodo tu frangis? quomodo tu conteris? Confitendo, puniendo peccata tua. Quid enim aliud significat pectorum tunsio? Nisi fortè putamus ossa nostra aliquid peccasse, cùm tundimus pectus. Sed significamus nos cor conterere, vt à Domino dirigatur, *cui in Psalmo dicitur*: [3] Virga directionis, virga regni tui. Directionis enim virga est, quæ dirigit homines. Curui etenim quidam sunt, distorti sunt: sibi regnare cupiunt, se amant, facta sua mala diligunt. Non voluntatem suam Deo subdunt, sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volunt. Irascitur enim peccator & iniquus plerumque Deo, quia non pluit: & non vult sibi Deum irasci, quia fluit. Et ad hoc propemodum sedent quotidie homines, vt disputent cõtra Deum: hoc facere debuit, hoc non bene fecit. Tu videlicet vides quid facias; ille nescit. Distortus tu es, ille rectus est. Distortum ad rectum quando coniungis? Colliniari non potest. Tanquam, *vt dixi*, si in pauimento æquali ponas lignum curuum; non adiungitur, non cohæret, non coaptatur pauimento. Pauimentum vbique æquale est; sed illud curuum est, non coaptatur æquali. Ergo Dei voluntas æqualis est: tua curua est. Propterea tibi curua videtur illa, quia tu illi coaptari non potes. Dirigere ad illam: tene illam. Nam si illam velis curuare ad te, quia non potes;

1 Cor. 6.
[2] In Psal. 146. ante medium Eccle. 3.
[3] In Psal. 44. in medio.

potes; frustra conaris: illa semper directa est. Vis illi hærere? Corrigere. Erit virga ipsius, qui te regit, virga directionis. Inde & rex à regendo dicitur. Non autem regit, qui non corrigit. Ad hoc est rex noster, rectorum rex. Quomodo & sacerdos à sanctificando nos: ita & rex à regendo nos. Sed quid ait
Psalm. 17. *Psalmista Deo, in alio loco?* Cum sancto, inquit, sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruersus eris. *Quid verò vult dicere?* Nō quia peruersus sit Deus, sed quia peruersi peruersum eum putant, Placet tibi bonum; bonus est Deus: displicet tibi; quasi prauus est Deus. Curuus est ad te Deus; tua curuatura facit
4 In Psal. 72. ante medium hoc: nam illius rectitudo semper manet. 4 Absit ergo vt Deus peruersus sit: quod est, est. Sed quemadmodum sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes haberi tranquillus apparet: in oculos autē lippos quasi tela aspera iaculatur: intuentem illum vegetat; hunc excruciat, non mutatus, sed mutarum: sic cum cœperis esse peruersus, & tibi Deus peruersus esse videbitur: tu mutatus es, nō ille. Ergo erit tibi pœna quod bonis gaudiū. Hoc iste recolens, Quam bonus, inquit, Deus Israel rectis corde!

CAP. XXI.

Recti corde qui sint, & non recti: & quomodo vtrique se habeant in diuinis actionibus & dispositionibus cōsiderandis.

1 Tract. 28. in Ioan. in med. 1 QVæris ergo, qui sint recti corde? Illos inuenimus in Scripturis rectos corde, qui mala sæculi tolerant, & non accusant Deum. Rara auis est ista, quam loquor. Nescio quo enim modo, quādo euenit homini aliquid mali, Deum currit accusare, qui deberet se. Quando boni aliquid agis, te laudas: quando mali aliquid pateris, Deum accusas. Hoc est cor tortum, non rectum. Ab ista distortione & prauitate si corrigaris, conuertetur in contrarium quod faciebas. Antea enim quid faciebas? Laudabas te in bonis Dei: accusabas Deum in malis tuis: conuerso corde & directo, laudabis Deum in bonis suis, accusabis te in malis tuis. Isti sunt recti corde. Denique ille nondum recto, cui displicebat felicitas malorū, & labet bono-
Psalm. 2. rum, ait correctus: Quàm bonus Deus Israël rectis corde? Mei autem, quando non eram rectus corde, penè commoti sunt pedes; paulominus effusi sunt gressus mei. Quare? Quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Vidi, inquit, malos

malos felices; & displicuit mihi Deus: hoc enim volebam, vt non permitteret Deus malos esse felices. Intelligat homo; nunquam hoc permittit Deus. Sed ideo malus felix putatur, quia quid sit felicitas, ignoratur. Simus ergo recti corde. [a] Qui sunt recti corde? Qui omnia quæcunque in hac vita patiuntur, non ea tribuunt insipientiæ, sed consilio Dei, ad medicinam suam: nec præsumunt de iustitia sua, vt putent se iniustè pati quod patiuntur; aut ideo esse Deum iniustum, quia non plura patitur qui plus peccat. Vide, aliquid sentis secundum corpus, siue secundum dispendium rei familiaris, siue per orbitatem aliquam charissimorum tuorum: noli respicere eos, quos nosti iniquiores te. Non enim fortè audes dicere iustum te, sed nosti peiores te & florere in istis, & non flagellari; vt displiceat tibi consilium Dei, & dicas: Ecce, puta, peccator sum, & propterea flagellor: quare ille non flagellatur, cuius noui tanta flagitia? Quantumcunque mali fecerim ego, nunquid ego tantum feci, quantum ille? Distortum est cor tuum. Quàm bonus Deus Israel, sed rectis corde? Tui autem labuntur pedes, quia zelas in peccatores, pacem peccatorum intuens. Sine te curari: nouit Deus quid agat, qui vulnus nouit. Non secatur, inquis, alius. Quid si desperatur? Quid si propterea tu secaris, quia non desperaris? Patere ergo quicquid pateris, recto corde: nouit Deus quid tibi donet, quid tibi subtrahat. Quod tibi donat, ad consolationem valeat, non ad corruptionem: & quod tibi subtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blasphemiam. Si autem blasphemas, & displicet tibi Deus, & tu tibi places; peruerso corde & distorto es: & hoc peius, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuũ, vt hoc ille faciat quod tu vis: cùm tu debeas facere quod ille vult. Quid ergo? Vis detorquere cor Dei, quod semper rectum est, ad prauitatem cordis tui? Quanto melius ad rectitudinem Dei corrigis cor tuum? Nónne hoc te docuit Dominus tuus, de cuius passione modò loquebamur? Nónne infirmitatem tuam portabat, quando dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem? Nónne teipsum in se figurabat, cùm dicebat: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste? Non enim duo corda diuersa patris & filij: sed in forma serui portauit cor tuum, vt doceret illud exemplo suo. Iam ecce quasi aliud cor tuum inuenit tribulatio, volens transire quod imminebat: sed noluit Deus. Non consentit Deus cordi tuo; consenti tu cordi Dei, *& eris*

[a] In Psal. 63. fere in fine.

Psalm. 72.

Matth. 26.

Ibidem

recto

3 In Psal. 93. in medio. *recto corde*. Denique 3 qui sunt recto corde? Qui hoc volunt quod Deus vult. Deus parcit peccatoribus: tu vis vt iam perdat peccatores? Distorti ergo cordis es, & prauæ voluntatis; quando aliud vis, aliud vult Deus. Vult autem Deus parcere malis: tu non vis parci. Patiens est Deus peccatoribus: tu non vis tolerare peccatores. Sed, vt dicere cœperam, aliud vis tu, aliud vult Deus. Conuerte cor tuum, & dirige ad Deum: quia & Dominus infirmis, *quem liberati à peccatis imitarentur*, cōpassus est. Sed si cōpassus est tibi, & te liberat in se: imitare dicētem: Verùm nō quod ego volo, sed quod tu vis, pater. Si cœperit tibi obrepere voluntas humana, dicēs: O si occidat Deus inimicum istum meum, vt nō me persequatur: ô si posset fieri, vt non ab illo paterer tanta: iā si perseueraueris, & hoc tibi placuerit, & vides quia hoc non vult Deus; prauus corde es, *& non rectus*. Et qui sunt recti corde? Qui sic inueniuntur, quomodo inuentus est Iob: qui ait; Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Ecce rectum cor. Iterum in graui vulnere quid dixit vxori, quam propterea reliquerat diabolus, & non occiderat, vt ipse haberet adiutricem, non vt maritus cōsolatricem? Meminerat enim quia per illam Euam deceptus erat Adam: & necessariam sibi putabat hanc Euam. Accessit ad Iob illa tanquam Eua: sed Iob melior fuit in stercore victor, quàm Adam victus in paradiso. Quid enim respondit illi mulieri? Vide cor paratum, vide cor rectum. Nunquid non patiebatur persecutiones, & graues? Et omnes Christiani patiuntur: & si non sæuiunt homines; sæuit diabolus. Et si Christiani facti sunt Imperatores; nunquid diabolus factus est Christianus? Attende ergo quid sit rectum cor. Accessit vxor Iob ad eum, & ait: dic aliquid in Deum, & morere: & enumerauit omnes ærumnas ipsius, vel suas. Et ille illam cognoscens Euam, Locuta es, inquit, tanquam vna ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini: mala non tolerabimus? Quia fixum cor *eius erat* in Domino, ideo rectum. Quia enim rectus est Deus; quando in illo figis cor, forma tibi fit, vt sit tibi cor rectum. 4 Noli proinde torto corde esse ad Deū, resistēs volūtati ipsius, & volens illum curuare ad te, & non te dirigere ad illū. 5 Disce habere in corde, quod habet omnis homo in lingua: Quod vult Deus, hoc agat. Ipsa lingua popularis, plerumque est doctrina salutaris. Quis non quotidie *aut cogitat aut* dicit. Quod vult Deus,

Ibidem inf. Matth. 26.

Iob 1.

Iob 2.

4 In Psal. 96. ante finem.
5 In Psal. 32. conc. 1. post principium.

Deus, hoc agat? [6] *Hoc tamen imprimis & cogitant & dicunt*, 6 In Psal. 124. prope finem.
qui recto sunt corde, qui voluntatem Dei sequuntur, non voluntatem suam. Sed qui sequi Deum volunt, faciunt illum præcedentem, & se sequentes: non autem se præcedentes, & illum sequentem. Et hi in omnibus eum bonum inueniunt, siue emendantem, siue consolantem, siue exercentem, siue coronantem, siue purgantem, siue illuminantem: sicut Apostolus ait, Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur Rom. 8. in bonum. Sicut autem, qui declinat à malo, & facit bonum, rectus corde est; quia non zelat in peccatores, pacem peccatorum intuens: Psalm. 72. sic praui cordis est, qui scandalizatur in viis Domini, Eccles. 3. qui declinat à Deo, & facit malum, & inescatur dulcedine sæculi, & ea illaqueatus & captus, amaras tandem miser pœnas luet.

CAP. XXII.

Epilogus præcedentium, quo ostenditur & rectorum, & peruersorum retributio.

1 DVo ergo tibi modò proposita sunt: elige cùm tempus est. Si recto corde fueris; ad dexterã eris, & laudaberis. 1 In Psal. 63. in fine.
Quomodo? Venite benedicti patris mei, percipite regnum Matth. 25. quod vobis paratum est ab origine mundi. Peruerso autem corde si fueris, si subsannaueris Deum, si prouidentiam eius irriseris, si dixeris in animo tuo, Verè non curat Deus res humanas; si curaret res humanas, ille latro tantum haberet, & ego innocens indigerem? peruerso corde factus es: veniet iudicium illud, apparebunt omnia, propter quæ omnia ista faciat Deus: & tu, qui noluisti in hac vita corrigere cor tuum ad rectitudinem Dei, & te ad dexteram præparare, vbi laudabuntur omnes Psalm 63. recti corde; eris ad sinistram, vbi tunc audies: Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. Et nunquid erit tunc tempus corrigere cor? Modò ergo corrige, modò corrige. Quis prohibet? Cantatur Psalmus, legitur euangelium, sonat lector, sonat disputator, *clamat concionator*; patiens est Dominus: peccas & parcit; adhuc peccas, adhuc parcit; & adhuc addis. Quandiu patiens est Deus? Senties & iustum Deum. Si bene compluitur terra tua; frumenta, non spinas generet. Frumentis horreum paratur, ignis spinis. Nosti quid facias de agro tuo; & nescit Deus quid faciat de seruo suo? Quod pluit in agrũ vberem, dulce est: & quod pluit in agrum

ſpinoſum, dulce eſt: nunquid pluuiam accuſabit, quód ſpinas genuerit? Nónne erit pluuia illa teſtis in iudicio Dei, & dicet, Ego dulcis ſuper omnia veni? Tu ergo quid proferas, vide; vt, quid tibi paretur, attendas. Profers frumentum, horreum ſpera: profers ſpinas, ignem ſpera. Sed nondum venit aut tempus horrei, aut tempus ignis: modò ergo correctum cor paretur, & tempus ignis non timebitur. Nunquid conſilij corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam, non eſt locus, non eſt tempus? Nónne ſi vis, hodie fit? Nónne ſi vis, modò fit? Quid empturus es, vt facias? quæ emplaſtra quæſiturus es? ad quos Indos nauigaturus? quam nauim præparaturus? Ecce hæc cùm loquor, muta cor, & factum eſt, quod tam ſæpe, & tam diu clamatur, vt fiat: & quod æternam pœnam parturit, ſi non fiat.

CAP. XXIII.

Qui murmurant contra Deum, quòd malis parcat, multum mali ſibiipſis faciunt: & propterea innocentes non ſunt.

a In præfat. Pſalm. 91.

1 NOtum eſt autem nobis omnibus (atque vtinam de numero eorum non ſimus) multos murmurare aduerſus Dei patientiam, & dolere, iniquos homines & impios, vel viuere in hac terra, vel etiam plurimum poſſe: & quod eſt amplius, plerumque plurimum poſſe malos aduerſus bonos, & ſæpe malos premere bonos: malos exultare, bonos laborare: malos ſuperbire, bonos humiliari. Attendentes talia (in genere enim humano abundant) peruertuntur impatientes & infirmi animi, quaſi fruſtra ſint boni: quia Deus auertit, vel auertere videtur oculos ſuos à bonis operibus piorum & fidelium; & augere malos in his, quæ diligunt. Putantes ergo infirmi fruſtra ſe bene viuere; aut inuitantur ad imitandam malitiam eorum, quos quaſi florere conſpiciunt: aut ſi per infirmitatem vel perſonæ ſuæ, vel animi, timent malè facere, ne aliquid illis, ſecundum leges ſæculi, mali accidat: non quia iuſtitiam diligunt, ſed (vt dicam apertius) timentes damnari inter homines, vel ab hominibus; abſtinent ſe quidem à factis malis, ſed non ſe abſtinent à cogitationibus malis. Et inter cogitationes eorum iniquas, præcipuè caput iniquitatis illa tenet impietas, quia videtur eos Deus negligere, & non curare res humanas: &, aut æqualiter habere bonos & malos: aut etiam, quod eſt pernicioſius cogitare; inſectari bonos, & malis fauere. Qui talia

talia cogitat, etsi nihil mali alicui faciat; facit plurimum sibi, & in semetipsum impius est: & iniquitate sua non lædit Deum, sed interficit se. Neque nocent hominibus, quia timidi sunt, qui talia cogitãt: sed tamẽ homicidia eorum, adulteria eorum, fraudes & rapinas eorum videt Deus, & punit in cogitationibus eorum. Quid enim velint, ipse attendit, cuius oculus non repellitur carne, vt non videat voluntatem in corde. Tales, si occasiones inueniant, non mali fiunt, sed manifestantur: non vt sentias, quid natum sit manifestum, sed vt intelligas, quod latebat inclusum. Paucis his annis, & prope hesterna die viderunt hæc homines, & probauerũt etiam, qui tardè intelligunt. Erat enim hîc vna domus potentissima ad tempus, de qua flagellum fecerat Deus generi humano: & castigatum est inde genus humanũ (sic cognoscat flagellum patris, vt timeat sententiam iudicis.) Cùm ergo esset hîc eadem domus magna: multi sub illa gemebant, murmurabant, reprehendebant, detestabantur, blasphemabant. Quomodo se arctant homines, & dantur diuino illo iudicio multi in concupiscentiis cordis sui? Subitò euertebant ipsam domum illi qui murmurabãt de ipsa domo, & ab eis talia homines patiebantur, qualia se pati ipsi à talibus, paulo antè querebantur. Bonus ergo ille est, qui & quando potest mala facere, non facit, de quo scriptum est: Qui potuit transgredi, & non est transgressus; & facere mala, & non fecit. Quis est hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua. Loquebatur ibi scriptura de potentibus innocentibus. Et lupus enim tantum vult nocere, quantum leo. Dissimiliter nocent, sed non dissimiliter cupiunt. Leo enim non solùm contemnit canem latrãtem; sed etiam fugat, & venit ad ouile; & obmutescentibus canibus, rapit quod potest. Lupus non audet inter latratus canum. Nunquid propterea, quia non potuit auferre à canibus territus, innocentior remeauit? Docet ergo Deus innocentiam, vt quisque innocens sit, non timore pœnę, sed amore iustitiæ. Tunc enim liber est innocens, & verus est innocens. Qui autem timore innocens est, non est innocens, quamuis non noceat, cùm vult nocere. Non enim nocet alteri per effectum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam. [a] Nam quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur; & qui timent pœnam, & qui amant iustitiam, non furantur: & ideo pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate. [b] Tales ergo videri possent habere innocentiam ma-

Nota.

Ecclesiastici 31.

Vide Ser. 19. de verb. Apost.

[a] In Psal. 77. ante medium

[b] Ibidem in fine.

nuum, non tamen cordis. Et quæ tandem, aut qualis est ista innocentia, si cordis non est, vbi homo factus est ad imaginem Dei? *Qualis est ista innocentia, quæ habenti non solum nihil prodest, sed & nocet plurimum? Et mira res est; alteri, qui talis est, non nocet, & iam sibi nocet, licet nemo sentiat hoc, nemo videat,*

CAP. XXIIII.

Idem & hîc probatur: & quomodo isti murmuratores non sint imitandi, ostenditur.

a In Psal. 93. in præfat. Psalm. 10.

a NAm is quomodo sibi noceat, audi scripturam: Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Et reuera multum errant homines, qui putant iniustitiam suam aliis nocere, & sibi non nocere. Ad alios procedit iniquitas cuiuslibet, vt corpori noceat, vt rem familiarem lædat, vt villam inuadat, vt mancipium abducat, vt aurum auferat aut argentum; vel si quid aliud possit. Ergo iniquitas tua alieno corpori nocet, tuo animo non nocet? Contra istam simplicem veramq; doctrinã, qua insinuatur hominibus bonis, vt ipsam iustitiam diligant, & ex ea Deo placere velint, talia murmura sunt hominum: & si non procedunt in voce, roduntur in corde. Quid ergo dicunt? Verè placiturus sum Deo per iustitiam? aut iusti illi placent, sub cuius imperio mali florent? Tanta mala committunt, & nihil illis euenit mali. Aut si fortè euenit aliquid mali; quid tibi dicunt illi, cùm eis cœperis dicere: Ecce quanta fecit mala, quomodo illi redditum est, qualem exitum habuit? Incipiunt illi cogitare iustos, quibus mala euenerunt, & opponunt nobis, & dicunt: Si illi propterea mali accidit aliquid, quia iniquus fuit: illi quare accidit, qui tam iustè vixit? Qui eleemosynas tantas fecit; qui tam multa bona operatus est in ecclesia, quare talem sortem inuenit? quare talem exitum habuit, qualem ille homo, qui multa iniqua commisit? Ad hoc autem ista dicunt, vt ostendant, se propterea non facere mala, quia non possunt, aut quia non audent. Nam quid velit cor, lingua testatur: Et quidem etiam si lingua obmutesceret, & ipsa timore compressa esset: Deus videret intus, quid cogitaret homo, etiamsi alium hominem lateret. Intendant ergo tales, & curentur: atque vtinam nulla sint talia vulnera. Vtinam nulla sint. Non tamen rem superfluam facio dicere, si nulla ibi sunt vulnera. Instruantur corda *sanorum*, ad sanandos alios,

cùm

cùm audire talia cœperint. Credo enim quia vnusquisq; Christianus, cùm audierit aliquem dicentem talia, si bonus fidelis est, & bene credit Deo, & spes eius est in futuro sæculo, non in hac terra, non in hac vita; & non frustra audit, vt sursum cor habeat: irridet, & dolet talia murmurantes, & dicit sibi: Deus nouit quid agat; nos non possumus nosse consilium ipsius, quare parcit malis ad tempus, vel quare laborāt pij ad tempus. Sufficit mihi tamen hoc scire, quia & ad tempus laborat bonus, & ad tempus floret malus. Qui ergo talis est, securus est, & patienter fert *sine murmuratione* omnes felicitates malorum; & labores bonorum patienter fert; tolerat, donec finiatur hoc sæculum, donec transeat iniquitas. Iam talis etiam beatus est, Psalm. 93.
& erudiuit eum Deus de lege sua, & mitigauit eum à diebus malignis, donec fodiatur peccatori fouea.

CAP. XXV.

In qua re sancti fideles, cæli luminaribus similes sint.

1 QVi verò nondum est talis, audeat commendari patientiam aduersus felicitates malorum, & labores bonorum. 1 Ibidem inf.
Habes Paulum Apostolum dicentem sanctis fidelibus roboratis in Christo: Omnia facite sine murmuratione, & disceptatione, vt sitis irreprehensibiles, & sinceri, immaculati filij Dei, Philip. 2.
in medio nationis tortuosæ & peruersæ, in quibus apparetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ habentes. 2 Tales 2 Ibidem inf.
enim sancti, in quibus est verbum vitæ, de conuersatione, quam habent in cælo, despiciunt omnia iniqua, quæ fiunt in terra. Et quomodo luminaria in cælo per diem & per noctem procedunt, peragunt itinera sua, cursus certos habent; & committuntur tanta mala; nec deuiant desuper stellæ fixæ in cælo, agentes per tractus cælestes; quæ illis præstituit, & constituit creator ipsorum: sic debent sancti; sed si in cælo figantur corda eorum, si non frustra audiant & respondeant, Sursum se habere cor; si imitentur eum, qui ait: Nostra autem conuersatio in Philip. 3.
cælis est. Qui ergo sunt in supernis, & de supernis cogitant, sicut dictum est: Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum; de Matth. 6.
ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt: & quicquid in terra committitur, sic non curant, donec peragant itinera sua; quemadmodum non curant luminaria cæli, nisi quomodo exerceant dies & noctes: quamuis tanta mala videant fieri su-

per terram. Sed facile est fortè, vt ferant iusti iniquitates malorum; quæ nō in ipsos fiunt, &c. Non enim propterea debent ferre & tolerare, quia in alios fiunt: & si in se fiant, non debent perdere tolerantiam. Nam qui perdiderit tolerantiam, cecidit de cælo. Qui autem fixum habet cor in cælo, terra ipsius laborat in terra. Quanta & de ipsis luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt? Quomodo nō iusti patienter debent ferre omnes etiam de se falsas criminationes? *Quid fingunt, & quid dicunt de cæli luminaribus homines?* Hoc ipsum quod iam dudum *dici audiuimus*: quia illa stella Mercurij, & illa stella Saturni est, & illa stella Iouis. *Hæc cùm dicuntur*, conuitia fiunt stellis. Quid illæ, cum audiunt tanta conuitia? Nunquid mouentur, aut non exercent cursus suos? Sic & homo, qui in natione peruersa & tortuosa habet verbum vitæ, sicut luminare est fulgens in sæculo. Quanta hæretici, qui sibi videbantur honorare solem, de illo mentiebantur? Qui dicebant, Christus est sol, mentiebantur de sole. Nouit sol Dominum suum esse Christum, & creatorem suum. Et si indignari possit, acerbius indignaretur contra falsò honorantem, quàm cōtra contumeliosum. Seruo enim bono, maior contumelia est, iniuria Domini. Quædam etiam de luna mentiuntur homines, quando vident obscurari lunam: & dicunt, Malefici illam deponunt: cùm certis temporibus defectum suum habeat, secundum Dei dispositionem. Non curat tamen ista verba hominum, illa, quæ in cælo est. Sed quid est in cælo? In firmamento cæli est. Cuius ergo cor in firmamēto Dei est, ista nō curat. Ipsum cor ipsius luminare est. In cælo fulget, nec vincitur tenebris. Infra enim sunt tenebræ: tenebrę autē iniquitas, non incōmutabiles tenebræ. Sed qui hodie tenebræ sunt, si velint, cras lucebunt. Apertè enim Apostolus, ne quis putaret naturales esse iniquitates, quæ mutari non possunt; Fuistis enim, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; sicut filij lucis ambulate. Lux, inquit, in Domino, non in vobis. Si ibi est cor, inde lucet: & non mouebitur iniquitatibus subterpositis: non quia ibi est per carnem, sed quia ibi est per conuersationem; secundum quod dictum est: Nostra autem conuersatio in cælis est. Vis cogitare cælum? *Verbum* Dei cogita. Audi Psalmum: Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Et ibi beatus dictus est, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum nō stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini fuit

Loquitur de Manichæis.

Ibidem inf.

Ephes. 5.

Philip. 3.

Psalm. 1.

voluntas eius. Vide luminare in cælo. Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Ergo in cælo cor eius. Si in cælo cor eius; omnes iniquitates, quæ fiunt in terra ad tempus, omnes felicitates hominum malorum, omnes labores iustorum, meditanti die ac nocte *in verbo Dei*, legem Dei, nulla sunt; & patienter tolerat omnia; 4 Donec *in terra* fodiatur peccatori fouea. Si enim in lege Domini voluntas eius est, & in lege eius meditabitur die ac nocte, cuius conuersatio in cælis est; de firmamento lucet super terrã, vt omnia perferat & faciat sine murmuratione, verbum vitæ habens in natione tortuosa & peruersa. Sicut enim stellas in cælo non extinguit nox: sic illustratas mentes fidelium, inhærentes scripturæ Dei, non vincit iniquitas. Et hoc ipsum, quod & nostra terrena dantur aliquando in potestatem malorum, non solum ad nostram pertinet eruditionem, sed etiam ad ipsius peccatoris foueam proficit, de quo in Psalmo dicitur: Inclinabitur, & cadet, cùm dominabitur pauperum, *hoc est iustorum. Tales enim pauperes in multis laboribus hic flagellãtur, vt à Deo recipiantur: oppressores verò illorũ prosperantur diebus istis malignis, vt cadãt: florent, vt intereant.*

4 In fine expofit. eiusdẽ Psalmi.

Psalm. 9.

Cap. XXVI.

Malis, qui hic florent, quare parcat Deus: & iustos quare flagellet.

QVid enim? 1 Maligni sunt dies, quibus videntur florere peccatores, & laborare iusti? *Vtique maligni*. Sed labor iustorum, flagellum est patris; & felicitas peccatorum, fouea ipsorum est. Non autem cogites, quia modò in aliquo loco stant angeli cũ tridentibus, & fodiunt istam foueam magnam, quæ possit capere omne genus iniquorum. Et quia vides multos esse iniquos, ne dicas tibi carnaliter: Reuera tantam multitudinem iniquorum, tantam turbam peccantium, quæ fouea potest capere? quando foditur fouea talis, quæ omnes capiat? quando exhauritur? Ideo parcit Deus. Non hæc est fossa peccatorum: ipsa felicitas peccatorum, *& terrena prosperitas*, fossa ipsorum est: In illam enim cadunt, tanquam in foueam. Intende, quia magna res est, vt felicitas fouea dicatur, in eo quod scriptum est, Donec fodiatur peccatori fouea. Parcit enim illi Deus, quem nouit peccatorem & impiũ, occulta iustitia sua: & hoc ipsum, quod parcit ei Deus, per impunitatem facit eum

1 Ibidem in medio expos.

Psalm. 93.

elatum. Ille se altum putat, & cadit: in eo ipso cadit, quo se altum putat. Hoc se ille putat sublimiter ire, & Deus hoc foueam vocat. Fossa ad ima tendit, non ad cælum. Peccatores autem superbi, quasi in cælum eunt; & in terram merguntur. Contrà humiles, quasi in terram se deprimunt, & in cælum
a Ibidem inf. ascendunt. a Erigitur superbus in Deum: mergit illum Deus: & in eo ipso mergitur, quo erigitur in Deum. Nam in alio Psal-
Psalm.72. mo sic ait, Deiecisti eos, dum extollerentur. Non dixit: Deiecisti eos, quia elati sunt: aut, Deiecisti eos, posteaquā elati sunt; vt aliud sit tempus elationis eorum, aliud tempus deiectionis: sed in eo ipso, quo extollebantur, ibi deiiciebantur. Quantum enim superbum est cor hominis, tantum recedit à Deo: & si recedit à Deo, in profundum it. Nam contrà cor humile de cælo adducit Deum, vt proximus fiat. Certè altus est Deus, super omnes cælos est Deus, transcendit omnes angelos. Quantum habes erigi, vt attingas ad illum excelsum? Nolo te rumpas, extendendo te. Aliud consilium tibi do. Certè altus est: tu humilia te, & descendet ad te. Audiuimus, quare parcat malis; hoc ipsum fossa ipsorum est, dicit tibi Deus. Quomodo illis foditur, & quare illis foditur fouea, non est tuum cognoscere: sed ex lege mea disce patientem te esse debere, donec ista fodiatur peccatori fouea. Et quid de me, inquis, qui laboro; & la-
Psalm.94. boro inter ipsos peccatores? Respondetur tibi, Quia non repellet Dominus plebem suam. Exercet, non repellit: quomo-
Hebr.12. do dicit alio loco scriptura: Quoniam quem diligit Deus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Ille flagellatum recipit; tu dicis, quia repellit? Videmus homines in filiis suis facere illud. Aliquando iam desperatos filios suos dimittunt viuere quomodo volunt. Eos qui spem habent, flagellāt: illos verò quos omnino viderint sine spe, & indomitos esse, dimittunt, vt faciant quod volunt. Iam quem pater dimittit facere quod vult, non vult admittere ad hæreditatem suam: eum autem flagellat filium, cui ipsam hæreditatem seruat. Cùm autem flagellat Deus filium, curat sub manu patris flagellantis: quia qui flagellat, ad hæreditatem erudit. Ab hæreditate non repellit filium quem castigat: sed ideo flagellat, vt recipiat. Non sit tam vano ille sensu, & puerili, vt dicat, Plus amat Pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult: ego si me mouero contra iussionem patris mei, flagella inuenio. Tu gaude sub flagellis: quia tibi seruatur

hære-

hæreditas: quia non repellet Dominus plebem suam. Ad tempus emendat, non in æternum damnat. Illis autem ad tempus parcit, in æternum illos damnabit. Elige tibi: temporalem vis laborem, an sempiternam pœnam? temporalem felicitatem, an sempiternam vitam? Quid minatur Deus? Sempiternam pœnam. Quid promittit Deus? Sempiternam requiem. In quo flagellat Deus, temporale est: in quo parcit malis, temporale est.

CAP. XXVII.

Instruuntur, qui propterea murmurant contra Deum, quòd mali floreant, boni laborent.

1 SEd reuera, hoc te perturbat hominem Christianum, quia vides malè viuentes felices, rerum istarum copia circumfluere, sanos esse, superbis dignitatibus eminere, incolumem habere domum, gaudia suorum, obsequia clientium, excellentissimas potentias, nihil triste interpellare vitam ipsorum. Mores nequissimos vides, facultates copiosissimas respicis: & dicit cor tuum, nullum esse diuinum iudicium: omnia casibus ferri, & fortuitis motibus ventilari. Nam si Deus, inquis, res humanas respiceret, non floreret illius iniquitas, & mea innocentia laboraret. Quid est? quid dicebas? Quid dicebam, inquis, nisi quod vides? Mali florent, boni laborant. Quomodo ista videt Deus? 2 Vicinus ille meus nequam, malè agens, & florens est: furta eius, adulteria eius, rapinas eius ego noui: in omnibus elatus, superbus, per iniquitatem exaltatus, non me dignatur agnoscere. In his quomodo durabo? Morbus ille est; bibe contra: Ne subæmuleris eum, qui prosperatur in via sua. Prosperatur vicinus, sed in via sua: laboras tu, sed in via Dei. Illi prosperitas in via est, in peruentione infelicitas: tibi labor in via, in peruentione felicitas; quoniam iter impiorum peribit. Nouit Dominus vias iustorum, & iter impiorum peribit. Has vias ambula, quas nouit Dominus. Et si ambulas in eis, non te fallunt. Via verò impiorum, felicitas est transitoria: finita via, peracta est felicitas. Quare? Quia via illa lata est, finis eius in profundum inferni perducit. Via verò tua angusta est, & pauci ingrediuntur per eam: sed ad quam latitudinem perueniant, debes cogitare. An 3 via peccatorum placet tibi, quia lata est hîc, & multi per illam ambulant? Latitudinem eius vides, finem eius non vides. Ecce vbi finitur, præcipitium est; vbi

1 In Psal. 36. conc. 1. ante medium.

2 Ibidem inf.

Psalm. 36.

Psalm. 1.

Matth. 7.

3 In Psal 145. ante finem.

finitur, profunditas quædam barathri est. Lętantes, & si patientes in ista via, illo fine merguntur. Sed extendere oculos non potes, vt videas ipsum finem: crede ei qui videt. Et quis est qui videt? Homo? Fortè nemo homo: sed Dominus Deus tuus venit ad te, vt crederes Deo. Num enim & Domino tuo non es crediturus, qui ait; Lata & spatiosa est via, quæ ducit ad interitum, & multi sunt, qui ingrediuntur per illam? Hanc viam exterminabit Dominus, quia ipsa est via peccatorum. 4 Sed fortè hic dicturus es: Quare ergo felices sunt? Ecce nec Deum colunt, & omnia mala quotidie committunt, abundant rebus his, quibus ego egens laboro. Noli zelare in peccatores. Quid accipiant, vides: quid illis seruetur, non vides. Et vnde, inquit, video, quod non video? Omnino habet oculos fides; & maiores oculos, & potentiores, & fortiores. Hi oculi neminem deceperunt. Hi oculi sint semper in Dominum, vt & ipse euellat de his laqueis, *de his tentationibus & fluctibus*, pedes tuos. 5 Vides malos florere, bonos laborare: *deceptio est*, tentatio est, fluctus est. Et dicit anima tua: O Deus, Deus: Ipsa est iustitia tua, vt mali floreant, boni laborent? Dicis Deo: Ipsa est iustitia tua? Et Deus tibi: Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promisi? Ad hoc Christianus factus es, vt in sæculo isto floreres; & in futuro postea in inferno miserrimè torquereris? Quia hîc mali florẽt, qui cum diabolo postea torquebuntur. 6 Noli esse vir imprudens & stultus, vt hæc intendendo intereas in sæculum sæculi. Isti florent felicitate sæculi: pereunt in virtute Dei. Non enim quomodo florent, sic pereunt. Florent enim ad tempus, pereunt in æternum. Florẽt falsis bonis, pereunt veris tormentis. 7 Hoc velles & tu? Ignoras quid tibi promiserit, qui ad te veniet, quid in seipso hîc ostenderit? Si flos appetendus esset, ipse Dominus tuus nónne & in hoc sæculo floruisset? An verò deerat illi, vt hîc posset florere? Sed hîc maluit latere, & dicere Pontio Pilato, interroganti, tanquam & ipsi flori, & suspecto de regno eius: Regnum meum non est de hoc mundo. Ergo hîc latebat; & omnes boni latent hîc, quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, vbi fides, vbi charitas, vbi spes; vbi thesaurus illorum. Nunquid hæc bona apparent in sæculo? Et hæc bona latent: & horum bonorum merces latet. At verò dignitas sæculi quomodo alba est? Nitet ad tempus. Nunquid semper nitebit? Herba est hyemalis, vsque ad æstatem viret. 8 Tam diu videtur herba lætior, quã arbor, quamdiu hyems

Matth. 7.
4 Ibidẽ supra.
Psalm. 24.
5 In præfat. enarrat. 2. in Psalm. 25.
6 In Psal. 53. post medium.
7 Ibidem in initio.
Ioan. 18.
8 In Psal. 48. conc. 2. post princip.

hyems est. Herba enim per hyemem viget: arbor per hyemem quasi arida est. Cùm sol exierit feruentior tempore æstatis, arbor, quæ per hyemem arida videbatur, expletur foliis, profert fructus: herba autem arescit. Videbis honorem arboris: herba arida est. Sic & modò iusti laborant, antequam veniat æstas. Est vita in radice, nondum apparet in ramis. Radix autem nostra charitas est.

CAP. XXVIII.

Qui modò laborant, dominabuntur postea, quando peccator, qui exiguo tempore floret, loco suo, quem nunc habet, excidet.

1 TVmeant *itaque modò* superbi, & diuites huius sæculi; impij bonis insultent, infideles fidelibus, & dicant, Quid vobis prodest, quia credidistis? quid plus habetis, quia Christum habetis? Respondeant fideles, si verè fideles sunt: Nox est, nondum videtur quod tenemus. Non quiescant manus in bonis operibus. Vnde alibi dicitur: In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte cõtra eum, & non sum deceptus. Apparebit labor noster manè, & erit fructus manè, vt illi qui modò laborant, postea dominentur; & illi qui modò se iactant, & superbiunt, *& florent*, postea subiiciantur. *Sed inquis*: 2 Quamdiu peccator florebit? quãdiu ego *laborem* sustinebo? Festinas; cito erit, quod tibi diu est. Infirmitas facit diu videri, quod citò est. Quomodo inueniuntur desideria ægrotorum? Nihil tam diu, quàm vt calix sitienti præparetur. Vtique festinatur à suis, ne fortè offendatur infirmus. Quando fiet? quando coquetur? quando dabitur? Celeritas est in illis, qui tibi seruiunt; sed infirmitas tua diuturnum putat, quod citò agitur. Ergo vide medicum nostrum *in Psalmo quodam* blandientem tibi infirmo, & dicenti: Quamdiu durabo? quamdiu erit? Et adhuc, inquit, pusillum, & non erit peccator. Inter peccatores certè gemis, de peccatore gemis: pusillum, & non erit. Modicum sustine: sine fine accipies, quod sustines. Recole annos ab Adam, vsque in hodiernum diem; percurre scripturas: heri penè Adam ille de paradiso lapsus est. Tot sæcula emensa voluta sunt. Vbi sunt præterita tempora? Sic pauca, quæ restant, vtique transibunt. Si toto illo tempore viueres, ex quo Adam de paradiso dimissus est, vsque in hodiernum diem: certè

1 Ibidem inf. immediatè.
Psalm. 76.
2 In Psal. 36. conc. 1. in medio.
Psalm. 36.

certè videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic auolasset. Vnius autem cuiusque hominis vita quanta est? Adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem; quid est? Nónne aura est matutina? Ergo longè sit dies iudicij, quando erit retributio iniustorum & iustorum: tuus certè dies vltimus longè abesse non potest. Ad hûc te præpara. Qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ. Ergo quantum est, quod festinamus, & dicimus; quando erit? Tardum erit: hoc dicturi sunt filij nostri; & hoc dicturi nepotes nostri. Et cùm singuli quique sibi succedentes hæc dicturi sint; sic transit, quod adhuc pusillum futurum est, quemadmodū transiit totum, quod iam præteritum est. O infirme, adhuc pusillum, & non erit peccator. Et quæres locū eius, & non inuenies, *inquit, idem Psalmus*. Ostendit enim quod dixit, Non erit. Non quia omnino non erit; sed quia ad nullos vsus esse poterit. Si enim omnino non erit, nec torquebitur. Iam ergo securitas data est peccatori, vt dicat, Faciam quicquid volo, quandiu viuo; postea non ero. Non erit qui doleat; non erit qui torqueatur. Et vbi est, Ite in
Matth. 25. ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius? Sed fortè missi in ignem æternum, non erunt; & consumentur. Non illis diceretur, Ite in ignem æternum: quia non futuris, non esset æternus. Et tamen quid illic futurum sit eis, vtrum omnino consumptio, an dolor & cruciatus, non tacuit Dominus dicens: Ibi erit ploratus, & stridor dentium? Quomodo ergo plorabunt & stridebunt dentibus, si non erunt. Quomodo ergo adhuc pusillum, & non erit peccator: nisi quomodo in consequenti versu exposuit: Et quæres locum eius, & non in-
☞ uenies? Quid est, Locū eius? Vsum eius. Habet enim aliquem vsum peccator? Habet. Hîc vtitur illo Deus ad probandum
Iob 1. iustum; quomodo vsus est diabolo, ad probandum Iob: quomodo vsus est Iuda, ad tradendum Christum. Est ergo in hac vita, quod agatur de peccatore. Hîc est locus eius, quomodo est in fornace aurificis locus paleæ. Ardet palea, vt aurum purgetur: Sic sæuit impius, vt iustus probetur. Sed cùm transierit tempus probationis nostræ, quando non erunt qui probentur; non etiam erunt per quos probentur. Nunquid, quia diximus non erunt qui probentur, non erunt ipsi? Sed quia iam non opus erit peccatoribus, per quos iusti probentur; *rectè dicitur*, Et quæres locum eius, & non inuenies. Modò ergo quære locùm peccatoris, inuenies. De peccatore fecit Deus flagellum: dedit

dedit ei & honorem, dedit ei & potestatem. Aliquando enim facit hoc; dat peccatori potestatem: flagellãtur inde res humanæ, emendantur inde pij. Peccatori illi hoc redditur, quod debetur: & tamen factum est de illo, vnde proficiat pius, vnde deficiat impius.

CAP. XXIX.

Præcedentium epilogus, quo etiam instruuntur quidam murmurantes contra Deum.

PRoinde[1] si iam verus Christianus es, & bene eruditus; dicis, Deus iudicio suo reseruet omnia, Boni laborant, quia flagellantur vt filij: mali exultant, quia damnantur vt alieni. Duos filios habet homo; alterum castigat, alterum dimittit. Facit vnus malè, & non corripitur à patre: alter mox vt se mouerit, colaphis cæditur, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur, nisi quia huic cæso hæreditas seruatur; ille autem dimissus exhæredatus est? Videt eum pater non habere spem, & dimittit eum, vt faciat quod vult. Puer autem qui flagellatur, si cor non habuerit, & imprudens fuerit, & stultus; gratulatur fratri suo, qui non vapulat, & gemit de se, & dicit in corde suo, Tanta mala facit frater meus: quicquid vult, facit contra præcepta patris mei, & nemo facit illi durũ verbũ: ego mox vt me mouero, cædor. Stultus est, imprudens est, attendit quid patitur, & non attendit quid illi seruetur. *Talis est etiam*[2] qui videt se quotidie in bonis operibus versantem, & laborantem in angustia rerum, fortè in inopia rei familiaris, forte in fame & siti, & nuditate; forte se in carcere bona facientem; & illum, à quo in carcerem missus est, mala facientem & exultantem; & subintrat in cor pessima cogitatio aduersus Deũ, & dicit; Deus, quare tibi seruio? quare obedio verbis tuis? Non rapui aliena, non furtum feci, non hominem occidi, non cuiusquam rem concupiui, non falsum testimonium aduersus aliquem dixi, non patri vel matri iniuriam feci, non ad idola inclinatus sum, non accepi nomen Domini Dei in vanum, seruaui me à peccato. Enumerat decem præcepta legis, & interrogat secundum singula, & videt se non peccasse, nec in vno: & contristatur, quia talia multa patitur: & illi, qui nihil boni operantur, consulunt idola. Et fortè tunc videntur Christiani, quando nihil mali patiuntur domus eorum: quando autem aliqua ibi tribulatio est, currunt ad pythonem, aut sortilegum, aut mathematicum

1 In Psal. 91. post medium

2 Ibidem in medio.

ticum. Dicitur illi nomen Christi: subsannat, torquet os. Dicitur illi, Fidelis, cur consulis mathematicum? Et ille: Recede à me. Ipse mihi prodidit res meas. Nam perdidissem, & in planctu remansissem. Homo bone, nónne signas te signo crucis Christi? Et lex omnia ista prohibet. Gaudes, quia res tuas inuenisti: non es tristis, quia tu peristi? Quanto melius tunica tua periret, quàm anima tua? Subsannat in his omnibus, contumeliosus est parentibus, odit inimicum, insectatur vsque ad mortem, furatur vbi occasionem inuenerit; à falso testimonio non cessat, insidiatur matrimonio alieno, concupiscit rem proximi sui: facit hęc omnia, & floret in diuitiis, in honoribus, in excellentia mundi huius. Videt eũ ille miser bene operant, & mala patiens, perturbatur & dicit; Deus, puto, mali tibi placent, & bonos odisti: amas eos, qui faciunt iniquitatẽ. 3 Quid mihi prodest innocentia? Quid mihi confert, quòd Deo seruio? quòd maudata eius custodio, quòd neminem premo, nemini aliquid rapio, nulli noceo; quòd possum, præsto? Ecce hæc omnia facio, & florent illi, *qui mali sunt*; ego laboro. 4 Et æmulatur eos, & adducitur, vt imitetur facta ipsorum: quia videt quasi nihil sibi prodesse, quod bene viuat humilis, hîc sperans mercedem. Nam si illam speret futuram, non illam perdet, quia nondum venit tempus, vt accipiat eam. In vinea, ô homo, operaris: fac opus tuum, & accipies mercedem tuam. A patrefamilias non exigeres, antequam opereris: & à Deo exigis, antequam opereris? Et ista tolerantia ad opus tuum pertinet; & hoc ad mercedem pertinet. Minus vis facere in vinea, qui non vis tolerare: quia & ipsa tolerantia ad ipsam operationem pertinet; vt inuenias mercedem. Quod si dolosus es, vide ne non solum non accipias mercedem, sed & pœnam inuenias: quia voluisti esse operarius dolosus. Et quidem operarius dolosus, vt incipiat non benefacere, oculos patrisfamilias attendit, ad illum aspicit, qui conduxit ad vineam: vt cùm ille auerterit oculos, cesset, & non bene operetur: cùm autem ille aduerterit oculos, bene operetur. Deus autem qui te conduxit, non auertit oculos: non tibi licet dolos operari. Super te sunt semper oculi patrisfamilias; quære vbi illum fallas, & si potes, cessa.

3 In Psal. 53. post initium.

4 In Psal. 93. in medio.

CAP.

CAP. XXX.

Quomodo, qui seipsos excusare volunt, dum aliquid mali patiuntur, vel Deum accusent, vel alios homines.

1 AVdiamus ergo iam voces multorum: audiat vnusquisque, & pungatur. Quid solẽt homines dicere? Verè non iudicat Deus de rebus humanis. Et est vllum iudicium Dei? aut verò curat, quid agatur in terra? Tam multi iniqui redundant felicitatibus, innocentes premuntur laboribus. Sed illi querulo accidit nescio quid mali, castigante Deo, & admonẽte, & nouit conscientiam suam: nouit pro merito peccatorum suorum aliquid se posse perpeti, vnde argumentetur aduersus Deum. Quia non potest dicere, Iustus sum, quid putamus eum dicere? Sunt peiores iniqui; & tamen ista non patiuntur. Hæc est iniquitas, quam loquuntur homines aduersus Deum. Vide autem quàm iniquum sit, dum se vult iustum videri, illum facit iniustum. Qui enim dicit, Iniquè patior, quod patior: illum iniquum facit, cuius iudicio patitur; se autem iustum, qui iniquè patitur. Rogo te, æquúm est hoc, vt Deus credatur iniustus, tu iustus? Cùm autem hoc dicis, loqueris aduersus Deum iniquitatem. 2 Quid tam prauum? Prauum est, quia tu tortus es, & tortam regulam putas. Corrige te, & inuenies rectum, à quo te deprauasti. Ille iustus, tu iniustus: & ideo peruersus es, quia hominẽ iustum dicis, & Deum iniustũ. Quem hominem iustum dicis? Teipsum. Quando enim dicis, Quid tibi feci? iustum te putas. Sed respondeat tibi Deus: Verum dicis, mihi nihil fecisti: omnia enim tibi fecisti. Si enim mihi aliquid fecisses, bonum fecisses. Quicquid enim bene fit, mihi fit: quia ex præcepto meo fit. Quicquid autem malè fit, tibi fit, non mihi fit: quia non facit malus aliquid, nisi sibi, quia hoc non ego iubeo, *inquit Deus.* 3 Iam ergo tu nihil mali fecisti, & tu iustus es, ille iniustus? Peccator sum, inquis, fateor: iustum me non dico. Sed quid? Peccator. Nunquid tantum, quantum ille, cui bene est? Quantum Caius? Ego scio mala ipsius, ego scio iniquitates ipsius; à quibus ego, etsi peccator, longè absum: & tamen video eum florere omnibus bonis, & ego tanta patior. Non ergo ideo dico; Deus, quid tibi feci, quia nihil omnino mali feci: sed quia non tantum feci, vt ista sim dignus pati. Iterum tu iustus es, ille iniustus. Non, inquit, ego iustum me dixi. Quid ergo tu dicis? Peccator sum: sed nõ tanta commisi,

1 In Psal. 72. post medium.

2 In Psal. 100. in medio.

3 In Psal. 70. cōc. 2. in med.

mili, vt illa dignus sim pati. Non ergo dicis Deo, iustus sum, tu iniustus es: sed dicis, Iniustus sum, sed tu es iniustior. Ecce iam bellum gerit anima tua. Quæ? contra quem? Anima tua contra Deum, quæ facta est contra illum, à quo facta est. Vel quæ es, quæ contra illum clames? Ingrata es, *infirma es*. Redi ergo ad confessionem infirmitatis tuæ, implora medici manum. Non tibi videantur felices, qui florent ad tēpus. Tu castigaris; illis parcitur: fortè tibi castigato & emēdato filio hæreditas reseruatur. Redi ergo, redi præuaricator ad cor. Potentior est multum, cui bellum indixisti. Quanto grandiores lapides miseris in cælū; tanto te fortior ruina pressura est. Redi potius ad cognoscendum te; Deus est, qui tibi displicet. Erubesce, tu tibi displice; nihil boni faceres, nisi ille bonus esset: & nihil mali patereris, nisi ille iustus esset: *& nisi verum esset, quod Psalmus habet*: Quoniam rectus Dominus, & non est iniquitas in eo. *Sed inquis*: Quomodo non est iniquitas? Tanta mala fecit quis, sanus est, filiosque habet, & plenam domum; abundat gloria, exaltatur honoribus, de inimicis vindicatur, & omnia mala cōmittit. Alius innocēs sui negotij, non rapiens aliena, non contra quenquam faciens, laborat in vinculis, in carceribus, in inopia æstuat, & suspirat. Quomodo non est iniquitas in eo? Esto tranquillus, & intelliges: nam perturbaris, & in cubiculo tuo obscuras tibi lucem. Radiare tibi vult æternus Deus: noli tibi facere nubilum de perturbatione. Esto tranquillus in te, & vide quid tibi dicatur. Quia Deus æternus est, quia modò parcit malis, adducens illos ad regnum cælorum: non est iniquitas in eo. Noli timere Ecce, inquis, ego flagellatus sum tantum; manifestum est, cōfiteor, peccaui: non enim dico me iustum. Hoc enim dicūt plerique. Quando est fortè quisquam in aliqua miseria, in doloribus; intras consolari illum. Et ille, Peccaui, fateor, multa sunt peccata mea, agnosco illa. Sed nunquid tanta peccaui, quanta ille? Ego noui quanta fecit ille: ego noui quāta commisit. Peccata mea sunt, fateor illa Deo: sed minora sunt, quàm illius; & ecce, ille nihil mali patitur. Noli turbari, tranquillus esto, vt scias quoniam rectus Dominus, & non est iniquitas in eo. Quid, si te propterea flagellat modò, quia non tibi seruat ignem æternum? Quid, si illum propterea dimittit modò, quia auditurus est, Ite in ignem æternum?

q In Psal. 91. in fine.

Matth. 25.

CAP.

CAP. XXXI.

Bonus non murmuret contra Deum, quod malis parcat, in quos vindicabitur in fine.

1 NOli ergo murmurare aduersus Deum, qui quasi parcit malis: sed esto bonus, cui fortè ad tempus in flagello non parcat, & in fine parcat in iudicio. 2 In eo certè murmuras, quia non vindicatur in malis. Noli murmurare, ne inter illos sis, in quos vindicatur. Facit ille furtum, & viuit. Tu murmuras aduersus Deum, quia non moritur, qui tibi furtum fecit. Si iam non facis furtum, vide. Si enim iam non facis, vide ne aliquando fecisti. Si iam dies es, recole noctem tuam. Si iam cælo fixus es, recole terram tuam. Inuenis te furem fortasse fuisse aliquando, & aliquem alium fortè stomachatum, quia & tu furtum faciens vixisti, & nō es mortuus. Quomodo autem tu, quando faciebas, ideo vixisti, vt postea non faceres: noli, quia transisti, velle misericordię Dei pontem subuertere. Nescis illuc multos transituros, quo & tu transisti? Esses modò, qui murmurares, si aduersus te audiretur, qui prior de te murmurauit? Et tamen & nunc optas vindictam Dei in malos, vt fur moriatur, & murmuras aduersus Deum, quia fur non moritur. Appende in statera æquitatis, furem & blasphemum. Iam dicis, quia fur non es: sed murmurando aduersus Deum, blasphemus es. Ille captat somnum hominis, vt aliquid inuolet: & tu dicis, quia dormit Deus, & hominem non videt. Ergo vis, vt corrigat ille manum; prior tuam linguam corrige. Vis, vt ille corrigat cor aduersus hominem; tu corrige cor aduersus Deum: ne fortè cùm optas vindictam Dei, si venerit, te priorem inueniat. Nam illa veniet, & vindicabit perseuerantes in nequitia sua, ingratos prærogationi misericordiæ ipsius, ingratos patientiæ ipsius, thesaurizantes sibi iram, in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua: quia Deus vltionum Dominus, *sicut Psalmus habet*: Deus vltionum ideo fidenter egit. Nulli enim pepercit, quando hîc locutus est: ipse dominus erat in caruis infirmitate, sed in virtute sermonis non accepit personas principum Iudeorum. Quanta in illos dixit? 3 Neminem timuit. Quare? Quia Deus vltionum est. Ideo nō parcebat in verbo, vt essent postea, quibus parceret in iudicio: quia si nollēt accipere verbi medicinam, incursuri erant vtique, & inuenturi iudicis sententiam. Qui igitur in verbo non pepercit passurus, parcet in senten-

Marginal notes: 1 In Psal. 93. à principio. 2 Ibidem. in princip. Rom. 2. Psalm. 93. 3 Ibidem inf.

sententia iudicaturus? Qui neminem timuit in humilitate, timebit quenquam in claritate? Quid tunc dicturus est? *Non quod dicunt hic, qui peccant, & florent, & in quos non vindicat Deus. Quid enim illi dicūt?* Verè curat ista, quæ facimus, Deus? Quia enim viuunt, putant Deum nescire quod faciunt. Vide quid mali illis contingat: quia si stationarius sciret, teneret illos, & ideo vitant oculos stationarij, ne statim teneantur. Oculos enim Dei vitare nemo potest: quia non solum in cubiculo videt, sed & intima cordis tui. Cogitant & ipsi, quia nihil potest latere Deum. Et quia faciunt, & sciunt quid fecerunt, & vident se viuere sciente Deo, qui non viuerent sciente stationario: dicunt sibi, Ista placent Deo. Et reuera si illi displicerēt facta nostra, quomodo displicent iudicibus, quomodo displicent regibus, quomodo displicent imperatoribus, & quomodo displicent commentariensibus: nunquid, quomodo illorum oculos vitamus, vitare possumus oculos Dei? Ergo placent ista Deo. Sed quid in Psalmo peccatori dicitur? Hæc fecisti, & tacui: suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis. Quid est ergo, Ero tibi similis? Vt quomodo tibi placet factum tuum malum, sic putes quia & mihi placet? Et minatur in posterum: Arguam te. Ergo non tacet, qui dixit, tacui. Cùm dicit, Hæc fecisti, & tacui: suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis: non tacet. Cùm enim nos loquimur, ille non tacet. Cùm enim lector legit, ille non tacet. Cùm Psalmus ista cantat, ille non tacet. Et istæ omnes voces Dei per orbem terrarum fiunt. Quomodo ergo tacet? quomodo non tacet? Non tacet in verbo, tacet in vindicta. Quid est ergo, Hæc fecisti, & tacui? Hæc fecisti, & non vindicaui. De ipsa vindicta & taciturnitate, id est, de cessatione vindictæ, alio loco dicit: Tacui; nunquid semper tacebo? *Ergo tacet nunc Deus, dū parcit malis & florētibus in isto sæculo: sed nō semper tacebit, quia talibus in fine dicturus est, Ite maledicti in ignē æternū, qui præparatus est diabolo, & angelis eius.*

Ibidē infra. — Psalm. 49. — Esaiæ 42. — Matth. 25.

CAP. XXXII.

Magna res est cognoscere, quomodo hic mali floreant, & boni laborent: quamq; profunda sit ista Dei cogitatio, quòd hoc fieri permittat, ostenditur.

In Psalm. 48. conc. 2. post medium. I

QVid igitur *amplius dicam de illis*, qui hic volunt florere? *& quid pro tua cohortatione & consolatione, ô homo miser & infirme, qui hoc tranquillo corde ferre non potes, adducturus sum?*

sum? Tu quippe externis oculis visurus es hominem florentem malum, & fortè titubabunt pedes tui, & dicturus es in anima tua, Deus, ego noui facta hominis huius, quæ scelera fecit iste homo & ecce, floret, terret, dominatur, extollitur, caput illi non dolet, nihil in domo eius diminutum est: & timebis quia credidisti, & fortè dicet cor tuum, Me miserum, puto sine causa credidi: Deus non curat, neque respicit res humanas. 2 Sed si internos habeat quisque oculos, sicut dixit Psalmus, Oculis tuis considerabis: non est leue videre pium laborantem, & impium florentem in hoc sæculo, & habere ad impium oculos, vt consideres fi..le, quid ille passurus est in fine, si se nō correxerit: quia qui modo tonare volunt, postea fulminabuntur. 3 Verè magnus labor est, cognoscere hoc, quo modo & Deus curet res humanas, & bene sit malis, & laborēt boni. 4 Magna res, vt cognoscas quomodo & iustus sit Deus, & nō sit iniquus, quod peccatores & scelera facientes, felicitatem habent in hac terra: pij verò, & Deo seruientes in tentationibus plerumque, & in laboribus fatigantur. Magna difficultas est hoc scire. 5 Hoc nos docens, quid ait Psalmista? Quàm magnificata, inquit, sunt opera tua Domine; nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Reuera nullū mare tam profundum est, quàm est ista cogitatio Dei, vt mali floreant, & boni laborent. Nihil tam profundum, nihil tam altum, vbi naufragat omnis infidelis; in isto alto, in isto profundo. Vis transilire profundum hoc? A ligno Christi noli resilire: ne mergaris, tene te ad Christum. Quid est quod dico, tene te ad Christum? Ideo voluit ipse in terra laborare. Audis, cùm propheta legitur, non auertisse eum scapulas à flagellis, non auertisse eum faciem à sputis hominum, non auertisse maxillas à palmis eorum. Quare omnia ista pati voluit, nisi vt consolaretur patientes? Nam poterat & ipse in fine resuscitare carnem suam: sed tu qui non videras, non esset quod sperares. Non distulit resurrectionem suam, ne tu adhuc dubitares. Eo ergo fine patere, & tolera tribulationes in mundo, quemadmodum attendisti in Christo: & non te moueant, qui faciunt mala, & in isto sæculo florent. Nimis profundæ factæ sunt cogitationes Dei. Vbi est cogitatio Dei? Ad præsens habenas laxat, sed postea adstringet. Noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exultat: nōdum traxit hamum piscator. Nam iam ille hamum habet in faucibus: 6 Sed cùm piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primò, deinde ab

2 In Psal. 91. conc. 1. in fine Psalm. 91.

3 In Psal. 91. post mediū. 4 Ibidem inf.

5 In Psal. 91. in medio.

Esaiæ 50.

6 Tom. 3. de Agone Christ. cap. 7.

ab omni lætitia sua, per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus, vt sentiant, quanta tormenta, cum auiditate deuorauerint.

CAP. XXXIII.

Prosperitas huius sæculi plus periculi habet, quàm ipsa aduersitas.

1 In Psal. 41. ante medium. 1 QVid ergo dicis? quasi gratulari me cogis, si aliqua huius sæculi prosperitas arriserit? Nónne deceptoria est? Nónne fluxa, caduca, mortalis? nónne temporalis, volatica, transitoria? Nónne plus habet deceptionis, quàm delectationis, & dilectionis? Cur ergo non & in ipsa, *quæ ad perditionem trahunt, pericula considerantur*? 2 Putas enim infelicitatem sæculi metuendam esse, & felicitatem non esse metuendam?

2 In Psal. 83. post princip.

Imò verò nulla infelicitas frangit, quē felicitas nulla corrūpit. Quomodo ergo cauenda vel timenda est ipsa corruptrix, ne te blandiendo seducat, ne incumbas in baculum arundinis? Nam & hoc scriptum est, quosdam incumbere in baculum arundinis. Noli te credere: fragile est, in quo niteris: frangitur & interimit te. *Nihil sæculi felicitate fragilius*. 3 Quicquid ergo prosperum venit, magis metuendum est: quæ enim putas prospera, magis tentationes sunt. Venit hæreditas, venit copia rerum, abundat circumfluentia nescio cuius felicitatis: tentationes sunt istæ: caue ne te ista corrumpant. Nam 4 si tribulationum abundantiā cogites, & in qua ambules via, cognoscas (si tamen in illa ambulas) quàm sit angusta, & per pressuras atque tribulationes perducat ad requiem sempiternam: quamque ipsa, quæ in rebus humanis vocatur felicitas, plus sit timenda, quàm miseria: (quandoquidem miseria plerumque affert ex tribulatione fructum bonum: felicitas autem corrumpit animam peruersa securitate, & dat locum diabolo tentatori) *tam non debes animo frangi in rebus aduersis, quàm te non extollere in prosperis*. 5 multi enim res aduersas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quàm aduersa corpori. Prius corrumpit prospera, vt inueniat quod frangat aduersa. Aduersus felicitatem acrius vigilandum est. Propterea vide, quemadmodum eloquium Dei in nostra felicitate tollat nobis

4 Reg. 18.
3 In Psal. 85. post medium.
4 In Psal 91. in Initio 1. conc.
5 In Psal. 50. post princip.

nobis securitatem: Seruite Domino, inquit, in timore, & exultate ei cum tremore. In exultatione, vt gratias agamus: In tremore, ne cadamus. Quando Dauid sanctus Saulem inimicum patiebatur; quando illius persecutionibus agitabatur; quando per diuersa fugiebat, ne in manus eius incideret: non concupiscebat alienam; non, adulterata vxore, occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Vtile quiddam est tribulatio; vtile medici ferramentum, tanquam diaboli tentamentum. Factus est securus Dauid deuictis hostibus, pressura caruit, tumor excreuit. Valet ergo hoc exemplum ad id, vt timeamus felicitatem. *Vnde istud periculum cùm euasissent iam sancti Dei, sic Deo cecinerunt in Psalmo.* [6] Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Ignis & aqua, vtrumque periculosum est. In hac vita certè videtur aqua ignem extinguere: & ignis videtur aquam siccare. Ita & ipsæ sunt tentationes, *venientes de prosperitate & aduersitate*, quibus abundat hæc vita. Ignis vrit, aqua corrumpit: vtrumque metuendum, & vstio tribulationis, & aqua corruptionis. Quando sunt res angustæ, & aliquæ infelicitates sunt in hoc mũdo; quasi ignis est: quando sunt res prosperæ, & abundantia sæculi circumfluit; quasi aqua est. Proinde vide, ne te ignis exurat, vide ne te aqua corrumpat. Firmus esto aduersus ignem; coqui te oportet; tanquam vas fictum mitteris in caminũ ignis, vt firmetur quod formatum est. Vas ergo quod in igne firmatum est, aquam non timet: vas autem si solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua soluetur. Noli festinare ad aquam: per ignem transi ad aquam, vt transeas & aquam. Propterea & in sacramentis, & in catechizando & in exorcizãdo adhibetur prius ignis. Nam vnde plerumque immundi spiritus clamãt, Ardeo; si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi, venitur ad baptismum: vt ab igne ad aquam; ab aqua veniatur ad refrigerium. Quod est autẽ in sacramentis aqua baptismi, hoc etiã in tẽtationibus huius sæculi angustia timoris. Accedit prima vice ignis, postea ablato timore, metuendũ est, ne felicitas corrumpat mundana. Cùm autem te ignis crepare non suffecerit, & in aquam te non merseris, sed enataueris: per disciplinam transis ad requiem, & transiens per ignem & aquam, educeris in refrigerium. Quarum enim rerum signa sunt in sacramentis, ipsæ res sunt in illa perfectione felicitatis vitæ æternæ.

Psalm. 2.
1. Reg. 21. 22. 23. 24.
2. Reg. 11.
6 In Psal 65. vltra medium

CAP. XXXIIII.

Terrena felicitas significatur in scripturis per sinistram: per dexteram verò, æterna vitæ felicitas.

p In Psal. 136. circa medium

1 PORRÒ, omnis ista terrena felicitas, sinistra tibi sit: illa sit dextera, quam semper habebis. Et si habueris sinistram, noli de sinistra præsumere. Nónne corripis eum qui de sinistra voluerit manducare? Si mensæ tuæ iniuriam putas fieri, manducante cõuiua de sinistra: quomodo nõ fit iniuria mensæ Dei, si, quod dexterum est, sinistrum feceris; & quod sinistrum est, dexterum feceris? Quid ergo? Si oblitus fuero, inquit ille, tui Hierusalem, obliuiscatur me dextera mea. [2] Dextera nostra est vita æterna: sinistra nostra est vita temporalis. Quicquid facis propter vitam æternã: dextera operatur. Si charitati vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicuius commodi sæcularis: cognouit sinistra tua, quid faciat dextera tua. Et nosti esse in præcepto Euãgelij, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. [3] Sinistra ergo nostra dicitur, quicquid temporaliter habemus. Dextera nostra dicitur, quicquid nobis æternum & incommutabile Dominus pollicetur. Dicit de quibusdam Psalmus apud David: Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Inuenit ergo quosdam, & reprehendit, qui dexteram veram pro sinistra habebant; & veram sinistrã dexteram sibi fecerant. Qui autem sint isti, exponit consequenter. ☞ Omnis homo qui felicitatem non putat esse hominis, nisi solùm in istis temporalibus facultatibus, & deliciis, & affluentia, & copia mundi huius: iste est stultus atque peruersus, qui sinistram sibi fecit dexteram. Tales illi erant, de quibus dicit Psalmus: non quia à Deo non acceperant etiam quæ temporaliter possidebant; sed quia ipsam solam putabant beatam vitam, & nihil aliud requirebant. Audi enim quid de illis consequenter dicit: Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis: & sequitur, Quorum filij, velut nouellæ constabilitæ, filiæ eorum ornatæ, sicut similitudo templi: cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Oues eorum fœcundæ, multiplicantes in exitibus suis; boues eorum crassæ: non est ruina sepis, nec exitus, neque clamor in plateis eorum. Magnam felicitatem quorundam descripsit. Posset tamen istam felicitatem & aliquis iustus habere, sicut habuit Iob: sed

Psalm. 136. 2 Ibidé supra. Matth. 6. 3 In Psal. 120. in medio. Psalm. 143. Psalm. 143.

Iob

Iob pro ſiniſtra illam habebat, nō pro dextera. Nam dexteram non habebat niſi apud Deum, perpetuam & ſempiternam felicitatem. Ideo conceſſa eſt percutienda ſiniſtra; & ſuffecit ei dextera. Quomodo percuſſa eſt ſiniſtra? Tentationibus diaboli. Abſtulit ei ſubitò omnia diabolus: permiſſus quidem à Deo, vt iuſtus probaretur; impius puniretur. Sed Iob, qui nouerat ſiniſtram, ſiniſtram eſſe, & dexteram, non niſi dexteram; quomodo ſe tenuit ad dexteram? Exultauit in Domino, conſolatus eſt damna, quia non eſt paſſus damnum de interioribus diuitiis Dei; plenum cor habebat. Dominus, inquit, dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Hæc erat dextera ipſius, ipſe Dominus, ipſa vita æterna, illa lucis poſſeſſio, fons vitæ, lumen in lumine. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; ipſa erat dextera: ſiniſtra verò erat pro adiutorio conſolationis, non ad firmamētum felicitatis. Nam felicitas eius vera atque germana, Deus erat. Iſti autem, de quibus dicit Dauid, quia os eorum locutum eſt vanitatem, & dextera eorū, dextera iniquitatis; non hinc eos reprehendit, quia his omnibus abundabant, ſed quia os eorum locutum eſt vanitatem. Quid enim ſequitur? Cùm enumeraſſet copias eorum, ait, Beatum dixerūt populum, cui hæc ſunt. Hæc eſt vanitas, quam locutum eſt os eorum; quòd beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Tu qui Idicis, qui noſti quid eſt ſiniſtra, & quid eſt dextera? Sequitur, & dicit: Beatus populus, cuius eſt Dominus, Deus ipſius. *Et rectè quidem. In hoc enim ſolo, tota veraq; Chriſtiani hominis felicitas eſt.*

Iob 1. Pſalm. 35.

CAP. XXXV.

Quomodo ſiniſtra dextera non ſit præponenda, declarat illa ſententia: Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.

1 ERgo non eſt felicitas, habere filios incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantiam pecorum, nullam ruinam, non dico parietis, ſed nec ſepis; nullum tumultum & clamorem in plateis, ſed quietem, pacem, abundantiam, copiam rerum in domibus, in ciuitatibus? Ergo non eſt iſta felicitas? Aut debent eam iuſti defugere? Aut non inuenis aliam domum iuſti, præter domum Iob; abundantem rebus his omnibus,

1 In Pſal 143. prope finem.

Genes. 13. nibus, plenam ista felicitate? Non erat domus Abrahæ abundans auro, argento, filiis, familia, pecoribus: Nónne Iacob, sanctus patriarcha, fugiés à facie Esau fratris sui, in Mesopotamia
Gene. 32. seruiens, ditatus egressus est, & egit gratias Domino Deo suo, quia in virga sua transiit fluuium, & egressus est cum tanta abundantia pecorum atque filiorum? Quid dicimus? Non est ista felicitas? Sit licet, sed sinistra. Quid est sinistra? Temporalis, mortalis, corporalis. Nolo illam iam diffugias: sed neque dexteram putes. Non enim isti, *de quibus Dauid locutus est*, ideo maligni sunt, ideo vani, quia his abundabant: sed quia id
Psalm. 143. quod sinistrũ esse debuit, in dextera ponebant. Ideo & dextera eorum, dextera iniquitatis; ideo os eorum locutum est vanitatem: quia hoc in dextera posuerunt, quod in sinistra habere debuerunt. Quid enim in dextera ponere debuerunt? Deum, æternitatem, annos Dei non deficientes, de quibus dicitur: Et
Psalm. 101. Hebr. . . anni tui non deficient. Ibi dextera: ibi esse debet desiderium nostrum. Sinistra vtamur ad tempus, dexteram desideremus in
Psalm. 61. æternum. Diuitiæ si affluant, ne apponas cor. Si enim diuitiis fluentibus cor apposueris; quod sinistrum est, dexterum facies. Corrige te, agnosce sapientiam amplectentem te, cui dictum
Cant. 8. est: Sinistra eius sub capite meo, & dextera eius complectetur me. Vide amatoria sancta cantica; vide cantica canticorum, nuptiarum cælestium Christi & Ecclesiæ. Quid dicit sponsa de sponso? Sinistra eius sub capite meo, & dextera eius amplectetur me. Sinistra sub capite: dextera super caput. Amplectentis enim desuper brachium super caput: sinistra autem subter caput. Sinistra, inquit, eius sub capite meo. Non enim me deseret in temporalibus necessariis: sed tamen ipsa sinistra sub capite erit. Non capiti præponetur, sed sub capite erit, vt dextera eius complectatur me, pollicens vitam æternam. Ita enim sinistra sub capite, si dextera super caput: impleturque quod ad
1. Timot. 4. Timotheum scriptum est: Promissionem habens vitæ præsentis, & futuræ. Quid in præsenti? Sinistra sub capite. Quid in futuro? Dextera eius complectetur me. Tempori necessaria
Matth. 6. quæritis? Quærite primum regnum Dei, id est, dexteram; & hæc omnia apponentur vobis. Habebitis hîc, inquit, & diuitias, & gloriam, & in futuro sæculo vitam æternã; & in sinistra continebo infirmitatem vestram; & dextera coronabo perfectionem vestram. An forte Apostoli, relinquentes omnia sua, aut pauperibus, quod habebant, distribuentes; sine diuitiis in hoc

hoc sæculo remanserunt? Et vbi est illa promissio sinistræ: Accipient in hoc sæculo, septies tantum? Multiplicationem promisit. Et reuera quid deest homini Dei? Si quis fortè infidelis est, vnam domū, aut paucas habet: fidelis hominis totus mundus plenus diuitiarum est. Vide sinistram eius plenam sub capite: Accipiet in hoc sæculo septies tantum. Vide dexteram complectentem; Et in futuro sæculo vitam æternam. *Hæc indubitata & ordinatissima promissio Christi est.* 2 Nouit quippe ille dispensare sinistram, qui vocat, & statuet te ad dexteram. Ergo si est sinistra, sit sinistra; sed sub capite sit. Supra illam sit caput tuum, id est, supra illam sit fides tua, vbi habitat Christus. Noli temporalia præponere fidei tuæ, & non erit sinistra super caput tuum: sed omnia temporaria subde fidei tuæ, & fidem tuam præpone omnibus temporalibus; & erit sinistra sub capite tuo, & rectè dextera eius complectetur te. Audi hoc ipsum exponi in prouerbiis, quid est sinistra ipsa, quid est dextera: cùm de sapientia diceret; longitudo, inquit, dierum, & anni vitæ in dextera eius: in sinistra autem eius diuitiæ & gloria. Longitudo illa dierum, æternitas est. Hoc enim proprio modo dicit scriptura longū, quod æternum est. Nam quicquid finem habet, breue est. Alio loco, Longitudine, inquit, dierum replebo eum. Et nunquid aliter pro magno diceretur, Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt longæuus sis super terram? Super quam enim terram, nisi de qua dicit, Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium? Ibi esse longæuum, quid est, nisi ibi viuere in æternum? Nam hic esse longæuum, quid est, nisi vsque ad senectutem peruenire? Et si longa videatur ætas, cùm venerit mors, conuincitur breuis: quia finitur. Et multi maledicentes parentibus, senescunt in hac terra; multi autem obsequentes parentibus, citò eunt ad Dominum. Nunquid ergo impletur, vt longæuus sit secundum hanc vitam? Sed longæuum pro æternitate illa positū est. Longa vita est in dextera eius At verò diuitiæ & gloria, id est, sufficientia vitæ huius; ea quæ bona existimantur ab hominibus, sinistra est. Nescio quis venit, & vult tibi percutere dexteram, id est, tollere tibi fidem tuam. Accepisti alapam in dexteram, præbe sinistram, id est, vt tollat quod temporale est, non ea, quæ æterna habes. Audi Paulum Apostolum hoc facientem. Homines persequebantur in eo quod Christianus erat; percutitur illi dextera; ille sinistram opponebat. Ciuis Romanus sum, ait. Dexterā contemnebant

Marc. 10. | 2 In Psal. 120, in medio. | Prouer. 3. | Psalm. 90. | Exod. 21. | Psalm. 141. | Matth. 5. | Actor. 22.

illi,& ille de sinistra terrebat, quia illi dexterá eius timere non poterant: nondũ enim Christo crediderant. Quid ergo est, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua? Id est, quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac. Nam si opus bonum in terra propterea feceris, vt terrena tibi abundent: scit sinistra tua, quid faciat dextera tua: miscuisti dexteram sinistræ. Noli facere, nisi propter vitam æternam. Si ideo facis, securus facies: hoc enim mandauit Deus. Si propter solas res humanas, & solam vitam istam facis, quod facis: sinistra sola operatur. Si autem habes intentionem ad vitam æternam, sed surrepit tibi cupiditas vitæ temporalis, vt attendas etiam ista, quando facis opus bonum, vt hinc tibi aliquid retribuatur: miscet se sinistra operibus dexteræ. Hoc vetat Deus.

Matth. 6.

CAP. XXXVI.

Diuersis modis volunt se homines benedici à Deo, qui indifferenter dat bona & mala temporalia, bonis & malis.

Diximus, quomodo dextera .sinistra fiat eorum, quorum os locutum est vanitatem; qui amantes felicitatem præsentis sæculi, & eam velut quandam benedictionem pro magno habentes, & à Deo postulantes; felicitatem veram, sempiternamq́, non quærunt. Nunc videamus, quid alibi in Psalmo scriptum sit in persona eorum, qui supernam, non temporalem petunt benedictionem à Deo. Deus, inquiunt, misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri. Quid volunt dicere? quid petunt, qui hæc dicunt? Vtique benedici se volunt. Sed quomodo? Spiritualiter, inuisibiliter; tanquam si dicerent: Quamlibet petant alij benedictionem & felicitatem à Deo: aliam nos non quærimus, quàm vt illuminet vultum suum super nos, vt misereatur nostri. Irradiatio vultus eius super nos, illuminatio nostra est, benedictio nostra est, beatitudo nostra est. Vident istam visibilem lucem cum pecoribus, & boni & mali: illuminationem vultus Dei videre non possunt, nisi soli boni. Ergo illuminet vultum suum super nos. Magna vis horum verborum: sed * geminus eorum intellectus est, & vterque dicendus. Illumina, inquiũt, vultum tuum super nos, hoc est, ostende nobis vultum tuum. Non enim aliquando illuminat vultũ suum Deus, quasi aliquando fuerit sine lumine: sed illuminat super nos, vt quod nos latebat, aperiatur nobis; & quod erat, sed nobis absconditum erat, reueletur super nos, hoc est illuminetur.

Psalm. 66.

* In Psal. 66. ante medium

tur. Aut certè imaginem tuam illumina super nos, vt hoc dixerint, Illumina vultum tuum super nos: impressisti nobis vultum tuum, fecisti nos ad imaginem & similitudinem tuam, fecisti nos nummum tuum; sed non debet imago tua in tenebris remanere. Mitte radium sapientiæ tuæ, repellat tenebras nostras, & fulgeat in nobis imago tua. Cognoscamus nos imaginem tuam, audiamus quod dictū est in Canticis canticorum: Nisi cognoueris temetipsam, ô pulcherrima inter mulieres. Dicitur enim Ecclesię, Nisi cognoueris temetipsam. Quid est hoc? Nisi cognoueris ad imaginem Dei te factam. O anima ecclesiæ speciosa, redempta sanguine agni immaculati, attende quanti valeas; quid pro te datum sit, cogita. Dicamus ergo, & optemus; Illuminet vultum suum super nos. Gestamus vultum eius, quomodo dicuntur vultus imperatorum. Verè quidem sacer vultus Dei est in imagine ipsius, sed iniqui non cognoscūt in se imaginem Dei. Vt illuminetur vultus Dei super illos, quid debent dicere? Tu illuminabis lucernam meam Domine; Deus meus illuminabis tenebras meas. Sum in tenebris peccatorum, sed radio sapiētiæ tuæ discutiantur tenebræ meæ. Appareat vultus tuus: & si fortè appareat per me aliquantulum deformis effectus, à te reformetur quod à te formatum est. *Hanc ergo à Deo misericordiam, & benedictionem non temporariam, qualem stulti quærunt, sed æternam sibi erogari postulant illi qui dicunt*, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. [a] Multis *quippe* modis se volunt homines benedici à Deo. Alius benedici se vult, vt habeat plenam domum necessariis rebus huic vitæ, alius benedici se cupit, vt obtineat salutem corporis sine labe; alius benedici se vult, si fortè ægrotat, vt reparet salutem: alius desiderans filios, & fortè contristatus quòd nō nascantur, benedici se vult, vt habeat posteritatem. Et quis enumeret diuersa vota hominum, se à Domino Deo benedici cupientium? Quis autem nostrum dicturus est, non esse illam Dei benedictionem; si vel agricultura ei fructum ferat, vel domus cuiusq; abundet copia rerum temporalium, vel ipsa corporis salus, aut teneatur, ne amittatur; aut amissa reparetur? Fœcūditas etiam feminarum, & casta vota filios desiderantium, ad quem pertinent, nisi ad Dominū Deum? Qui enim creauit omnia, quando non erant; ipse prolis successu facit permanere, quod condidit. Facit hæc Deus, donat hæc Deus. Parum est nobis dicere, facit

Cant. 1.
Psalm. 17.
Psalm. 66.
[a] Ibidem sup. in princip.

facit hæc Deus, donat hæc Deus: sed solus hæc facit, solus donat. Quid si enim facit hæc Deus, sed facit hæc & aliquis non Deus? Facit hæc Deus, & solus facit. Et sine causa ista petuntur vel ab hominibus, vel à dæmonibus; & quæcunque bona accipiunt inimici Dei, ab illo accipiunt: & cùm ab aliis petunt & accipiunt, nescientes ab illo accipiunt. Quomodo, cùm puniuntur, & putant se ab aliis puniri, nescientes ab illo puniuntur: sic & cùm vegetantur, implentur, saluantur, liberantur, & si hoc nescientes, vel hominibus, vel dæmonibus, vel angelis tribuunt; non habent nisi ab illo, penes quem potestas est omnium. Ad hoc diximus hæc, vt quisquis etiam ista terrena fortè vel propter suppleměta necessitatis, vel propter aliquam infirmitatem desiderat, non nisi ab illo desideret, qui est fons omnium bonorum, & creator & recreator vniuersorum. Sed alia sunt dona, quæ dat Deus & inimicis suis: alia, quæ non seruat, nisi amicis suis. Quæ sunt dona, quæ dat inimicis suis? Ea, quæ enumeraui. Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessariis: aut soli boni vel salui facti sunt, vel ab ægritudine conualescunt: aut soli boni filios habent, soli boni pecuniam, soli boni cætera apta huic vitæ temporali atque transeunti: habent hæc & mali: & aliquando desunt bonis, sed desunt & malis; & plerumque istis magis, quàm illis: aliquando illis, quàm istis potius abundāt. Permixta ista temporalia Deus esse voluit, quia si bonis solis ea daret, putarēt & mali propter hæc colendum Deum. Rursus si ea solis malis daret, timerent boni infirmi conuerti, ne ista illis fortè deessent. Est enim adhuc anima infirma minus capax regni Dei: nutrire illam debet Deus agricola noster. Nam & quæque arbor iam tempestates robore sustinet: cùm de terra nasceretur, herba erat. Nouit ergo ille agricola nō solum robustas arbores putare atque purgare: sed etiam teneras in recenti ortu sepire. Propterea, vt dicere cœperam, si solis bonis darentur ista, omnes propter hæc accipienda vellent conuerti ad Deum. Rursus si solis malis darentur, timerent infirmi, ne, cùm conuerterentur, amitterent, quod soli mali haberent. Permixtè data sunt, & bonis & malis. Rursus si solis bonis auferrentur, idem ille timor esset infirmorum; nec conuerterentur ad Deum. Rursus, si solis malis auferrentur, ipsa sola pœna putaretur, qua mali plectuntur. Quod ergo dat ea bonis, consolatur itinerantes: quod dat ea & malis, admonet bonos, vt alia desiderent, quæ non habent cum malis

malis communia. Rursus bonis aufert ea, quando vult, vt interrogent se de suis viribus; & inueniant se, qui fortè latebant se; vtrum iam possent dicere, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Iob 1.
Benedixit enim & illa anima Dominum, & reddidit fructus complura sagina benedictionis: Dominus dedit, Dominus abstulit. Subtraxit data, sed non subtraxit datorem. Anima benedicta omnis simplex, non hærens terrenis rebus, nec visco implicatis pennis iacens, sed exerto nitore virtutum, in geminis alis geminæ dilectionis, exultat in auras liberas: & videt sibi subtractum esse quod calcabat; non ibi incumbebat; & dicit secura, Dominus dedit, Dominus abstulit. Dedit & abstulit. Manet qui dedit, & abstulit quod dedit: sit ergo nomē eius benedictum. Ad hoc ergo ista auferuntur bonis.

Cap. XXXVII.

Sicut formica æstate sibi colligit quod comedat hyeme: ita qui prudens & bonus est, prouidet sibi tempore prospero, ne deficiat in aduerso.

1 SEd aliquis fortè infirmus diceret, Quando ego esse possem tantæ virtutis, sicut sanctus Iob? Audi me. Robur miraris arboris, quæ modò nata est? Hæc magna, quam modo miraris, sub cuius ramis & vmbra refrigeratis, virga fuit. Sed times, ne tibi auferantur hæc cùm talis fueris; attende quia auferuntur & malis. Quid te ergo differs à conuersione? Quid bonus times amittere, quod fortè amissurus malus es? Si bonus ea perdideris, adest consolator, qui abstulit. Arca exinanita est auro, cor plenum est fide. Foris pauper es, sed intus diues es. Diuitias tecum portas, quas nō amitteres, etiam si de naufragio nudus exires. Quod ergo perditurus es malus, cur non bonum te inuenit damnum; quandoquidem vides & malos pati damnum? Sed maiore illi damno feriuntur. Inanis est domus: inanior conscientia est. Quisquis malus ista perdiderit; non habet foris quod teneat; non habet intus vbi requiescat. Fugit hæc, vbi damnum passus est, vbi se ab oculis hominum, de diuitiarum ostentatione iactabat. Iam se in oculis hominum iactare non potest, ad se intro non redit, quia nihil habet. Non est imitatus formicam, non sibi collegit grana, cùm æstas esset. Quid dixi, cùm æstas esset? Cùm esset vitæ tranquillitas, cùm esset

1 Ibidem immediatè.

esset sæculi huius erga illum prosperitas, quando ei vacabat, quando felix vocabatur ab omnibus: æstas ipsius erat. Imitaretur formicam, si audiret verba Dei, colligeret grana, & intus reconderet. Venerat tētatio tribulationis, superuenerat hyems torporis, tempestas timoris, frigus tristitiæ, siue damnum esset, siue salutis periculum, siue aliqua orbitas suorum, siue aliqua exhonoratio & humiliatio: hyems erat. Redit formica ad id, quod æstate collegit: & intus in secreto suo, vbi nemo videt, æstiuis laboribus recreatur. Quando sibi ista colligebat æstate, videbant omnes; cùm his pascitur hyeme, nullus videt. Quid est hoc? Vide formicam Dei. Surgit quotidie, currit ad ecclesiam Dei, orat, audit lectionem, hymnum cātat, ruminat quod audit, apud se cogitat, recondit intus grana electa de area. Hæc ipsa, quæ modò dicuntur, qui prudenter vel legunt, vel audiunt, hoc agunt: & ab omnibus videntur aliquādo procedere ad ecclesiam, redire de ecclesia, audire sermonem, audire lectionem, inuenire librum, aperire & legere: omnia ista videntur, cùm fiunt. Formica illa est conterens iter, portans & recondens in conspectu cernentium. Venit hyems aliquando: cui enim non venit? Accidit damnum, accidit orbitas. Cæteri miserantur fortè vt miserum, qui non norunt quid intus habeat formica, quod comedat; & dicunt, Miser ille, cui hoc accidit: aut ille, cui hoc accidit. Quid illi credis animi esse? quomodo confectus est? Metitur ex se, comparat ex viribus suis, & ideo fallitur: quia mensuram, qua se metitur, vult afferre ad eum, quem non nouit. Vides illum passum damnum, aut humiliatū, aut orbitate percussum; quid credis? Iste aliquid mali fecit, vt hoc illi contingeret? Tale cor habeant, aut talem animum inimici mei. Ignorans ò homo, verè tu tibi inimicus es: per æstatem tibi non colligis, quod iste collegit. Modò intus formica comedit labores æstatis; sed iam colligentem videre poteras; manducantem videre non potes.

CAP. XXXVIII.

Magnum bonum est, beatum esse, propter quod adipiscendum, & boni & mali faciunt quicquid faciunt.

a Ibidem immediatè.

1 ISta, quantum Dominus dedit; quantum suggerere, & imbuere dignatus est infirmitatem & humilitatem nostram; quantū capimus, pro modulo nostro diximus, quare det Deus omnia

omnia ista permixta & bonis & malis: & quare auferat & bonis & malis. Dedit tibi; non extollaris: abstulit tibi; non frangaris. Times ne auferat? potest auferre & malo. Melius ergo bonus, quod Dei est, amittis: sed ipsum Deum tenes, *qui bona donat cælestia, quibus semper inhæreas*. 2 Inhærere enim terrenis, quamuis ea Deus donet, non debemus. Veruntamen non quia eis inhærere nõ debemus; alium ea dare, nisi Deum, credere debemus. Ipse ea dat: sed noli pro magno expectare ab eo bonum, quod dat & non bono. Nam si pro magno ea daret, malis ea non daret. Ideo autem ea voluit dare & malis, vt discant boni aliud ab eo quærere, quod non dat & malis. 3 Aliquando ista bonis dat, aliquando non dat: & malis aliquando dat, & aliquando non dat. Bonis tamen seruat seipsum: malis autem ignem sempiternum: Est ergo malum, quod non dat bonis: & est bonũ, quod non dat malis. Sunt quædam media, & bona & mala, quę dat & bonis & malis. Sed 4 qui tãta creaturæ suæ bona bonis malisque largitur, vt sint, vt homines sint, vt vigentes sensibus, valentes viribus, affluentes opibus sint; seipsum ideo bonis dabit; vt beati sint: quia eius etiam hoc munus est, vt boni sint. 5 Beatum quippe esse, tam magnum est bonum, vt hoc & boni velint, & mali. Nec mirum est, quod boni propterea sint boni; sed illud est mirum, quod etiam propterea sunt mali, vt sint beati. Nam quisquis libidinibus deditus, luxuria, stuprisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit: & se miserum putat, cùm ad suæ concupiscentiæ voluptatem lætitiamque non peruenit. Et quisquis auaritiæ facibus inardescit, ad hoc congregat quoquo modo diuitias, vt beatus sit. Quicumque molitur inimicorum sanguinem fundere, quicunque desiderat dominationem, quisquis affectat crudelitatem suam explere, quisquis alienis cladibus pascitur; in omnibus sceleribus beatitudinem quærit. 6 Beatos autem esse impios & iniquos, quis vel impius dixerit, vel iniquus? 7 Et ideo peruersi sunt homines, qui mali volunt esse, miseri nolunt. Et cũ sit malitiæ indiuidua comes miseria, isti peruersi non solũ mali esse volunt, & miseri esse nolunt (quod fieri non potest) sed ideo volunt mali esse, ne miseri sint. Quid est hoc quod dixi, ideo volunt mali esse, ne miseri sint? Considera hoc paululum iterum in omnibus hominibus qui malè faciunt: beati semper esse volunt. Furtum quis facit. Quæris, Quare? Propter famem, propter necessitatem. Ergo, ne miser sit, malus est;

2 In Psal. 72. ante medium

3 In Psal. 55. post medium. Vide in Psal. 72. ante med.

4 To. 2. epist. 52. post initiũ.

5 In Psal. 118. cõc. 1. in init.

6 Ibidem inf.

7 In Psal. 32. cõc. 2. in med.

est; & ideo miserior, quia malus est. Depellendæ ergo miseriæ causa,& acquirendæ beatitudinis causa, faciunt omnes homines, quicquid vel boni faciunt, vel mali: semper ergo beati esse volunt. Siue malè viuentes, siue bene viuentes, beati esse volunt:& non contingit omnibus, quod omnes esse volunt. Omnes enim beati esse volunt, non autem erunt, nisi illi, qui iusti esse voluerint. Et ecce, nescio quis, vt malè faciat, beatus vult esse. Vnde? ex pecunia, ex argento, & auro, ex prædiis, fundis, domibus, mãcipiis, pompa sæculi, honore volatico & perituro: habendo aliquid, volunt beati esse. Quæro ergo quid habeas, vt beatus sis? Cùm enim beatus fueris, melior vtique eris, quàm cùm miser es. Fieri autem non potest, vt res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te est, quicquid cupis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, quælibet corpora, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis; inferiora sunt te. Tu melior es, tu fortior es: & vtique vis melior esse, quàm es, cùm beatus esse vis, quia miser es. Melius est enim vtique beatum esse, quàm miserum. Vis esse melior te, & quæris, perquiris, per quæ id fiat, deteriora te. Quicquid quæsieris in terra, deterius est quàm tu. Hoc omnis homo optat amico suo, sic eum adiurat, Sic melior sis, sic meliorem te videamus; sic de te meliore gaudeamus. Quod optat, hoc & ipse vult. Accipe ergo fidele consilium. Melior te vis esse, noui; omnes nouimus, omnes volumus. Quære, quid est melius te, vt inde efficiaris melior te. Intuere nunc cælum & terram: non tibi sic hæc pulchra corpora placeant, vt eis fieri beatus velis. In animo est, quod quæris. Beatus enim esse vis. Ipso animo tuo, quære, quid sit melius. Cùm enim duo sint quædam, hoc est, animus & corpus; eo quod istis duobus illud melius sit, quod animus dicitur, potest corpus tuum melius fieri per meliorem, quia subiectum est corpus animo. Potest ergo melius fieri corpus tuum per animum tuum; vt cùm fuerit iustus animus tuus, sit postea immortale etiam corpus tuum. Per animi enim illuminationem, meretur corpus incorruptionem, vt fiat inferioris reparatio per meliorem. Si ergo corporis tui bonum, animus est; quia corpore tuo melior est: cùm quæris bonum tuum, illud quære, quod melius est animo tuo. [g] Iam ergo superest, vt quæras, quid sit melius, quàm animus tuus. Quid erit, obsecro, nisi Deus tuus? Non inuenis aliquid melius animo tuo: quia cùm fuerit perfecta natura tua, angelis æquabitur. Iam supra

g Ibidem inf.

supra nõ est, nisi creator. Erige te ad illum, noli desperare, noli dicere, Multu est ad me. Magis multu est ad te, habere aurum; quod quæris. Auru, & si volueris, fortè non habebis: Deu cum volueris habebis: quia & antequã velles, venit ad te, & cũ auersa voluntate esses, vocauit te, & cùm conuersus esses, terruit te, & cùm territus confitereris, cõsolatus est te. Iste qui tibi præstitit omnia; iste qui fecit vt esses, qui his, qui tecum sunt, etiã malis præstat solem, præstat pluuiam, præstat fructus, fontes, vitam, salutem, tantas cõsolationes; seruat tibi aliquid, quod non det, nisi tibi. Quid est autem, quod tibi seruat, nisi se? Pete aliud, si melius inueneris: se tibi seruat Deus. Auare quid inhias cælo & terræ? Melior est qui fecit cælum & terram: ipsum visurus, ipsum habiturus es. Quæris, vt tua fit illa villa, & transiens per illam dicis, Beatus, cuius est possessio ista. Hoc dicũt quàm multi, qui transiunt per illam: & tamẽ cùm dixerint, & transeunt per illam; possunt caput agitare & suspirare, nunquid & possidere? Sonat cupiditas, sonat iniquitas, (sed non cõcupiscas rem proximi tui.) Beatus cuius est villa illa, cuius est domus ista, cuius est ager iste. Compesce iniquitatem, audi veritatem. Beata gens, cuius est. Quid? Iam nosti quid dicturus sum? *Dominus, Deus ipsius*. *Hunc* ergo desidera, vt habeas eum, & tunc demum beatus eris. Hac sola re beatus eris: re meliore, quàm tu es, melior eris. Deus est, inquã, melior te, qui fecit te. Psalm. 143.

CAP. XXXIX.

Quale bonum sit, quod facit hominem verè beatum.

HOmo enim quomodo à se fieri non potuit: sic nec beatus fieri à se potest. Alia res fecit eum hominem, quod non est ipse homo: alia res eum factura est beatum, quod non est ipse homo. Denique errans videt ipse, quia per se non potest beatus esse, & amat stultè aliud, vnde fit beatus. Vnde se fieri putat beatum, hoc amat. Quid putamus, amat, vnde putat se fieri beatum? Pecuniam, aurum, argentum, possessiones. Breuiter dico pecuniam. Totum enim quicquid homines possident in terra, omnia, quorum Domini sunt, pecunia vocatur. Seruus sit, vas, ager, arbor, pecus; quicquid horum est, pecunia dicitur. Et vnde primùm vocata pecunia? Ideo pecunia, quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebãt. A pecore pecunia vocatur. Legimus antiquos patres fuisse diuites pastores. Ergo pecuniã diligis, ô homo, vnde te putas fieri beatum.

Tom 9. lib. de discip. Christ. cap. 1.

Pecunia vnde

Ibidem inf. *Quid ſtultius? quid ineptius?* [2] Beatus eſſe vis? Deum tuũ ama. Pecunia te non facit beatum. Tu eam facis ornatam; non illa te beatum. *Si à pecore pecunia eſt: quid in pecoribus & ſtercoribus*
3 D. Auguſt. Ser. 141. in fin. *beatitudinem quæris?* [3] Bonam rem quæris. Sed terra tua nõ eſt regio eius quam quæris? Quid quæris? Beatam vitam, ſed non eſt hic. Aurum ſi quæreres in illo loco, vbi non eſt: ille qui nouit quia non eſt ibi; nónne diceret tibi, Quid fodis? quid terram ſollicitas? Foſſam facis, qua deſcendas, non vbi aliquid inuenias. Quid es reſponſurus admonenti te? Aurum quæro. Et ille: Non nego tibi, nihil eſt quod quæris: ſed non eſt ibi quod quæris. Sic & tu quando dicis, Beatus eſſe volo; bonam rem
4 Ibidẽ ſupra. quæris, ſed non eſt hîc. Equidem, quod [4] beatus eſſe vis, ſcio. Da mihi hominem latronem, ſceleratum, fornicatorem, maleficum, ſacrilegum, omnibus vitiis inquinatum, omnibus flagitiis, ſeu facinoribus obrutum, qui non velit beatam vitam viuere. Scio, vis beatè viuere: ſed vnde homo beatè viuat, hoc non vis quærere. Quæris aurum, quia putas te de auro beatum futurum: ſed aurum non facit te beatum. Quare vis eſſe in iſto ſæculo ſublimatus? Quia honore hominum & pompa ſæculi putas te beatum futurum: ſed pompa ſæculi non te facit beatum. Et quicquid hîc aliud quæris, cùm ſæculariter quæris, non ſapienter; cùm amando terram quæris, propterea quæris, vt ſis beatus. Sed nulla res terrena te beatum faciet. Vnde ergo
5 To. 1. li. 2. de lib. arb. cap. 9. eris beatus, [5] niſi ſummo bono, quod in ea veritate quam ſa-
6 Ibidem inf. cap. 13. pientiam vocamus, cernitur & tenetur? [6] Amplectere illam, ſi potes, & fruere illa, & delectare in Domino, non in auro: &
Pſalm. 36. dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petas amplius, quàm vt *de tali bono* beatus ſis? Et quid beatius eo, qui fruitur inconcuſſa, & incommutabili, & excellentiſſima veritate? An verò clamant homines beatos ſe eſſe, cùm pulchra corpora, magno deſiderio concupita, ſiue coniugum, ſiue etiam meretricum amplexantur: & nos in amplexu veritatis beatos eſſe dubitamus? Clamant homines ſe beatos eſſe, cùm æſtu aridis faucibus ad fontem abundantem ſalubremque perueniunt: aut eſurientes prandium cœnámue ornatam copioſamque re[...]riunt; & nos negabimus beatos eſſe, cùm irrigamur paſcim[...]que veritate? Solemus audire voces clamantium ſe beatos, ſi iaceant in roſis, aliiſque floribus, vel etiam vnguentis odoratiſſimis perfruantur. Quid fragrantius? quid iucundius inſpiratione veritatis? Et dubitamus nos, cùm ab illa inſpiramur, di-
7 Ibidem inf. cere beatos? [7] Imo verò, quoniam in veritate cognoſcitur &

tene-

& tenetur summum bonum; eaque veritas, sapientia est: cernamus in ea, teneamusque summum bonum, eoque perfruamur. Beatus est quippe, qui fruitur summo bono. 3 Quamuis autem non cõtinuo beatus sit, qui eo fruitur, quod amat (multi enim amando ea, quæ amanda non sunt, miseri sunt, & miseriores cùm fruuntur:) nemo tamen beatus est, qui eo quod amat, non fruitur. Nam & ipsi, qui res non amandas amant, non se beatos esse amando putant, sed fruendo. Quisquis ergo fruitur eo quod amat; verumque & summum bonum amat: quis eum beatum, nisi miserrimus negat? 3 Tom. 5. lib. 8. de Ciuit. Dei. cap. 9.

Cap. XL.

Quo amore Deus præ omnibus creaturis amandus sit.

1 SIcut autem amor immundus in-flammat animam, & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atq. in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna eleuat, & ad æterna inflãmat; & ad ea quæ nõ transeunt neque moriũtur, excitat animã; & de profundo inferni leuat ad cælũ. Habet tamẽ omnis amor vim suã, nec potest vacare amor in anima amãtis: necesse est, vt ducat. Sed vis nosse, qualis amor sit? Vide quò ducat. Non enim monemus, vt nil ames; sed monemus, ne mundum ames: vt eum qui fecit mundum, liberè ames. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis: volare non potest. Mundata verò ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi, volat. Quò, nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando? 2 Purga ergo amorem tuum: aquam fluentem in cloacam, conuerte ad hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Num tibi dicitur, Nihil ames? Absit. Piger, mortuus, detestandus, misereris, si nihil ames. Ama: 3 sed væ tibi, si amaueris condita, & deserueris cõditorem. Pulchra tibi sunt; sed quanto est pulchrior, qui ista formauit? Ne subrepat sathanas, dicens, quod solet dicere: Bene sit vobis in creatura Dei. Quare illa fecit, nisi vt bene vobis sit? Et inebriãtur homines, & pereunt, & obliuiscuntur creatorem suum: dum non temperanter, sed cupidè vtuntur creatis, creator contemnitur. De talibus dicit Apostolus: Coluerunt & seruierũt creaturæ potius, quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem: sed ad hoc probare & laudare

1 In Psal. 121. in initio.
2 In Psal. 31. in initio.
3 To. 9. Tract. 2. in epist. Ioan. in med.
Rom. 1.

laudare, vt ame creato em. Quemadmodum si spōsus faceret sponsæ suæ annulū, & illa acceptū annulū plus diligeret quam sponsum, qui illi fecit annulū; nōne in ipso dono spōsi adultera anima deprehēderetur, quāuis hoc amaret, quod dedit spōsus? Certè hoc amaret, quod dedit sponsus: tamē si diceret, Sufficit mihi annulus iste; iā illius faciē nolo videre; qualis esset? Quis non detestaretur hanc amentiā? Quis non adulteru animum conuinceret? Amas aurum pro viro; amas annulum pro spōso. Si hoc est in te, vt ames annulū pro spōso, & nolis videre sponsum tuum: ad hoc tibi arram dedit, vt non te oppignoraret, sed auerteret. Ad hoc vtique arram dat sponsus, vt in arra sua ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum qui fecit ista. Plus est, quod tibi vult dare, id est, seipsum, qui ista fecit. Si autem amaueris hæc, quamuis Deus illa fecerit, & neglexeris creatorem, & amaueris mundum: nónne tuus amor adulterinus deputabitur? Denique * quid amas, vt Deū non ames? Dic mihi, Ama, si potes, aliquid, quod ille non fecit. Circumspice vniuersam creaturam: vide vtrū alicubi cupiditatis visco tenearis, & à diligendo creatorem impediaris, nisi ea re, quam creauit ipse quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quàm ille, à quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea quæ miraris, ama quem non vides. Interroga creaturam: si à seipsa est, remane in illa. Si autem ab illo est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur creatori.

* In Psal. 79. in fi. 10.

CAP. XLI.

Sicut fides amatur, licet non videatur; sic & Deus potest amari nō visus: sed gratis, non ad mercedē, amandus est.

1 SEd dicturus es mihi, Non illum video: quomodo sum amaturus quem non video? Et quomodo dicis amare, quem non vides? Modò ostendo, vnde coneris videre, quod istis oculis non potes videre. Ecce amas amicum: quid in illo amas? Gratis eum amas. Sed fortè amicus iste tuus, vt alia omittam, senex homo est: fieri enim potest, vt habeas amicum senem. Quid amas in sene? Incuruum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? Si corpus, quod vides, nihil deformius præ senectute: & tamen aliquid amas, & corpus, quod vides, non amas, quia deforme est. Vnde vides quod ames? Si enim quæram à te: Quare amas?

1 D. August. Ho. 38. inter quinq. in me.

amas? responsurus es mihi, Homo fidelis est. Ergo fidem amas. Si fidem amas, quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus. Incipe ergo Deum amare, & amabis omnia propter Deum. Audi magnum testimonium. Diabolus certè accusator sanctorum est. Et quia non apud talem iudicem agit, quem fallat; non potest in nos crimina falsa dicere. Nouit apud quem dicat. Quia ergo falsa contra nos non potest dicere, quærit vera, quæ dicat. Ideo tentat, vt habeat quod dicat. Hic ergo aduersarius noster, qui nobis inuidet regnum cælorum, qui non vult vt ibi simus, vnde ipse deiectus est, Nunquid, inquit, Iob gratis colit Deum? Adhuc ad hoc prouocamur ab aduersario, vt gratis Deum colamus, quando ille quærens quod obiiciat, pro magno se putauit inuenisse, quia dixit, Nunquid gratis Iob colit Deum? Non quia viderat cor ipsius, sed quia videbat diuitias eius. Cauere debemus, ne ad præmium diligamus Deum. Quid enim? Propter præmium dilecturus es Deum? Quale præmium est, quod tibi daturus est Deus? Quicquid tibi aliud dederit, minus est, quàm ipse. Colis non gratis, vt aliquid ab ipso accipias. Gratis cole, & ipsum accipies. Se enim seruat tibi Deus, quo fruaris; & si amas quæ fecit; qualis est ille qui fecit? Si pulcher est mūdus: qualis artifex mūdi? Euelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, vt inhæreas creatori; & dicas quod in Psalmo scriptum est: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Si autem deseris eum qui te fecit, & amas illa quę fecit; deserto illo qui te fecit, adulter es. Sic clamat epistola Iacobi, adulteros appellans, Adulteri. Et vnde adulteri? Quæris vnde? Nescitis, inquit, quia amicitia huius mundi, inimica est Deo? Quicunque ergo voluerit amicus esse huius sæculi; inimicus Dei constituitur. Expresserat, quid dixerat, Adulter. Anima, deserto creatore, amans creaturam, adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius. Illo deserto, hoc amplectendo, efficeris immunda. O anima, vt illius amplexibus digna sis, dimitte ista, & illi inhære gratis. [2] Nō est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? Mercedē de Dei cultu nō habebimus? Habebimus planè, sed ipsum Deū, quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum sicuti est. Attende quia mercedem consequeris. Amatoribus suis Dominus Iesus Christus quid dicit? Qui diligit me, mandata mea custodit: & qui diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum. Quid illi ergo dabis? Et ostendam meipsum illi. Si non amas, parum est; si amas, si suspi-

Apoc. 12.
Iob 1.
Psalm. 72.
Iacobi 4.
2 In Psal. 55. ante finem.
Ioan. 14.

suspiras, si gratis colis eum, à quo gratis emptus es, (non enim eum promerueras, vt te redimeret) si consideres in te beneficia eius, suspiras, & inquietum habes cor desiderio eius, noli extra eum aliquid quærere ab eo: ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis auarus, sufficit tibi Deus. Etenim auaritia terram quærebat possidere totam, adde & cælum: plus est, qui fecit cælum & terram. Discamus in istis humanis coniugiis considerare cor castum, quale sit ad Deum. Certè humana coniugia sunt: non diligit vxorem suam, qui propter dotem illam diligit: non maritum castè diligit, quæ propterea diligit, quia aliquid donauit, aut quia multum donauit. Donauit & diues maritus, & pauper factus est maritus. Quàm multi proscripti, à castis vxoribus amplius dilecti sunt? Probata sunt multa casta coniugia calamitatibus maritorum: & ne aliud vxores amare, quàm maritum putarentur, non solum non deseruerunt, sed amplius obsecutæ sunt. Si ergo maritus carnalis gratis diligitur, si castè diligitur, & vxor carnalis gratis diligitur, si castè diligitur; Deus quomodo diligendus est, verus & verax animæ maritus, ad prolem sempiternæ vitæ fœcundans, & steriles nos non esse permittens? Illum ergo sic diligamus, vt aliud præter ipsum non diligamus: & fiet in nobis, quod in Psalmo cantamus, quia & hæc vox nostra est: In quacunque die inuocauero te, ecce sciui, quoniam Deus meus es tu. Hoc est quippe inuocare Deum, gratis diligere Deum.

Psalm. 55.

CAP. XLII.

Quid sit inuocare Dominum: & qui eum non inuocent, licet clament ad Deum.

a Ibidem immediatè.

1 PRoinde de quibusdam *Deum non castè diligentibus* quid dictum est? Dominum, inquit Psalmista, non inuocauerunt. Quasi Dominum sibi inuocare videbantur; & petebant eum de hæreditatibus, de amplificāda pecunia, de prolonganda vita ista, de cæteris temporalibus rebus. Ideo quid sequitur? Ibi timuerunt timore, vbi non erat timor. Quid est, Vbi non erat timor? Ne illis subtraheretur pecunia, ne aliquid in domo eorum minus fieret. Postremò, ne minus annorum haberent in hac vita, quàm sibi sperabant. [2] Ad illum quidem clamare non cessauerunt; & tamen Dominum nō inuocauerunt. Quid est ergo, Dominum non inuocauerunt? Dominum in se non vocauerunt. Ad cor suum non inuitauerunt, à Domino se habitari noluerunt. Et ideo quid eis contigit? Ibi trepida-

b In Psal. 75. in princip.

pidauerunt timore, vbi non erat timor. Ideo de rerum præsentium amissione tremuerunt, quoniam non erant pleni illo, quem non inuocauerunt, nō gratis amauerunt. 3 Deus *quippe* gratis vult se coli, gratis se vult diligi, hoc est, castè amari: non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Qui ergo inuocat Deum, vt diues fiat; Deum non inuocat: hoc enim inuocat, quod ad se vult venire. Nam cum dicitur: Deus, da mihi diuitias: non vis, vt ipse Deus ad te veniat: sed vis vt diuitiæ veniant ad te. Quod vis vt ad te veniat, hoc inuocas. Si autem Deum inuocares, ipse ad te veniret; ipse esset diuitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam, & inanem conscientiam. Deus non implet arcam, sed pectus. Quid tibi prosunt exteriores diuitiæ, si te interior premat egestas? Ergo isti qui propter sæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter præsentem vitam, & terrenam felicitatem, inuocant Deum; non inuocant Deum. 4 Hoc est enim illum inuocare, illum in te vocare; quodammodo eum in domum cordis tui inuitare. Non autem auderes tantum patremfamilias inuitare, nisi nosses ei habitaculum præparare. Si enim tibi dicat Deus, Ecce inuocasti me, venio ad te; quò intrabo? Tantas sordes conscientiæ tuæ sustinebo? Si seruum meum in domum tuam inuitares, nónne eam prius mundare curares? Inuocas me in cor tuū, & plenum est rapinis. Quo inuocatur Deus, plenum est blasphemiis, plenum est adulteriis, plenum est ira & fraudibus, plenum est malis concupiscentiis; & insuper plenum est inuidia, & inuocas me? Dico ergo breuiter homini auaro: Quare inuocas Deum? Vt det tibi lucrum? Lucrum ergo inuocas, non Deum: quia hoc lucrum, quod concupiscis, non potes habere per seruum tuum, nō potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum. Inuocas Deum; ministrum lucri tui facis Deum. Viluit tibi Deus. Vis inuocare Deum? gratis inuoca. Auare, an parum tibi est, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum. Quid ergo tibi de his quæ fecit Deus, sufficit, cui Deus ipse non sufficit? 5 Denique, si Deum propterea inuocas, vt veniat ad te pecunia, vt veniat ad te hæreditas, vt veniat ad te sæcularis dignitas: illa inuocas, quæ vis vt veniāt ad te: sed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum: Deus bonus, si det quod vis. Quid si malè vis? Nónne erit tibi non dando magis misericors? Porrò si non dederit, iam nihil tibi Deus est, & dicis,

3 In psal. 53. in medio.

4 In psal. 30. conc. 3 ante medium.

5 In psal 85. ante medium

Quantum rogaui, quàm ſæpe rogaui: & non ſum exauditus. Quid enim petebas? Fortè mortem inimici tui. Quid ſi & ille petebat tuam? Qui te creauit, ipſe & illum: homo es, homo eſt & ille. Deus autem iudex eſt, audit ambos, ſed non exaudit ambos. Triſtis es, quia non es exauditus contra illum: gaude, quia non eſt exauditus contra te. Ego, inquis, non hoc petebam: non inimici mei petebam mortem; ſed vitam petebam filij mei. Quid mali petebam? Nihil mali petebas, ſicut tu
Sapient.4. ſentiebas. Nam quid ſi ille raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius? Sed peccator, inquis, erat; & ideo volebam eum viuere, vt corrigeretur. Tu volebas eum viuere, vt melior eſſet. Quid ſi Deus nouerat, ſi viueret, peiorem futurum? Vnde ergo noſti quid illi prodeſſet, mori an viuere? Si ergo non noſti, redi ad cor tuum: dimitte Deo conſilium ſuum. Quid ergo, inquis, faciam? Quid orem? Quid orem? Quod te docuit Dominus, quod te docuit cæleſtis magiſter. Inuoca Deum, tanquam Deum: ama Deum, tanquam Deum. Illo melius nihil eſt, ipſum deſidera, ipſum concupiſce. Vide inuocantem
Pſalm.26. Deum in Pſalmo: Vnam petij à Domino, hãc requiram. Quid eſt quod petit? Vt inhabitem in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ. Vt quid hoc? Vt contempler delectationem Domini. Si ergo amator Dei eſſe vis; ſinceriſſimis medullis, caſtiſque ſuſpiriis ipſum dilige, ipſum ama, illi flagra, illi inhia, quo iocundius nihil inuenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius nihil. Quid enim tam diuturnum, quàm id quod eſt ſempiternum? Non timeas, ne aliquando à te pereat, qui facit ne tu pereas. Si ergo tu inuocas Deum tanquam Deum; ſi amas Deum, tanquam Deum, ſecurus eſto, dum ad eum *pro*
Pſalm. 76. *æterna ſalute* clamaueris, ſicut dicit Pſalmus, Voce mea ad Dominum clamaui, vtique exaudieris.

Cap. XLIII.

Dei exauditiones diſcernũtur: & quomodo quidã ad voluntatem, quidã ad ſalutẽ exaudiantur, exemplis oſtenditur.

1 To.9. Tract. 6 in epiſt. Ioã. in medio. 1 SEd iam diſcernamus exauditiones Dei. Inuenimus enim quoſdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad ſalutem: & rurſus quoſdam inuenimus exauditos ad voluntatem, & non exauditos ad ſalutem. Hoc diſcerne, hoc tene exemplum eius, qui non eſt exauditus ad voluntatem, ſed exauditus eſt ad ſalutem. Audi Apoſtolum Paulum; nam ipſam ex-
2. Cor.12. auditionem ad ſalutem, oſtendit illi Deus: Sufficit tibi, inquit,

gratia

gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Rogasti, clamasti, ter clamasti: ipsum semel, quod clamasti, audiui: non auerti aures meas à te: noui quid faciam. Tu vis auferri medicamentum, quo vreris: ego noui infirmitatem, qua grauaris. Ergo iste ad salutem exauditus est, ad voluntatem non est exauditus. Quos denique inuenimus exauditos ad voluntatem, non exauditos ad salutem? Inuenimus, putamus, aliquem nequam, aliquem impium exauditum à Deo ad voluntatem, non exauditum ad salutem? Si alicuius hominis exemplum posuero, fortè dicturus es mihi, Tu illum dicis iniquum; nam iustus erat: si iustus non esset, à Deo non exaudiretur. Talem itaque propositurus sum, de cuius iniquitate & impietate nemo dubitet. Diabolus ipse petiit Iob, & accepit. Nónne ipse est antiquus ille serpens, qui per feminam, venenum primo homini propinauit? Qui & ipsi Iob feminam propterea seruauit, per quam maritus non consolaretur, sed tentaretur. Ipse diabolus petiit sanctum virum Iob tentandum, & accepit: petiit Apostolus, vt auferretur stimulus carnis; & non accepit. Sed Apostolus magis exauditus est, quàm diabolus. Apostolus enim exauditus est ad salutem, etsi non ad voluntatem. Diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim concessus est ille tentandus, vt eo probato, esset ille cruciãdus. Sed hoc non tantùm in veteribus libris inuenimus, sed & in Euangelio. Petierunt dæmones à Domino, cum eos excluderet ab homine, vt ire permitterentur in porcos. Non eis posset dicere Dominus, vt nec illuc accederent? Non enim, si nollet, rebellaturi erant contra Regem cæli & terræ. Certi tamen mysterij gratia, & certa dispensatione dimisit dæmones ire in porcos, vt ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitã porcorum gerunt. Dæmones ergo exauditi sunt, Apostolus non est exauditus? An potius, quod verius est, dicamus; imo Apostolus exauditus est, Dæmones non sunt exauditi? Illorum voluntas facta est: huius sanitas perfecta est. Secundum hoc intelligere debemus, quia Deus etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat. Quid si enim hoc petieris, quod tibi obest, & medicus nouit quia hoc obest tibi? Non enim non te exaudiuit medicus, quando fortè tu frigidam aquam petis; & si prodest, statim dat: si non prodest, non dat. Non exaudiuit? An potius ad sanitatem exaudiuit, quia voluntati contradixit? Multi dati sunt in manus suas malo suo, sicut de quibusdam dicit Apostolus: Tradidit eos Deus in desideria cordis corũ. Petit aliquis magnam

Iob 1. | Matth. 8. | Vide in Psal. 26 conc. 2. post princip. | Rom. 1.

pecuniam: accipit malo suo. Quando illam non habebat, parum timebat: habere illam cœpit, præda factus est potentiori. Nónne malo suo exauditus est, qui voluit habere, vnde à latrone quæreretur, quem pauperem nemo quærebat? * Ad voluntatem etiã Israëlitæ exauditi sunt: & cùm adhuc cibus esset in ore ipsorũ, nosti quæ consecuta sunt. Noli ergo pro magno habere, ad voluntatem exaudiri. Aliquando Deus iratus dat quod petis: & Deus propitius negat quod petis.

* Serm. 53. de verb. Domini in medio.

CAP. XLIIII.

Non est murmurandum contra Deum, si quando negat quod ab illo petitur: ipse medicus est, & scit quid homini expediat.

* In Psal. 144. vltra medium

1 Itaque aliquando aliquid desideratur ab illo, & non dat: nouit horam dandi, qui suos curat. Quare ista dico? Ne quis, quando fortè non fuerit exauditus, aliquid iustum petens à Deo, (nam quando iniustum aliquid petit, in pœnam suam exauditur:) sed aliquid non iniustum petens, si fortè non fuerit exauditus; non minuatur animo, non deficiat. Quando Deus non dat, ideo non dat, ne obsit quod dat. Neque enim aliquid iniustum petebat Apostolus, quando rogabat vt auferretur ab eo stimulus carnis, angelus sathanæ, à quo colaphizabatur: & tamen rogauit, & non accepit: quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis. Petiit Iob tentandum diabolus, & accepit. Quid dicam? Reuera comparandus Apostolus diabolo? Apostolus rogat, & non accipit. Diabolus petit, & accepit. Sed non accepit Apostolus propter perfectionẽ suam: accepit diabolus ad damnationem. Deniq; ipse Iob accepit sanitatem in opportunitate. Dilatus est enim vt probaretur, & diu sedit in puluere, & multa dixit, & rogabat Deum vt auferrentur ab eo ista: & Deus non auferebat. Citiùs diabolum exaudiuit ad eum tentandum, quàm ipsum Iob ad sanãdum. Discite ergo *vos Christiani*, non murmurare aduersus Deum, & quando non exaudimini; ne deficiat in vobis, quod suprà scriptum est: Per singulos dies benedicam te. Ipse filius, ipse vnicus Patris vtique venerat soluere quod non debebat; mori in manibus peccatorum, sanguine suo delere chirographum mortis nostræ. Ad hoc venerat: & tamen vt tibi ostenderet exemplum patientiæ, transfigurauit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ: Pater, inquit, si fieri potest, transeat calix iste à me.

2 Corinth. 12.

Psalm. 144.

Matth. 26.

Et

Et vt impleret, quamuis nō acciperet, quod petere videbatur, Per singulos dies benedicam te: Veruntamen non quod ego volo, ait, sed quod tu vis, Pater. *An tunc non fuit ad nostram salutem, pro sua reuerentia exauditus Christus, cùm non solùm non obmurmuraret contra voluntatem patris, sed suam etiam ad illius voluntatem cōformaret?* Hebr. 5. [2] Quid vis amplius? Si murmurantem seruum in domo magna nō audiret paterfamilias; quereretur, & diceret, Quāta nos hic patimur, & nemo nos audit? 2 In Psal. 31. conc. 2. ante finem. Nunquid dicis illud de Deo, Quanta hîc patior, & nemo me audit? Si audiret me, fortè dicis, tolleret mihi tribulationem. Clamo, & tribulor. Tantum tu tene vias eius, & quando tribularis, audit te. Sed medicus est, adhuc putre habes, nescio quid. Clamas: sed adhuc secat, & non tollit manum, nisi secuerit, quantum videtur. Etenim medicus crudelis est, qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini. Matres quomodo fricant in balneis ad salutem filios? Nónne paruuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt, vt non parcant, vt non exaudiant lachrymas? Nónne plenæ sunt pietate? Et tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & Deus noster plenus est charitate: sed ideo videtur *clamantes in tribulatione* non exaudire, vt sanet, & parcat in sempiternum; & [3] vt appareat animus colens Deum, quantum colat Deum: vt videatur, 3 In Psal 43. in medio. vtrum gratis colat Deum, à quo salutem gratis accipit. Si enim tibi dicat Deus: Quid dedisti mihi, vt facerem te? Certè si factus promeruisti me, non me promerueras, antequam facerem te. Quid dicturi sumus ei, qui primò gratis nos fecit? Quia bonus est; non quia aliquid meruimus. Deinde de ipsa reparatione, de secunda natiuitate quid dicturi sumus? Merita nostra fecisse, vt illa nobis salus perpetua mitteretur à Domino? Absit. Si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram veniret. Non venit ille ad inspectionem meritorum, sed ad remissionem peccatorum. Non fuisti; & factus es. Quid Deo dedisti? Malus fuisti, & liberatus es. Quid Deo dedisti? Quid non ab eo gratis accepisti? Meritò & gratia nominatur, quia gratis datur. Exigitur ergo à te, vt & tu gratis eum colas: non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna. Sed ipsa æterna vide ne aliter cogites: & cogitando æterna carnaliter, nihilominus Deū gratis non colas. Quid enim? Si ideo colis Deum; quia dat tibi fundum; nō eum culturus es, quia tollit tibi fundum? Sed fortè tu dicis: Ideo eum colam, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam

mentem

mentem geris. Amore enim casto non colis, adhuc mercedem expectas. Ea enim vis habere in futuro sæculo, quæ hic necesse est relinquas. Mutare vis voluptatem carnalem, non amputare. Non laudatur in eo ieiunium, qui ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum. Inuitantur enim aliquando homines ad cœnam magnam, & cùm ad eam volunt auidi venire, ieiunant. Nunquid hoc ieiunium continentiæ, & non potius luxuriæ deputandum est? Noli ergo talia sperare tibi danda à Deo, qualia te hìc iubet contemnere. Hæc enim sperarunt Iudæi, ideo turbabantur in illa quæstione. Nam & ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hic amant viuentes. Ideo cùm illis proponeretur quæstio illa à Sadducæis, qui non credūt resurrectionem,
Matth. 22. de illa muliere, quæ nupsit septem fratribus sibimet succedentibus, cuius eorum in resurrectione futura erat: vox deficiebat, & respondere non poterant. At verò Domino quando est proposita; quia nobis talis resurrectio promittitur, non qua repetantur huiusmodi voluptates, sed qua æterna de ipso Deo gaudia cōparentur: respondit Dominus, & ait: Erratis, nescientes
Luc. 20. scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent. Non enim incipient mori, id est, non ibi quæretur successor, vbi non erit decessor. Et quid erit? Sed erunt, inquit, æquales angelis Dei. Nisi fortè putas quod angeli epulis quotidianis, & vino, quo te inebrias, gaudeant: aut hoc fortè arbitraris, quòd angeli vxores habeant. Nihil eorum est apud angelos. Vnde gaudent angeli, nisi vnde
Matth. 18. Dominus ait: Nescitis, quia angeli eorū semper vident faciem Patris? Si ergo ad faciem Patris gaudēt angeli, ad tale gaudium te præpara; aut si inueneris melius, quàm videre faciem Dei; illuc te præpara. Væ tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quàm est ille, à quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare *& de eo gaudere* mereatis.

CAP. XLV.

Epilogus præcedentium, & huius libri Conclusio.

1 In Psal. 118. conc. 11. OMnis ergo à nobis circuncidit ur auaritia, si gratis colatur Deus. Ad quod sanctū Iob in agone tentationis ipse prouocabat inimicus; cum de illo diceret, Nunquid gratis colit
Iob 1. Iob Deum? Putabat enim diabolus, quòd in Deo colendo vir iustus cor inclinatum haberet in auaritiā, & causa emolumenti,
vel

vel vtilitatis rerum temporalium, quibus eum ditauerat Dominus, velut mercenarius ei pro tali mercede seruiret. Sed quàm gratis Deum coleret tentatus apparuit. Si ergo & nos cor non habeamus inclinatum in auaritiam, *neque diuitiis, neque voluptatibus huius saeculi deditum neque rerum terrenarum sollicitudine anxiũ, aut vanorum gaudiorũ exultatione dissolutũ* Deum non colimus, nisi propter Deum, vt sui cultus ipse sit merces. [2] Nam qui Deũ ideo colit, vt aliud magis, quàm ipsum, *in quo solo exultandum est*, promereatur; non Deum colit, sed illud quod *peruersa delectatione* assequi cõcupiscit. [3] Sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur, quod diligitur. Vnde quia Deus rebus omnibus maior & melior inuenitur, plus omnibus diligendus est, vt colatur. *Quod verus eius cultor intelligens, & quã securum sit nõ in rebus perituris exultare, bene secum perpendens, sanctus Dauid Propheta, sic ait in quodam Psalmo.* [4] Anima autem mea exultabit in Domino: tanquam non quaerens alias extrinsecus diuitias; tanquam non quaerens circumfluere voluptatibus, bonisque terrenis: sed coniugem verũ gratis amans, non ab illo volens accipere, quod delectet, sed ipsum solum sibi proponens, à quo delectetur. Quid enim melius Deo dabitur mihi? Amat me Deus, amat te Deus. Ecce, puta, proposuit; Pete quod vis. Si tibi Imperator diceret, Pete quod vis, quos Tribunatus, Comitatúsue ructares? Quanta tibi proponeres, & accipienda, & aliis largienda? Deo tibi dicente, Pete, quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exerce auaritiam tuam, protende quantum potes, & dilata cupiditatem tuam: non quicunque, sed omnipotens Deus dixit, Pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram: vt omnes qui nascuntur, coloni tui, aut serui tui sint. Et quid, cum totam terram possederis? Mare petiturus es, in quo viuere tamen non poteris. In hac auaritia te pisces superabunt. Sed fortè insulas possidebis. Transcende & haec: pete & aërem, quamuis volare non possis: porrige cupiditatem tuam vsque ad caelum: dic tuum esse solem, lunam, stellas; quia ille qui fecit omnia, dixit, Pete quod vis: tamen nihil inuenies charius, nihil inuenies melius, quàm ipsum qui fecit omnia. Ipsum pete qui fecit, & in illo & ab illo habebis omnia quae fecit. Omnia chara sunt, quia omnia pulchra sunt. Sed quid illo pulchrius est? Fortia sunt: sed quid illo fortius? *quid certius, quid securius*? Et nihil magis vult dare quàm se. Si aliquid inuenerimus securius, si aliquid melius; illud petamus.

Si

2 Tom. 3 li. de innocent. sentent. 20.
3 In Psal. 77. in medio.
4 In Psal. 34. cõc. 1. in med.

Si autē aliquid petierimus, iniuriam faciemus illi, & damnum nobis, præponendo illi quod fecit, cū velit seipsum nobis dare, qui fecit. 5 Ergone, si, qui Christiani dicimur, acciperemus securitatem, nos in affluentia bonorum sæcularium semper futuros, & diceret nobis Deus, Aeterni in his eritis; gauderemus, & exultaremus in illis bonis? Eligeret fortè aliquis gaudere, & dicere: Abundant mihi ista, & bene mihi est: nihil amplius quæro. Nondum cœpit ille esse amator Dei, nondum cœpit suspirare, tanquam peregrinus. Absit, Absit. Recedant omnia seductoria, recedant blandimenta falsa. Nolumus omnia, quæ dedit, si non dat seipsum, qui dedit: *Proinde audeo & hoc dicere.* 6 Si Deus veniens voce propria loqueretur nobis, quanquā non taceat per literas suas; & diceret homini *ipsum arr.āti:* Peccare vis, pecca: fac quicquid te delectat: quicquid amaueris in terra, tuum fiat: cui fueris iratus, intereat: quem rapere volueris, rapiatur; quem cædere, cædatur: quem damnare, damnetur: quem possidere, possideas. Nemo tibi resistat, nemo tibi dicat, Quid facis? nemo, Noli facere, quod velis: nemo, Quare fecisti? Abundent tibi omnia ista terrena, quæ concupisti, & viue in illis, non vsque ad tempus, sed semper: faciem tantùm meam nunquam videbis. Ecce, omni ista terrena felicitate, omnibusque rebus abundabis: circūfluent te bona temporalia, non illa amittes, non illa deseres: quid vis amplius? Fleret quidem ille, & gemeret, & diceret: Imo, tollātur, Domine, omnia, & faciem tuā videam. Exclamaret de Psalmo, & diceret: Deus virtutum conuerte nos; & ostēde faciem tuam, & salui erimus. *Et iterum illud:* Vnam petij à Domino, hanc requiram. Quid? Vt inhabitem in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ. Quid, si propter terrenam felicitatem? Audi, quid sequitur: Vt cōtempler delectationem Domini, & protegar à templo eius, id est, esse templum eius, & protegi ab eo, hanc vnam petij à Domino. Hanc ergo vnam, ô fideles, si petieritis, accipietis; ad hanc vnam si cor vestrum exercueritis; & hoc solū si amittere timueritis; nec inuidebitis felicitatibus terrenis, *quas hic amāt stulti & miseri*, & illam, *quæ in futuro est*, felicitatem veram sperabitis: *quam tunc nobis omnibus, cùm hinc migrauerimus, Deus concedat, qui est benedictus in secula, Amen.*

5 In Psal. 85. ante medium

6 In Psal. 137. in medio.

Psalm. 79.

Psalm 26.

FINIS.

ELENCHVS CAPITVM LIBRI DE FELICITATE CAELESTIS PATRIAE.

CAP. I.

PEr fidem hic lactamur quasi infantes, ad capienda Dei promissa, Christianis data.

2. Per Christum facti sunt Christiani, dij, & filij Dei.

3. De Dei promissis nihil est dubitandum; nihil timendum, ne non fiant.

4. Quibus rationibus certificemur de futuris Dei promissis

5. Christus via nobis factus est ad vitam aeternam sua passione, morte & resurrectione.

6. Christus, qui primus à mortuis resurrexit semper victurus, nostram resurrectionē in se transfigurauit.

7. Facilis est Deo resuscitatio mortuorum: sed difficulter à quibusdam ipsa resurrectio creditur.

8. Rationibus instruuntur, qui resurrectionem corporum non credunt.

9. Caro hominis comesta ab alio homine, vtri in resurrectione sit applicanda.

10. Duabus similitudinibus ostenditur, necessarium non esse, vt materia corporis resuscitandi ad eundem locum redeat, in quo prius fuit in corpore.

11. Soluitur quaestio de abortiuis foetibus.

12. In qua mensura corporis resurrecturi sint, qui infantes aut paruuli sunt mortui, declaratur; & quòd in resurgentibus nulla apparebit deformitas.

13. Resurgentiū corpora spiritalia erunt, leuia, & agilia.

14. Sicut hic quaedam partes corporis non ad vsum, sed ad ornatum faciunt: ita erit & post resurrectionem.

15. Refellitur opinio illorum, qui dicunt, quòd & feminae omnes in sexu virili resurgent.

16. Post resurrectionem nulla erit in nobis corruptio; nec vllius rei adminiculo indigebimus: Deus ipse pascet nos.

17. Carnalis anima, quae desiderat similes delectationes in caelo, quales hic habet: aegrota est: si sanetur, peribunt illa desideria: succedent de sanitate gaudia.

18. In caelo nulla erit necessitas, nec vlla actio, nisi gratiarum: sed satietas ibi erit nunquā saturata in laude & amore Dei.

19. Quale negotium futurum est in caelo, non in necessitate corporali, sed in laude Dei.

20. Homines aequales erunt angelis in laude Dei; non per syllabas, neque per verba, neque per lectionem librorum; sed per contemplationem purissimā, Deum cognoscentes.

21. Explicatur haec scriptura, Qui est, misit me: & quale sit illud verum esse, ostenditur.

22. Dies terrae, & dies celi quales sint; qui & anni dicuntur.

23. Incitatio nostri desiderij ad illos dies & annos qui nunquam deficiunt sed semper stant.

24. Quid

24. *Quid sint anni Dei, & quid sit æternitas, & quomodò vocet nos Deus, & maneat in nobis.*
25. *De æterno Christi regno: & quod sit illud regnum.*
26. *Quòd Christi regnū æternum sit futurum, hoc antea promisit Deus: & in quibus regnat, sedes eius sunt.*
27. *Cohæredes Christi nos fecit Deus: qui & ipsius hæreditas sumus, & ipse nostra.*
28. *In Christi hæreditate nihil est priuatum: ad quam qui velit pertingere, priuatis debet præferre communia.*
29. *Nos Dei possessio sumus, & Deus nostra: sed Deo nos indigemus, non ipse nobis.*
30. *Sancti, quos Deus inhabitat, templum eius sunt & cælum.*
31. *In cælis est patria nostra, ad quā peregrinantes & gementes anhelare debemus.*
32. *Qui cælestem patriā desiderat, cognoscit se peregrinum, & positum in magna tribulatione.*
33. *In cælesti patria, bona sunt non mixta malis, ad quæ capessenda sinus cordis nostri extendendus & purgandus est.*
34. *Inquilini hic sumus: ciues erimus in illa ciuitate, ad quam rex eius, & per literas suas, & per seruos suos, & per seipsum nos inuitat.*
35. *Quantum distet inter hanc vitam & futuram: & de futura melius dicitur quid ibi non sit, quàm quid ibi sit.*
36. *In terra tabernaculum est, in cælo domus, in qua semper manebimus.*
37. *Qualis pax ista erit, quæ exuperat omnē sensum & intellectū.*
38. *Pacis commendatio: vbi etiam ostenditur, hic non satis posse laudari illam pacem, quæ erit in patria.*
39. *Visio Dei omnium nostrorum laborum merces erit.*
40. *Deus summum illud bonū est, à quo omnia bona sunt.*
41. *Iubilare quid sit & Deus quid non sit.*
42. *Non talia bona in cælo sunt expectanda, qualia hîc sunt in terris.*
43. *Terra viuentium quæ sit: & bonum illius terræ quam sit desiderandum.*
44. *Conclusio qua declaratur, quòd ex cōdigno nullo labore quis promereri possit requiē æternæ vitæ.*

DE FELICITATE CÆLESTIS PATRIÆ, LIBER VNVS:

Ex ſcriptis D. Aurelij Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, contextus.

Capvt I.

Per fidem hîc lactamur quaſi infantes, ad capienda Dei promiſſa, Chriſtianis data.



Hoc noſſe, & Chriſtiano corde tenere debemus, [1 D. Auguſt. Ser.64. de ver. Dom. in init.]
non ad præſentis temporis bona nos factos eſſe
Chriſtianos, ſed ad neſcio quid aliud, quod Deus
iam promittit, & homo nondum capit. De hoc [Eſaiæ 64.]
enim bono dictum eſt, Quod oculus non vidit, [1. Cor. 2.]
nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligẽtibus ſe. Ergo quia hoc bonum tam magnum, tam præclarum, tam ineffabile nõ inuenit hominem perceptorem, tenebit Deum promiſſorem. Nunc enim quod ei promiſſum eſt, homo cæcus corde non percipit; nec ei poteſt oſtendi in præſenti, quid ipſe, cui promittitur, ſit futurus: quia & infans natus, ſi poſſet verba loquentis intelligere, cùm ipſe loqui non poſſit, nec ambulare, nec aliquid agere; ſed ſicut eum videmus infirmum, iacentem, indigum opis alienæ, tantummodo intelligere poſſit eum, qui ſibi loqueretur, & diceret ei; Ecce, ſicut me vides ambulantem, operantem, loquentem, poſt paucos annos talis eris: attendens ſe & illum, quamuis quod promitteretur, videret: tamen ſuam conſiderans infirmitatem, non crederet; & videret tamen quod promitteretur. Nobis autem tanquam infantibus in hac carne atque infirmitate iacentibus, & magnum eſt quod promittitur, & non videtur: & erigitur fides, qua credimus quod non videmus, vt mereamur videre, quod credimus. [2] Adhuc enim in iſta carne quamdiu peregrinamur à Domino, ad Angelos ſanctos, qui hoc vident, infantes [2 Ibidem inf.] ſumus lactandi fide, paſcendi ſpecie: ſic enim dicit Apoſtolus,

2 Cor. 5. Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem. Venturi ſumus ad ſpeciem, quæ nobis ſic promittitur per Ioannem in Epiſtola

1. Ioan. 3. eius: Dilectiſſimi, filij Dei ſumus, & nō apparuit quid erimus. Filij Dei ſumus per gratiam, per fidem, per ſacramentum, per ſanguinem Chriſti; per redemptionem Saluatoris, filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quia cum apparuerit, ei ſimiles erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Ecce, ad quod nutrimur capiendū; ecce, ad quod nutrimur percipiendum, comedendum, vt tamen quod comeditur, non minuatur, & qui comedit, vegetetur. Nam modò cibus vegetat comedendo, ſed minuitur cibus, qui comeditur. Quando autem cœperimus comedere iuſtitiam, comedere ſapientiam, comedere illum immortalem cibum; & nos vegetamur, & cibus non minuitur. Si enim nouit oculus paſci luce, nec tamen minuit lucem: non enim minor erit lux, quia videtur à pluribus; plurium oculos paſcit, & tamen tanta eſt, quāta erat; & illi paſcuntur, & illa non minuitur. Si Deus dedit hoc luci, quam fecit ad oculos carnis, quid eſt ipſe lux ad oculos cordis? Si ergo laudaretur nobis aliquis cibus magnus, quem pranſuri eſſemus, pararemus ventrem: laudatur nobis Deus, paremus mentem.

Vide Tom. 9. li. 4. de Symb. cap. 7.

Cap. II.

Per Chriſtum facti ſunt Chriſtiani, dij, & filij Dei.

a In Pſal. 84. in medio. Matth. 6. Ioan. 6.

1 IAm quidem dedit nobis Pater Chriſtū ſuum, adhuc tamen illi dicamus *neceſſe eſt*, da nobis Chriſtum tuum; quia dicimus illi, Panem noſtrum quotidianū da nobis hodie. Et quis eſt panis noſter, niſi ipſe qui dixit, Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi? Dicamus ergo illi, Da nobis Chriſtum tuum. Dedit enim nobis Chriſtum, ſed hominem, quem nouimus. Dedit hominem: eum ipſum nobis daturus eſt Deum. Hominibus enim hominem dedit, quia talem illū hominibus dedit, qualis poſſet capi ab hominibus. Deum enim Chriſtum nullus hominum capere poterat. Factus eſt hominibus homo, ſeruauit ſe Deum diis. An fortè arroganter dixi? Reuera arroganter, niſi

Pſalm. 81. ipſe dixiſſet, Ego dixi, Dij eſtis, & filij altiſſimi omnes. Ad hanc ipſam adoptionem reuocamur, vt efficiamur filij Dei. Iam quidem ſumus, ſed per fidem. Sumus quidem, ſed in ſpe: nondum

nondum ſumus in re. Spe enim ſalui facti ſumus, ſicut dicit Apoſtolus. Spes autem,quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. Quid enim expectamus per patientiam, niſi videre quod credimus? Modò enim credimus quod non videmus: permanendo in eo quod credentes non videmus, merebimur videre quod credimus. Propterea Ioannes quid ait? Dilectiſſimi, filij Dei ſumus; ſed nondum apparuit quid erimus. Quis non exultet, ſi ſubitò, neſcio cui peregrinanti, & ignoranti genus ſuum, patienti aliquam egeſtatem & ærumnam, & in labore conſtituto diceretur, Filius ſenatoris es; pater tuus amplo patrimonio gaudet in re veſtra, reuoco te ad patrem tuum? Quali gaudio exultaret,ſi hoc non fallax promiſſor diceret? Venit ergo non fallax Apoſtolus Chriſti, & ait, Quid eſt, quod de vobis deſperatis? Quid eſt, quod vos affligitis,& mœrore conteritis? Quid eſt,quod concupiſcentias veſtras ſequendo,in egeſtate iſtarum voluptatum conteri vultis? Habetis patrem,habetis patriam,habetis patrimonium. Quis eſt iſte Pater? Dilectiſſimi, filij Dei ſumus. Quare ergo nondum videmus patrem noſtrum? Quia nondum apparuit quid erimus. Iam ſumus, ſed in ſpe: nam quod erimus, nondum apparuit. Et quid erimus? Scimus, inquit, quia cũ apparuerit,ſimiles ei erimus,quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Sed fortè videndo Patrem,non videndo filium, erimus beati. Ipſum audi Chriſtum: Qui me videt, videt & Patrem. Cùm enim vnus Deus videtur, trinitas videtur, Pater, & Filius,& Spiritusſanctus. Audi expreſſius, quia ipſius filij viſio tribuet nobis beatitudinem; & nihil intereſt inter viſionem ipſius,& viſionem patris. Ipſe ait in Euangelio, Qui diligit me,mandata mea cuſtodit,& ego diligam illum,& oſtendam meipſum illi. Loquebatur illis, & dicebat, Oſtendam meipſum illi. Quare? Non erat ipſe qui loquebatur? Sed carnem caro videbat, diuinitatem cor non videbat. Ad hoc autem caro carnem vidit, vt per fidem cor mundaretur, vnde Deus videretur. Dictum eſt enim de Domino, Fide mundans corda eorum: & *item* dixit *idem* Dominus, Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt. Ergo ſi nobis promiſit oſtendere ſe nobis, qualis eſt pulchritudo eius? Cogita; omnia iſta, quæ vides pulchra,quæ amas,ipſe fecit. Si hæc pulchra ſunt, quid eſt ipſe? Si hæc magna ſunt,quantus eſt ipſe? Ergo ex iſtis quæ

Rom. 8. | 1.Ioan. 3. | Ibidem | Ioan. 14. | Ioan. 14. | Actor. 15. | Matth. 5.

hic amamus, illum magis desideremus; & contemnentes ista, illum diligamus: vt ipsa dilectione per fidem cor mundemus; & mundatum cor nostrũ inueniat aspectus *illius*, qui facit nos ex filiis hominũ filios Dei: quia ex filio Dei fecit Deus filium hominis. Vide quæ sit illa participatio. Promissa quidem est nobis participatio diuinitatis. Mentitur qui promisit, si non est prior factus particeps mortalitatis. Filius enim Dei particeps nostræ mortalitatis effectus est, vt mortalis homo fiat particeps diuinitatis suæ. Qui tibi promisit communicandum tecum bonum suum, prius tecum cõmunicauit mala tua. Qui tibi promisit diuinitatem, ostendit in te charitatem.

1 In Psal. 53. ante medium

CAP. III.

De Dei promißis nihil est dubitandum; nihil timendum ne non fiant.

1 In Psal. 60. post medium.

1 PErseueremus ergo *in fide, in spe, in dilectione, &* in timore nominis Domini: æternus pater non nos fallit. Laborant filij, vt suscipiant parentum suorum hæreditatem, quibus mortuis successuri sunt: nos non laborabimus accipere hæreditatem, hoc est, diuinitatis participationem, ab illo patre, cui non morienti succedamus, sed cum illo in ipsa hæreditate in æternum viuamus? Dedisti (inquit ille) hæreditatem timentibus nomen tuum. *Non dixit, dabis: sed, dedisti hæreditatem: quia sicut certus est, qui accipit: sic & verax, qui promittit; qui & hoc (vt alibi dicit) in sancto suo locutus est.* 2 Quid igitur times ne non fiat quod Deus locutus est? Si haberes aliquem grauem amicum & sapientem, quomodo diceres? Ille locutus est hæc; fiat necesse est, quod locutus est. Vir grauis est, nõ leuitate vtitur, non facilè de sententia dimouetur; quod promisit, fixum est. Sed tamen homo est, qui aliquando, quod promisit, facere vult, & non potest. De Deo non est, quod tu timeas. Quia verax est, constat: quia omnipotens est, constat: fallere te non potest; habet vnde faciat. Quid ergo times ne decipiaris? Opus est, vt tu te non decipias, & *bene operando* perseueres vsque in finem, cum daturus est quod promisit. Nunc enim, ô homo, operarius es Dei, postea est tempus mercedem accipiendi. 3 Quid iam flagitas mercedem, antequam opereris? Si venerit operarius ad domum tuam, nunquid dabis ei mercedem, nisi perfecerit opera sua? Nam peruersum eũ existimabis, si dixerit,

Psalm. 60.

2 In Psal. 59. ante medium

3 In Psal. 35. post medium

Prius

Prius accipiam mercedem, & tunc operabor. Irasceris. Quare autem irasceris? Quia non habuit fidē homini mendaci. Quomodo non Deus irascitur, cùm tu fidem non habeas ipsi veritati? Quod tibi promisit, daturus est; non fallit, quia veritas est, qui promisit. Sed times ne fortè non habeat quod det. Omnipotens est, noli timere, ne non sit quod det. Immortalis est, ne timeas ne succedatur ei. Perpetuus est, securus esto. Si vis in te præsumere tota die operarium tuum; crede & tu Deo tota vita tua: quia vita tua momentum temporis est ad Deum.

4 Tu enim non fallis mercenarium tuum, timens Deum; & te ipse Deus fallet, qui iussit ne fallas mercenarium? Tamen tu quod promiseris, potes & non dare, & si non est in corde tuo dolus falsitatis, est tamen in fragilitate humana, inopia difficultatis. Quid de Deo timeamus, qui nec fallere potest, quia veritas est, & abundat omnibus, quæ fecit? 5 Sed mercedem nondum accipis; fortè quia capere nondum potes. Iam enim ille potest dare, sed tu non potes accipere. Exerce te operibus, labora in vinea: finito die pete mercedem: fidelis est, qui te adduxit ad vineam. 6 Et quid tibi est promissum? Videamus quid promisit. Aurum est, quod hîc multum amant homines, an argentū? An possessiones, ad quas fundunt homines aurum, quamuis multum ament aurum? An amœna prædia, amplæ domus, multa mancipia, animalia numerosa? Non est hæc merces quædam, ad quam nos hortatur Deus, vt in labore duremus. Quid dicitur merces ista? Vita æterna. 7 Si ergo deficiebas in laboribus, promissa mercede fortis esto. Quis est qui operetur in vinea, & recedat illi de corde, quod accepturus est? Fac illum oblitum mercedem suam: deficiūt manus. Memoria promissæ mercedis, perseuerantem facit in opere; & tamen homo promisit, qui te potest fallere. Quanto fortior esse debes in agro Dei, quando promisit veritas, cui nec succedi potest, nec mori potest, nec fallere potest eum, cui promissum est?

8 Noli ergo timere, ne promissionem eius corrumpat aliquis potentum. Ipse verò non corrumpit, quia verax est: potentiorem non habet, à quo eius promissio corrumpatur. Certi ergo sumus de promissis Dei.

4 D. August. serm. 245 de tēp. post init.

5 In Psal. 36. côc. 1. in med.

6 To. 9. Tract. 3. in epist. Ioā. vltra med.

7 Ibidem inf.

8 In Psal. 74. in initio.

CAP. IIII.

Quibus rationibus certificemur de futuris Dei promissis.

1 In Psalm. 39. post princip. DEinde [1] rebus etiam ipsis persuasit nobis Dominus noster, fidelem se esse promissorem, largũ datorem. Magna enim bona præstitit, & adhuc debitor est. Sed qui hæc reddita iam tenet, de cæteris credat, quæ credere debuit, & antequam
2 Ibidem sup. aliquid sumeret. [2] Et nihil de Dei veritate formidare deberemus, etiam si nihil adhuc exhiberet. Ecce iam putemus ita, omnia promisit, nondum aliquid dedit: idoneus promissor est, fidelis redditor: tu tantum esto pius exactor; etsi paruulus, etsi infirmus, exige misericordiam. Non vides perbrenes agnos capitibus pulsare vbera matrum, vt lacte satientur *& impleantur*? 3 Quæ Deus nondũ impleuit, impleturus est: Itaque
3 In Psal. 40. in fine. tenemus redditorem, vt credamus debitorem: quia & illa quæ nondum dedit, dabit; sicut ea quæ nondum dederat, dedit.
4 In Psal. 32. cóc. 2. in init. [4] Nihil enim promittit, & non reddit: fidelis ille factus est debitor, esto tu auarus exactor. Verum 5 quid tibi Christus
5 In Psal. 36. cóc 1. in med. promisit? Quia immortalis eris, & dabit tibi vitam æternam.
6 In Psal. 148. ante medium Vbi est hoc? Quando dabit? quando fieri potest? [6] Putamus, erimus nos sic? Et quid sumus, vt ibi simus? Mortales, proiecti, abiecti, terra & cinis. Sed qui promisit, omnipotens est. Si ad nos attendimus, quid sumus? Si ad illum; Deus est, omnipotens est. Non est facturus angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut verò pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit vnicum suum? Attendamus ad indicium dilectionis & promissionis Dei. Tales arras accepimus. Tenemus mortẽ Christi, tenemus sanguinem Christi. Quis mortuus est? Vnicus. Pro quibus mortuus est? Vtinam pro bo-
Rom. 5. nis, vtinam pro iustis. Sed quid? Etenim Christus, ait Apostolus, pro impiis mortuus est. Qui donauit impiis mortem suam, quid seruat iustis, nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se auertat, non dicat, Non ero. Qui promisit, Deus est; & venit, vt promitteret; apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ, accipere quod hîc abundat; opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostra; ad talia commercia venit. Quid hîc dedit? quid hic accepit?

accepit? Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum: accepit contumelias, mortem, crucem. Attulit nobis de illa regione bona; & in regione nostra pertulit mala. Promisit tamẽ nobis, quòd ibi futuri sumus, vnde venit, & ait: Pater, volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Tanta praecessit dilectio: quia vbi nos eramus, fuit nobiscum; vbi ipse est, erimus cum illo. Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in aeternum. Non credis? Crede, crede; plus est iam quod fecit, quàm quòd promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est aeternus, quàm vt in ęternum viuas mortalis. Iam quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, nõ est victurus homo cum Dèo? Non est victurus mortalis in ęternum, propter quem mortuus est, qui viuit in aeternum? Sed quomodo mortuus est Deus? Et vnde mortuus est Deus? Et potest mori Deus? Accepit ex te, vnde moreretur pro te. Non posset mori, nisi caro: non posset mori, nisi mortale corpus. Induit se, vbi moreretur pro te: induet te, vbi cum illo viuas. Vbi se induit morte? In virginitate matris. Vbi te induet vita? In aequalitate patris. Quiddam enim tuũ iam sursum est, quod hìc accepit; vbi mortuus est, vbi crucifixus est. Iam quaedam primitiae tuae praecesserũt; & dubitas quia secuturus es? Ioan. 17.

CAP. V.

Christus via nobis factus est ad vitam aeternam sua passione, morte & resurrectione.

1 PEr passionem enim suam transiit Dominus *noster Iesus Christus*, à morte ad vitam: & fecit nobis viam, credentibus in resurrectionem eius, vt transeamus & nos de morte ad vitam. Non magnum est credere quia mortuus est Christus: hoc & Pagani, & Iudaei, & omnes iniqui credunt. Hoc omnes credunt, quia mortuus est. Fides Christianorum, resurrectio Christi est. Hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse. Et ipsam fidem in resurrectione Christi maximè commendauit Apostolus. Ait enim: Si credideris in corde tuo, quia Deus eum suscitauit à mortuis; saluus eris. Non dixit, Si credideris, quia mortuus est Christus, quod & Pagani, & Iudęi, & omnes inimici eius crediderũt: sed ait, Si credideris in corde tuo,

1 In Psal. 120. ante medium Vide To. 6. lib. 16. contra Faust. ca. 29.

Rom. 10.

tuo, quia Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Hoc est credere. 2 Resurrectionem enim nos Christiani nouimus in capite nostro iam factam, & in membris futuram. Caput Ecclesiæ Christus est: membra Christi, Ecclesia. Quod præcessit in capite, sequetur in corpore. Hæc est spes nostra. Ad hoc credimus, ad hoc duramus, ad hoc perseueramus in tāta malignitate huius sæculi: consolante nos spe, antequam spes fiat res. Res enim erit, cùm & nos resurrexerimus, & in cælestem habitum commutati, æquales angelis facti fuerimus. Quis hoc sperare auderet, nisi veritas promitteret? *nisi Christus sua resurrectione exhiberet?* 3 Quia enim incredibile videbatur hominibus, quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abiectione, infirmitate, puluere & cinere futuros homines æquales Angelis Dei, non solùm Scripturam cum hominibus fecit, vt crederent; sed etiam fidei suæ posuit mediatorem, non quemlibet principem, aut quemlibet Angelum, vel Archangelum; sed vnicum filium suum, vt qua via nos perducturus esset ad illum finem, quem promisit, per eum ipsum filium suum & ostenderet, & præberet. Parum enim erat Deo, vt filium suum faceret demonstratorem viæ: eum ipsum viam fecit, vt per illum iremus regētem nos, ambulantes per se. Promisit ergo, quia venturi essemus ad eum, id est, ad illam ineffabilem immortalitatem, & cum Angelis eius æqualitatem. Quàm longè eramus? quàm ille sursum? quàm nos deorsum? quàm ille in summo? quàm nos in imo desperati iacebamus? Sine expectatione salutis ægrotabamus: missus est medicus, quem non cognouit ægrotus. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed hoc quoque valuit ad ægroti medicamentum, quod medicum occidit ægrotus. Venit vt *populum suum* visitaret: occisus est, vt sanaret. Insinuauit se credentibus Deum, & hominem: Deum, per quem facti sumus: hominem, per quem recreati sumus. 4 Sed ante resurrectionem non agnoscebatur à populo suo. Et maximè crucifixus ex infirmitate latuit, quis esset, donec fortis resurgendo appareret. Non enim laus fidei Christianorum est, quia credunt mortuum Christum; sed quia credunt resurrexisse Christum. Nam mortuum, *vt diximus*, & paganus credit: & hoc nobis pro crimine obiicit, quia in mortuum credidimus. Quæ igitur laus nostra? Credere resurrexisse Christum, & sperare nos resurrecturos esse per Christum: hæc est laus

2 In Psal. 65. in initio.
3 In Psal. 109. in princip.
1. Cor. 2.
4 In Psal. 101. conc. 2. in med.

laus fidei. 5 Quare autem credimus & mortuum? Quia credere eum resurrexisse non possumus, nisi prius mortuum fuisse credamus. Quis enim resurgit, nisi mortuus fuerit? Quis expergiscitur, nisi prius dormierit? Sed nunquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat? Hæc fides est Christianorum. 6 Hoc enim est, quod præcipuè Christianos à gentili errore secernit: quia illi hanc tantummodo vitam esse credunt, & ideo sine Deo esse, & diuersis peccatis atque criminibus non metuunt inquinari. *Nos verò aliam vitam credentes, & expectantes* 7 desideremus vitam Christi, quia tenemus pignus, mortem Christi. Quomodo nobis non dabit bona sua, qui passus est mala nostra? In terris istis, in hoc sæculo maligno, quid abundat, nisi nasci, laborare, & mori? Hæc sunt mercimonia regionis nostræ: ad tales merces mercator ille descendit. Et quoniam omnis mercator dat & accipit; dat quod habet, & accipit quod non habet: etiam Christus in ista mercatura dedit & accepit. Sed quid accepit? Quod hìc abundabat, nasci, laborare, & mori. Et quid dedit? Renasci, resurgere, & in æternum regnare. 8 Laboribus suis, tentationibus, passionibus, morte sua demonstrauit nobis vitam, in qua sumus: resurrectione sua demonstrauit vitam, in qua erimus. 9 Non enim venit ad aliud. Si mori nollet, nec nasci vellet. Causa resurrectionis vtrumque fecit. Duo enim quædam nobis in genere humano nota erant, vnum autem incognitum. Nasci quippe homines, & mori, sciebamus: resurgere & in æternum viuere, nesciebamus. Vt igitur ostenderet nobis, quod non noueramus, suscepit duo, quæ noueramus: ad hoc ergo venit.

5 Ibidem inf. Psalm. 40.
6 Serm. 34. de verb. Apost.
7 Ex Serm. de quinque panibus, quem citat Beda in 2. ca. ad Hebr.
8 In Psal. 60. in medio.
9 In Psal. 68. conc. 2. in med.

CAP. VI.

Christus, qui primus à mortuis resurrexit, semper victurus; nostram resurrectionem in se transfigurauit.

ITaque 1 genus humanum mori hominem nouerat, resurgere non nouerat. Ideo quid timeret, habebat: quod speraret, non habebat. Vt ergo ille, qui propter disciplinam fecit timorem mortis, propter præmium futuræ vitæ æternæ, daret spem resurrectionis; prior resurrexit Dominus noster Iesus Christus. Mortuus est post multos, resurrexit ante omnes. Hoc passus est moriendo, quod iam multi passi erant: hoc iam fecit resurgendo, quod nullus ante illum. 2 Antea enim nemo resurrexerat semper victurus. Resuscitati sunt iam mortui ante aduen-

1 In Psal. 90. conc. 2. ante medium.
2 In Psal. 129. vltra medium Vide in Psal. 126.

3 Reg. 17. 4. Reg. 4. aduentum Domini. Nam Helias resuscitauit mortuum, & Helisæus: sed resurrexerunt iterum morituri. Dominus ipse quos resuscitauit, morituri resurrexerunt, siue ille iuuenis filius viduæ; siue illa puella duodecim annorum filia Archisynagogi: siue Lazarus. Luc. 17. Lucæ 8. Ioan. 11. Taliter resuscitati sunt omnes morituri. Semel nati sunt, bis mortui sunt. Nemo resurrexit nunquam moriturus, nisi Dominus. 3 In Psal. 70. conc. 2. in fine. 3 Exemplo itaque suo docuit, quid non timeres, quid sperares. Timebas mortem, mortuus est: desperabas de resurrectione, resurrexit. Sed dicis mihi, Ille resurrexit; nunquid ego? Sed resurrexit in eo quod pro te accepit ex te. Ergo natura tua in illo præcessit te: & quod assumptum est à te, ascendit aute te. 4 In Psal. 125 post princip. 4 Resurrexit enim & ascendit in capite nostro caro nostra salua: in membris adhuc saluanda est. Secura *itaque* gaudeant membra, quia à capite suo non sunt deserta. 5 in Psal. 120. ante finem. 5 Quia & ipse, qui dignatus est esse caput Ecclesiæ, carnem suam triduò resuscitauit: carnem nostram in fine resuscitaturus est. Ideo suscitatum est caput, quod attenderet corpus, vt non deficeret. 6 In Psal. 131. in medio 6 Non autem auderet sibi resurrectionem corpus promittere, nisi prius exurgeret caput. 7 In Psal. 129. in fine. 7 Sed ne suggeratur ista cogitatio, Capiti licuit resurgere, quia peccatis non premebatur, & nullum peccatum erat in illo: quid nos facturi sumus? Sperabimus talem resurrectionem, qualis in Domino præcessit, cùm peccatis nostris aggrauemur? Ideo præcessit ille sine peccato, vt deleat peccata sequentium. In illo culpa non erat, sed per illum omniũ culpæ delebuntur. 8 Ibidẽ infra. 8 Spera te ergo resurrecturum, & tunc futurum omnimodò sine peccato; quoniam ille surrexit, qui primus fuit sine peccato. Noli dicere, Ego non sum dignus propter peccata. Non es dignus: Psalm. 129. sed multa apud illum redemptio. Et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus suis. 9 In Psal. 102. ante medium 9 Mortuus enim est, propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Sperent idcirco membra, quod in capite demonstratum est. Non curabit membra sua, quorum caput leuauit in cælum? 10 In Psal. 29. Enarr. 2. in princip. 10 Prouerbium est antiquum & verum; vbi caput, & membra. Christus in cælum ascẽdit, quò nos secuturi sumus. Non remansit apud inferos, resurrexit, iam non moritur. Cùm resurrexerimus & nos, iam non moriemur; 11 In Psal. 126 in medio. 1. Cor. 15. 11 si membra ipsius sumus. Si autem membra eius sumus, tunc sumus dilecti eius, tunc ad nos pertinet illa resurrectio, quæ præcessit in Domino: vt lux surrexit ante nos, nos post lucem: Psalm. 126. quia in vanum est nobis ante lucem surgere

ſurgere, id eſt, altitudinem quærere, antequam moriamur: cùm Chriſtus lux noſtra non ſit exaltatus in carne, niſi poſteaquam mortuus eſt. Conſtituti ergo membra eius, & in membris eius dilecti eius, cùm ſomnum acceperimus, tunc ſurgemus in reſurrectione. Vnus reſurrexit iam non moriturus. Reſurrexit Ioan. 11. Lazarus, ſed moriturus: reſurrexit filia Archiſynagogi, ſed moritura: reſurrexit filius viduæ, ſed moriturus: reſurrexit Chri Luc. 8. Ibidem 7 ſtus non moriturus. Audi Apoſtolum: Chriſtus reſurgens ex Rom. 6. mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur: Talem ſpera reſurrectionem: & propter hoc eſto Chriſtianus, non propter vllam felicitatem terræ huius. Nam ſi propter felicitatem vitæ huius vis eſſe Chriſtianus, quando illa lux tua non hîc quæſiuit mundanam felicitatem, ante lucem vis ſurgere, & neceſſe eſt vt in tenebris perſeueres.

CAP. VII.

Facilis eſt Deo reſuſcitatio mortuorum; ſed difficulter à quibuſdam ipſa reſurrectio creditur.

1 QVomodo ergo animæ noſtræ promittitur beatitudo; ſic & carni noſtræ promittitur reſurrectio. Reſurrectio carnis talis nobis promittitur. Audite Chriſtiani, & diſcite, & tenete, quæ ſit ſpes Chriſtianorum. Quare ſumus Chriſtiani? Non enim ad hoc ſumus Chriſtiani, vt terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent & latrones, & ſcelerati. Ad aliam felicitatem nos ſumus Chriſtiani, quam tunc accipiemus, cùm vita iſta huius ſæculi tota tranſierit. Ergo promittitur nobis & carnis reſurrectio; & talis reſurrectio carnis nobis promittitur, vt caro quidem illa, quam modo portamus, reſurgat in fine. Nec incredibile nobis videatur. Si enim Deus fecit nos, qui non eramus; magnū eſt illi reparare, qui eramus? Ergo hoc nobis incredibile non videatur; quia quaſi putreſcere mortuos videmus, & ire in cineres, & in puluerem: aut ſi incendatur aliquis mortuus, aut ſi canes dilanient eum, putamus quia inde non erit reſurrecturus? Omnia quæ diſcerpuntur, & in fauillas quaſdam putreſcunt, integra Deo ſunt. In illa enim elemēta mundi eunt, vnde primò venerūt, quando facti ſumus. Non illa videmus, ſed tamen Deus vnde ſcit, producet illa: quia & antequam eſſemus, vnde ſciebat, nos produxit. Talis ergo reſurrectio carnis nobis promittitur. *Quanquam*

1 In Pſal. 62. ante medium

autem de ista Dei promissione nemo fidelis potest ambigere, tamen
2 In Psal. 88. conc. 2. ante medium. Lucæ 2. 2 in nulla re sic *ab infidelibus* contradicitur fidei Christi. næ, quàm in hac resurrectione carnis. Denique ille, qui natus est in signum cui contradicitur, & ipse ideo carnem suam resuscitauit, vt obuiam iret contradictori: & qui posset membra sua sic sanare, vt ea vulnerata fuisse non appareret; cicatrices seruauit

in corpore, vt vulnus dubitationis sanaret in corde. In nulla ergo re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam de animi immortalitate multi etiam Philosophi gentium multa disputauerunt, & immortalem esse animam hominis, pluribus & multiplicibus libris cõscriptum memoriæ reliquerũt. Cùm ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubãt, sed apertissimè cõtradicunt: & cõtradictio eorum talis est, vt dicant fieri non posse, vt caro ista terrena possit in
3 In Psal. 73. ante finem. cælum ascendere. 3 Neque paganus tantum, vel etiam Iudęus, vel hæreticus; sed aliquando etiam frater ipse Catholicus torquet os, quando promissa Dei prædicantur, quando futura resurrectio prænunciatur. Et adhuc ipse, quamuis iam tinctus aqua, salutis æternæ portans sacramentum Christi, forsitan dicit, Et quis huc resurrexit? Et, Non audiui patrem meũ de sepulchro loquentem, ex quo eum sepeliui. Deus dedit legem ad tempus seruis suis, ad quod se auocarent. Nam quis redit ab inferis? Et quid faciam talibus? Ostendã, quod non vident? Non possum. Non enim propter illos Deus visibilis debet fieri. Iam id agant, si placet; ita faciant, ita conentur: quia ipsi nolunt conuerti in melius, Deum conuertant in peius. Videat qui potest; credat qui non potest, esse Deum. Et si videt qui potest, nũquid oculis videt? Intellectu videt, corde videt. Non
Matth. 5. enim solem & lunam volebat ostendere, qui dicebat, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Immundum autem cor, nec ad fidem idoneum, quod non potest videre, vel credat. Non video, inquit: quid crediturus sum? Anima enim tua videtur? Vt opinor, stulte, corpus tuum videtur. Animam tuam quis videt? Cùm ergo corpus tuum solum videatur, quare non sepeliris? Et respõdes: Sapis enim adhuc, quia viuo. Vnde scio, quia viuis, cuius animam non video? Vnde scio? Respondebis, Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnosco viuentem; ex operibus creaturæ non potes agnoscere creatorem? Certè ista omnia, quæ per

mundum

mundum modò videntur, quando operabatur Deus salutem in medio terræ, cùm ista dicebantur; nondum erant; & ecce tunc prædicta sunt, nunc impleta monstrantur. Væ peruersis cordibus: quoniam ita ventura sunt, quæ restant; sicut venerũt ista, quæ tunc non fuerunt, & ventura prænunciabantur. Non erat Christus in terra: promisit, exhibuit. Nõ virgo pepererat: promisit, exhibuit. Non erat fusus sanguis preciosus, quo delebatur chirographũ mortis nostræ: promisit, exhibuit. Nondum resurrexerat caro in vitam æternam: promisit, exhibuit. Nondum crediderant gentes: promisit, exhibuit. Nondum hæretici in nomine Christi armati, contra Christum militabant: prædixit, exhibuit. 4 Adhuc quædam promisit, & non dedit, sed creditur illi ex his quæ dedit. Fidelis Dominus in verbis suis. Possimus illi credere tantummodo dicẽti. Noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam sanctam: quomodo si diceres alicui homini, cùm aliquid promitteres; Non mihi credis? ecce ego scribo tibi. Etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista sæcula cedentibus succedentibusque mortalibus; scriptura Dei manere debuit, & quoddam chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis eius tenerent. Et quanta sunt, quæ reddidit ex isto chirographo? Dubitant tamen homines credere illi de resurrectione mortuorum, & de futuro sæculo, quod solum iam reddendum restat.

Psalm. 73.

4 In Psal. 144. nõ ita procul à fine.

CAP. VIII.

Rationibus instruuntur, qui resurrectionem corporum non credunt.

1 SEd te appello, qui infideli animo de resurrectione dubitas; & putas non posse mortuos resuscitari. Quid est amplius, ex nihilo facere homines qui viuant; an eos qui facti sunt atque vixerunt, reparare post mortem? Vtique plus est facere quod nunquam fuit, quàm reparare quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, vt Deus, qui hominem formauit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conuersos in puluerem, qui, si etiam in nihilum rediremus, facere poterat, vt essemus; sicut & fecit nos esse, cùm antea nunquam fuissemus? Ita enim beatus Apostolus Paulus dixit: Sed dicunt aliqui, Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore

1 Tom 10. Ser. 19 de verbis Apostoli.

1. Cor. 15.

caro, cui potius eorum in resurrectione reddatur? Si enim quispiam confectus fame, atque compulsus vescatur cadaueribus hominum, quod malũ aliquoties accidisse, & vetus testatur historia; & nostrorum temporum infelicia experimẽta docuerunt: num quisquam veridica ratione contendet, totum digestum fuisse per imos meatus, nihilque inde in eius carnem mutatum atque conuersum, cùm ipsa macies, quæ fuit, & non est, satis indicet, quæ illis escis detrimenta suppleta sint? Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit, (ab illo quippe altero, tanquam mutuò sumpta deputanda est) quæ sicut æs alienum, ei redhibenda est, vnde sumpta est. Sua verò illi, quẽ fames exinanierat, ab eo, qui potest etiam exhalata reuocare, reddetur. Quamuis, etsi omnibus perisset modis, nec vlla eius materies in vllis naturę latebris remãsisset, vnde vellet, eam repararet omnipotens: sed propter sententiam veritatis, qua dictum est, Capillus capitis vestri non peribit; absurdũ est, vt putemus, cùm capillus hominis perire nõ possit, tantas carnes fame depastas, atque cõsumptas, perire potuisse.

Vide in Enchirid. cap. 88.

Luc. 21.

Cap. x.

Duabus similitudinibus ostenditur, necessarium non esse, vt materia corporis resuscitandi, ad eundem locũ redeat, in quo prius fuit in corpore.

a Tom. 3. in Enchir. ca. 89.

1 Ipsa etiam terrena materies, quæ discedente anima, fit cadauer, non ita resurrectione reparabitur, vt ea, quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerũ species formasque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde delapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit, quod tam crebra tonsura detraxit; si vnguibus, quod toties dempsit exectio; immoderata & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus, occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet metalli solubilis, aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam; & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare: nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur; dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter & ineffabiliter artifex de toto, quo caro nostra cõstiterat, eã mirabili & ineffabili

cele-

celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues; an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. [a] Veluti etiam si de limo vas fieret, quod rursus in eundem limum redactum, totum de toto iterum fieret; non esset necesse, vt illa pars limi, quæ in ansa fuerat, ad ansam rediret: aut quæ fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundū: dum tamen totum reuerteretur in totum; id est, totus ille limus in totum vas, nulla sui perdita parte remearet. Quapropter si capilli toties tonsi, vnguesque desecti, ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt: nec tamen cuiquam resurgenti peribunt, quia in eandem carnem, vt quemcunque ibi locum corporis teneant, seruata partium congruentia, materiæ mutabilitate vertentur. Quamuis, quod ait Dominus, Capillus capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptiùs possit intelligi. Vnde & alibi dicit: Capilli capitis vestri numerati sunt omnes. [3] Restituetur ergo, & quicquid de corporibus viuis, vel post mortem de cadaueribus periit: & simul cum eo, quod in sepulchro remansit, in spiritalis corporis nouitate ex animalis corporis vetustate mutatum, resurget incorruptione atque immortalitate vestitum. Sed & si vel casu aliquo graui, vel inimicorum immanitate totum penitus conteratur in puluerem, atque in auras, vel in aquas dispersum, quātum fieri potest, nusquam esse sinatur: omnino nullo modò subtrahi poterit omnipotentiæ creatoris; sed capillus in eo capitis non deperibit.

[a] To 5 lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 19.

Luc. 21.

Luc. 12.

3 Ibidem ca. 21

Cap. XI.

Soluitur quæstio de abortiuis fœtibus.

1 SEd scrupulosissimè quærere, & fidem, qua credimus resurrecturam carnem, ita quærēdo allolent increduli irridere: vtrum fœtus abortiui resurgant: Et quoniam Dominus ait, Amen dico vobis, capillus capitis vestri non peribit; vtrum statura & robur æqualia futura sint omnibus: an diuersæ corporum quantitates? Si enim æqualitas corporum erit, vnde habebunt, quod hîc non habuerunt in mole corporis illi abortiui, si resurgent & ipsi: aut si nō resurgent, quia nec nati sunt, sed effusi, eandem quæstionem de paruulis versant; vnde illis

1 Ibidē ca. 13.

Luc. 21.

hic amamus, illum magis desideremus; & contemnentes ista, illum diligamus: vt ipsa dilectione per fidem cor mundemus; & mundatum cor nostrũ inueniat aspectus *illius*, qui facit nos ex filiis hominũ filios Dei: quia ex filio Dei fecit Deus filium hominis. Vide quæ sit illa participatio. Promissa quidem est nobis participatio diuinitatis. Mentitur qui promisit, si non est prior factus particeps mortalitatis. Filius enim Dei particeps nostræ mortalitatis effectus est, vt mortalis homo fiat particeps diuinitatis suæ. Qui tibi promisit communicandum tecum bonum suum, prius tecum cõmunicauit mala tua. Qui tibi promisit diuinitatem, ostendit in te charitatem.

2 In Psal. 53. ante medium

Cap. III.

De Dei promissis nihil est dubitandum; nihil timendum ne non fiant.

1 In Psal. 60. post medium.

1 PErseueremus ergo *in fide, in spe, in dilectione, & in timore* nominis Domini: æternus pater non nos fallit. Laborant filij, vt suscipiant parentum suorum hæreditatem, quibus mortuis successuri sunt: nos non laborabimus accipere hæreditatem, hoc est, diuinitatis participationem, ab illo patre, cui non morienti succedamus, sed cum illo in ipsa hæreditate in æternum viuamus? Dedisti (inquit ille) hæreditatem timentibus nomen tuum. *Non dixit, dabis: sed, dedisti hæreditatem: quia sicut certus est, qui accipit: sic & verax, qui promittit; qui & hoc (vt alibi dicit) in sancto suo locutus est.* 2 Quid igitur times ne non fiat quod Deus locutus est? Si haberes aliquem grauem amicum & sapientem, quomodo diceres? Ille locutus est hæc; fiat necesse est, quod locutus est. Vir grauis est, nõ leuitate vtitur, non facilè de sententia dimouetur; quod promisit, fixum est. Sed tamen homo est, qui aliquando, quod promisit, facere vult, & non potest. De Deo non est, quod tu timeas. Quia verax est, constat: quia omnipotens est, constat: fallere te non potest; habet vnde faciat. Quid ergo times ne decipiaris? Opus est, vt tu te non decipias, & *bene operando* perseueres vsque in finem, cum daturus est quod promisit. Nunc enim, ô homo, operarius es Dei, postea est tempus mercedem accipiendi. 3 Quid iam flagitas mercedem, antequam opereris? Si venerit operarius ad domum tuam, nunquid dabis ei mercedem, nisi perfecerit opera sua? Nam peruersum eũ existimabis, si dixerit,

Psalm. 60.

2 In Psal. 59. ante medium

3 In Psal. 35. post medium

Prius

Prius accipiam mercedem, & tunc operabor. Irasceris. Quare autem irasceris? Quia non habuit fidē homini mendaci. Quomodo non Deus irascitur, cùm tu fidem non habeas ipsi veritati? Quod tibi promisit, daturus est; non fallit, quia veritas est, qui promisit. Sed times ne fortè non habeat quod det. Omnipotens est, noli timere, ne non sit quod det. Immortalis est, ne timeas ne succedatur ei. Perpetuus est, securus esto. Si vis in te præsumere tota die operarium tuum; crede & tu Deo tota vita tua: quia vita tua momentum temporis est ad Deum. [4] Tu enim non fallis mercenarium tuum, timens Deum; & te ipse Deus fallet, qui iussit ne fallas mercenarium? Tamen tu quod promiseris, potes & non dare, & si non est in corde tuo dolus falsitatis, est tamen in fragilitate humana, inopia difficultatis. Quid de Deo timeamus, qui nec fallere potest, quia veritas est, & abundat omnibus, quæ fecit? [5] Sed mercedem nondum accipis; fortè quia capere nondum potes. Iam enim ille potest dare, sed tu non potes accipere. Exerce te operibus, labora in vinea: finito die pete mercedem: fidelis est, qui te adduxit ad vineam. [6] Et quid tibi est promissum? Videamus quid promisit. Aurum est, quod hîc multum amant homines, an argentū? An possessiones, ad quas fundunt homines aurum, quamuis multum ament aurum? An amœna prædia, amplæ domus, multa mancipia, animalia numerosa? Non est hæc merces quædam, ad quam nos hortatur Deus, vt in labore duremus. Quid dicitur merces ista? Vita æterna. [7] Si ergo deficiebas in laboribus, promissa mercede fortis esto. Quis est qui operetur in vinea, & recedat illi de corde, quod accepturus est? Fac illum oblitum mercedem suam: deficiūt manus. Memoria promissæ mercedis, perseuerantem facit in opere; & tamen homo promisit, qui te potest fallere. Quanto fortior esse debes in agro Dei, quando promisit veritas, cui nec succedi potest, nec mori potest, nec fallere potest eum, cui promissum est? [8] Noli ergo timere, ne promissionem eius corrumpat aliquis potentum. Ipse verò non corrumpit, quia verax est: potentiorem non habet, à quo eius promissio corrumpatur. Certi ergo sumus de promissis Dei.

4 D. August. serm. 245 de tēp. post init.

5 In Psal. 36. cóc. 1. in med.

6 To. 9. Tract. 3. in epist. Ioā. vltra med.

7 Ibidem inf.

8 In Psal. 74. in initio.

CAP. IIII.

Quibus rationibus certificemur de futuris Dei promissis.

1 In Psalm. 39. post princip. DEinde [1] rebus etiam ipsis persuasit nobis Dominus noster, fidelem se esse promissorem, largū datorem. Magna enim bona præstitit, & adhuc debitor est. Sed qui hæc reddita iam tenet, de cæteris credat, quæ credere debuit, & antequam
2 Ibidem sup. aliquid sumeret. [2] Et nihil de Dei veritate formidare deberemus, etiam si nihil adhuc exhiberet. Ecce iam putemus ita, omnia promisit, nondum aliquid dedit: idoneus promissor est, fidelis redditor: tu tantum esto pius exactor; etsi paruulus, etsi infirmus, exige misericordiam. Non vides perbreues agnos capitibus pulsare vbera matrum, vt lacte satientur & implean-
3 In Psal. 40. in fine. tur? [3] Quæ Deus nondū impleuit, impleturus est: Itaque tenemus redditorem, vt credamus debitorem: quia & illa quæ nondum dedit, dabit; sicut ea quæ nondum dederat, dedit.
4 In Psal. 32. cōc. 2. in init. [4] Nihil enim promittit, & non reddit: fidelis ille factus est debitor, esto tu auarus exactor. Verum [5] quid tibi Christus
5 In Psal. 36. cōc. 1. in med. promisit? Quia immortalis eris, & dabit tibi vitam æternam.
6 In Psal. 148. ante medium Vbi est hoc? Quando dabit? quando fieri potest? [6] Putamus, erimus nos sic? Et quid sumus, vt ibi simus? Mortales, proiecti, abiecti, terra & cinis. Sed qui promisit, omnipotens est. Si ad nos attendimus, quid sumus? Si ad illum; Deus est, omnipotens est. Non est facturus angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut verò pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit vnicum suum? Attendamus ad indicium dilectionis & promissionis Dei. Tales arras accepimus. Tenemus mortē Christi, tenemus sanguinem Christi. Quis mortuus est? Vnicus. Pro quibus mortuus est? Vtinam pro bo-
Rom. 5. nis, vtinam pro iustis. Sed quid? Etenim Christus, ait Apostolus, pro impiis mortuus est. Qui donauit impiis mortem suam, quid seruat iustis, nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se auertat, non dicat, Non ero. Qui promisit, Deus est; & venit, vt promitteret; apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ, accipere quod hîc abundat; opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostra; ad talia commercia venit. Quid hîc dedit? quid hic accepit?

accepit? Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum: accepit contumelias, mortem, crucem. Attulit nobis de illa regione bona; & in regione nostra pertulit mala. Promisit tamē nobis, quòd ibi futuri sumus, vnde venit, & ait: Pater, volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Tanta præcessit dilectio: quia vbi nos eramus, fuit nobiscum; vbi ipse est, erimus cum illo. Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede; plus est iam quod fecit, quàm quòd promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quàm vt in ęternum viuas mortalis. Iam quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, nō est victurus homo cum Dèo? Non est victurus mortalis in ęternum, propter quem mortuus est, qui viuit in æternum? Sed quomodo mortuus est Deus? Et vnde mortuus est Deus? Et potest mori Deus? Accepit ex te, vnde moreretur pro te. Non posset mori, nisi caro: non posset mori, nisi mortale corpus. Induit se, vbi moreretur pro te: induet te, vbi cum illo viuas. Vbi se induit morte? In virginitate matris. Vbi te induet vita? In æqualitate patris. Quiddam enim tuū iam sursum est, quod hîc accepit; vbi mortuus est, vbi crucifixus est. Iam quædam primitiæ tuæ præcesserūt; & dubitas quia secuturus es? Ioan. 17.

CAP. V.

Christus via nobis factus est ad vitam æternam sua passione, morte & resurrectione.

1 PEr passionem enim suam transiit Dominus *noster Iesus Christus*, à morte ad vitam: & fecit nobis viam, credentibus in resurrectionem eius, vt transeamus & nos de morte ad vitam. Non magnum est credere quia mortuus est Christus: hoc & Pagani, & Iudæi, & omnes iniqui credunt. Hoc omnes credunt, quia mortuus est. Fides Christianorum, resurrectio Christi est. Hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse. Et ipsam fidem in resurrectione Christi maximè commendauit Apostolus. Ait enim: Si credideris in corde tuo, quia Deus eum suscitauit à mortuis; saluus eris. Non dixit, Si credideris, quia mortuus est Christus, quod & Pagani, & Iudęi, & omnes inimici eius crediderūt: sed ait, Si credideris in corde tuo, 1 In Psal. 120. ante medium Vide To. 6. lib. 16. contra Faust. ca. 29. Rom. 10.

tuo, quia Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Hoc est credere. 2 Resurrectionem enim nos Christiani nouimus in capite nostro iam factam, & in membris futuram. Caput Ecclesiæ Christus est: membra Christi, Ecclesia. Quod præcessit in capite, sequetur in corpore. Hæc est spes nostra. Ad hoc credimus, ad hoc duramus, ad hoc perseueramus in tāta malignitate huius sæculi: consolante nos spe, antequam spes fiat res. Res enim erit, cùm & nos resurrexerimus, & in cælestem habitum commutati, æquales angelis facti fuerimus. Quis hoc sperare auderet, nisi veritas promitteret? *nisi Christus sua resurrectione exhiberet?* 3 Quia enim incredibile videbatur hominibus, quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abiectione, infirmitate, puluere & cinere futuros homines æquales Angelis Dei, non solùm Scripturam cum hominibus fecit, vt crederent; sed etiam fidei suæ posuit mediatorem, non quemlibet principem, aut quemlibet Angelum, vel Archangelum; sed vnicum filium suum, vt qua via nos perducturus esset ad illum finem, quem promisit, per eum ipsum filium suum & ostenderet, & præberet. Parum enim erat Deo, vt filium suum faceret demonstratorem viæ: eum ipsum viam fecit, vt per illum iremus regētem nos, ambulantes per se. Promisit ergo, quia venturi essemus ad eum, id est, ad illam ineffabilem immortalitatem, & cum Angelis eius æqualitatem. Quàm longè eramus? quàm ille sursum? quàm nos deorsum? quàm ille in summo? quàm nos in imo desperati iacebamus? Sine expectatione salutis ægrotabamus: missus est medicus, quem non cognouit ægrotus. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed hoc quoque valuit ad ægroti medicamentum, quod medicum occidit ægrotus. Venit vt *populum suum* visitaret: occisus est, vt sanaret. Insinuauit se credentibus Deum, & hominem: Deum, per quem facti sumus: hominem, per quem recreati sumus. 4 Sed ante resurrectionem non agnoscebatur à populo suo. Et maximè crucifixus ex infirmitate latuit, quis esset, donec fortis resurgendo appareret. Non enim laus fidei Christianorum est, quia credunt mortuum Christum; sed quia credunt resurrexisse Christum. Nam mortuum, *vt diximus*, & paganus credit: & hoc nobis pro crimine obiicit, quia in mortuum credidimus. Quæ igitur laus nostra? Credere resurrexisse Christum, & sperare nos resurrecturos esse per Christum: hæc est laus

2 In Psal. 65, in initio.

3 In Psal. 109, in princip.

1. Cor. 2.

4 In Psal. 101, conc. 2, in med.

laus fidei. 5 Quare autem credimus & mortuum? Quia credere eum resurrexisse non possumus, nisi prius mortuum fuisse credamus. Quis enim resurgit, nisi mortuus fuerit? Quis expergiscitur, nisi prius dormierit? Sed nunquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat? Hæc fides est Christianorum. 6 Hoc enim est, quod præcipuè Christianos à gentili errore secernit: quia illi hanc tantummodo vitam esse credunt, & ideo sine Deo esse, & diuersis peccatis atque criminibus non metuunt inquinari. *Nos verò aliam vitam credentes, & expectantes* 7 desideremus vitam Christi, quia tenemus pignus, mortem Christi. Quomodo nobis non dabit bona sua, qui passus est mala nostra? In terris istis, in hoc sæculo maligno, quid abundat, nisi nasci, laborare, & mori? Hæc sunt mercimonia regionis nostræ: ad tales merces mercator ille descendit. Et quoniam omnis mercator dat & accipit; dat quod habet, & accipit quod non habet: etiam Christus in ista mercatura dedit & accepit. Sed quid accepit? Quod hìc abundabat, nasci, laborare, & mori. Et quid dedit? Renasci, resurgere, & in æternum regnare. 8 Laboribus suis, tentationibus, passionibus, morte sua demonstrauit nobis vitam, in qua sumus: resurrectione sua demonstrauit vitam, in qua erimus. 9 Non enim venit ad aliud. Si mori nollet, nec nasci vellet. Causa resurrectionis vtrumque fecit. Duo enim quædam nobis in genere humano nota erant, vnum autem incognitum. Nasci quippe homines, & mori, sciebamus: resurgere & in æternum viuere, nesciebamus. Vt igitur ostenderet nobis, quod non noueramus, suscepit duo, quæ noueramus: ad hoc ergo venit.

5 Ibidem inf.
Psalm. 40.
6 Serm. 34. de verb. Apost.
7 Ex Serm. de quinque panibus, quem citat Beda in 2. ca. ad Hebr.
8 In Psal. 60. in medio.
9 In Psal. 61. cóc. 2. in med.

Cap. VI.

Christus, qui primus à mortuis resurrexit, semper victurus; nostram resurrectionem in se transfigurauit.

Itaque 1 genus humanum mori hominem nouerat, resurgere non nouerat. Ideo quid timeret, habebat: quod speraret, non habebat. Vt ergo ille, qui propter disciplinam fecit timorem mortis, propter præmium futuræ vitæ æternæ, daret spem resurrectionis; prior resurrexit Dominus noster Iesus Christus. Mortuus est post multos, resurrexit ante omnes. Hoc passus est moriendo, quod iam multi passi erant: hoc iam fecit resurgendo, quod nullus ante illum. 2 Antea enim nemo resurrexerat semper victurus. Resuscitati sunt iam mortui ante aduen-

1 In Psal. 90. conc. 2. ante medium.
2 In Psal. 129. vltra medium. Vide in Psal. 116.

3 Reg. 17. aduentum Domini. Nam Helias resuscitauit mortuum, &
4. Reg. 4. Helisæus: sed resurrexerunt iterum morituri. Dominus ipse
quos resuscitauit, morituri resurrexerunt, siue ille iuuenis
filius viduæ; siue illa puella duodecim annorum filia Archisy-
Luc. 17. Lucæ 8. nagogi: siue Lazarus. Taliter resuscitati sunt omnes mori-
Ioan. 11. turi. Semel nati sunt, bis mortui sunt. Nemo resurrexit nun-
3 In Psal. 70. quam moriturus, nisi Dominus. 3 Exemplo itaque suo docuit,
côc. 2. in fine. quid non timeres, quid sperares. Timebas mortem, mortuus
est: desperabas de resurrectione, resurrexit. Sed dicis mihi,
Ille resurrexit; nunquid ego? Sed resurrexit in eo quod pro te
accepit ex te. Ergo natura tua in illo præcessit te: & quod as-
4 In Psal. 125. sumptum est à te, ascendit ante te. 4 Resurrexit enim & ascen-
post princip. dit in capite nostro caro nostra salua: in membris adhuc saluan-
da est. Secura *itaque* gaudeant membra, quia à capite suo non
5 in Psal. 120. sunt deserta. 5 Quia & ipse, qui dignatus est esse caput Eccle-
ante finem. siæ, carnem suam triduò resuscitauit: carnem nostram in fine
resuscitaturus est. Ideo suscitatum est caput, quod attenderet
6 In Psal. 131. corpus, vt non deficeret. 6 Non autem auderet sibi resurre-
in medio ctionem corpus promittere, nisi prius exurgeret caput. 7 Sed
7 In Psal. 129. in fine. ne suggeratur ista cogitatio, Capiti licuit resurgere, quia pec-
catis non premebatur, & nullum peccatum erat in illo: quid
nos facturi sumus? Sperabimus talem resurrectionem, qualis
in Domino præcessit, cùm peccatis nostris aggrauemur? Ideo
præcessit ille sine peccato, vt deleat peccata sequentium. In illo
8 Ibidē infra. culpa non erat, sed per illum omniũ culpæ delebuntur. 8 Spe-
ra te ergo resurrecturum, & tunc futurum omnimodò sine pec-
cato; quoniam ille surrexit, qui primus fuit sine peccato. Noli
dicere, Ego non sum dignus propter peccata. Non es dignus:
Psalm. 129. sed multa apud illum redemptio. Et ipse redimet Israel ab om-
9 In Psal. 102. nibus iniquitatibus suis. 9 Mortuus enim est, propter delicta
ante medium nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Sperent
idcirco membra, quod in capite demonstratum est. Non cu-
10 In Psal. 29. rabit membra sua, quorum caput leuauit in cælum? 10 Prouer-
Enarr. 2. in princip. bium est antiquum & verum; vbi caput, & membra. Christus
in cælum ascẽdit, quò nos secuturi sumus. Non remansit apud
inferos, resurrexit, iam non moritur. Cùm resurrexerimus &
11 In Psal. 126. in medio. nos, iam non moriemur; 11 si membra ipsius sumus. Si autem
1. Cor. 15. membra eius sumus, tunc sumus dilecti eius, tunc ad nos perti-
net illa resurrectio, quæ præcessit in Domino: vt lux surrexit
Psalm. 126. ante nos, nos post lucem: quia in vanum est nobis ante lucem
surgere

ſurgere, id eſt, altitudinem quęrere, antequam moriamur: cùm Chriſtus lux noſtra non ſit exaltatus in carne, niſi poſteaquam mortuus eſt. Conſtituti ergo membra eius, & in membris eius dilecti eius, cùm ſomnum acceperimus, tunc ſurgemus in reſurrectione. Vnus reſurrexit iam non moriturus. Reſurrexit Lazarus, ſed moriturus: reſurrexit filia Archiſynagogi, ſed moritura: reſurrexit filius viduæ, ſed moriturus: reſurrexit Chriſtus non moriturus. Audi Apoſtolum: Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur: Talem ſpera reſurrectionem: & propter hoc eſto Chriſtianus, non propter vllam felicitatem terræ huius. Nam ſi propter felicitatem vitæ huius vis eſſe Chriſtianus, quando illa lux tua non hîc quæſiuit mundanam felicitatem, ante lucem vis ſurgere, & neceſſe eſt vt in tenebris perſeueres. Ioan. 11. Luc. 8. Ibidem 7 Rom. 6.

Cap. VII.

Facilis eſt Deo reſuſcitatio mortuorum; ſed difficulter à quibuſdam ipſa reſurrectio creditur.

1 QVomodo ergo animæ noſtræ promittitur beatitudo; ſic & carni noſtræ promittitur reſurrectio. Reſurrectio carnis talis nobis promittitur. Audite Chriſtiani, & diſcite, & tenete, quæ ſit ſpes Chriſtianorum. Quare ſumus Chriſtiani? Non enim ad hoc ſumus Chriſtiani, vt terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent & latrones, & ſcelerati. Ad aliam felicitatem nos ſumus Chriſtiani, quam tunc accipiemus, cùm vita iſta huius ſæculi tota tranſierit. Ergo promittitur nobis & carnis reſurrectio; & talis reſurrectio carnis nobis promittitur, vt caro quidem illa, quam modo portamus, reſurgat in fine. Nec incredibile nobis videatur. Si enim Deus fecit nos, qui non eramus; magnũ eſt illi reparare, qui eramus? Ergo hoc nobis incredibile non videatur; quia quaſi putreſcere mortuos videmus, & ire in cineres, & in puluerem: aut ſi incendatur aliquis mortuus, aut ſi canes dilanient eum, putamus quia inde non erit reſurrecturus? Omnia quæ diſcerpuntur, & in fauillas quaſdam putreſcunt, integra Deo ſunt. In illa enim eleméta mundi eunt, vnde primò venerũt, quando facti ſumus. Non illa videmus, ſed tamen Deus vnde ſcit, producet illa: quia & antequam eſſemus, vnde ſciebat, nos produxit. Talis ergo reſurrectio carnis nobis promittitur. *Quanquam* 1 In Pſal. 62. ante medium

autem

autem de ista Dei promissione nemo fidelis potest ambigere, tamen
a In Psal. 88. conc. 2. ante medium. Lucæ 2. a in nulla re sic *ab infidelibus* contradicitur fidei Christianæ, quàm in hac resurrectione carnis. Denique ille, qui natus est in signum cui contradicitur, & ipse ideo carnem suam resuscitauit, vt obuiam iret contradictori: & qui posset membra sua sic sanare, vt ea vulnerata fuisse non appareret; cicatrices seruauit in corpore, vt vulnus dubitationis sanaret in corde. In nulla ergo re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam de animi immortalitate multi etiam Philosophi gentium multa disputauerunt, & immortalem esse animam hominis, pluribus & multiplicibus libris cōscriptum memoriæ reliquerūt. Cùm ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubāt, sed apertissimè cōtradicunt: & cōtradictio eorum talis est, vt dicant fieri non posse, vt caro ista terrena possit in cælum ascendere. b Neque paganus tantum, vel etiam Iudęus, vel hæreticus; sed aliquando etiam frater ipse Catholicus torquet os, quando promissa Dei prædicantur, quando futura resurrectio prænunciatur. Et adhuc ipse, quamuis iam tinctus aqua, salutis æternæ portans sacramentum Christi, forsitan dicit, Et quis huc resurrexit? Et, Non audiui patrem meū de sepulchro loquentem, ex quo eum sepeliui. Deus dedit legem ad tempus seruis suis, ad quod se auocarent. Nam quis redit ab inferis? Et quid faciam talibus? Ostendā, quod non vident? Non possum. Non enim propter illos Deus visibilis debet fieri. Iam id agant, si placet; ita faciant, ita conentur: quia ipsi nolunt conuerti in melius, Deum conuertant in peius. Videat qui potest; credat qui non potest, esse Deum. Et si videt qui potest, nūquid oculis videt? Intellectu videt, corde videt. Non enim solem & lunam volebat ostendere, qui dicebat, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Immundum autem cor, nec ad fidem idoneum, quod non potest videre, vel credat. Non video, inquit: quid crediturus sum? Anima enim tua videtur? Vt opinor, stulte, corpus tuum videtur. Animam tuam quis videt? Cùm ergo corpus tuum solum videatur, quare non sepeliris? Et respōdes: Sapis enim adhuc, quia viuo. Vnde scio, quia viuis, cuius animam non video? Vnde scio? Respondebis, Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnosco viuentem; ex operibus creaturæ non potes agnoscere creatorem? Certè ista omnia, quæ per

b In Psal. 73. ante finem.

Matth. 5.

mundum

mundum modò videntur, quando operabatur Deus salutem in medio terræ, cùm ista dicebantur; nondum erant; & ecce tunc prædicta sunt, nunc impleta monstrantur. Væ peruersis cordibus: quoniam ita ventura sunt, quæ restant; sicut venerũt ista, quæ tunc non fuerunt, & ventura prænunciabantur. Non erat Christus in terra: promisit, exhibuit. Nõ virgo pepererat: promisit, exhibuit. Non erat fusus sanguis preciosus, quo delebatur chirographũ mortis nostræ: promisit, exhibuit. Nondum resurrexerat caro in vitam æternam: promisit, exhibuit. Nondum crediderant gentes: promisit, exhibuit. Nondum hæretici in nomine Christi armati, contra Christum militabant: prædixit, exhibuit. 4 Adhuc quædam promisit, & non dedit, sed creditur illi ex his quæ dedit. Fidelis Dominus in verbis suis. Possimus illi credere tantummodo dicẽti. Noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam sanctam: quomodo si diceres alicui homini, cùm aliquid promitteres; Non mihi credis? ecce ego scribo tibi. Etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista sæcula cedentibus succedentibusque mortalibus; scriptura Dei manere debuit, & quoddam chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis eius tenerent. Et quanta sunt, quæ reddidit ex isto chirographo? Dubitant tamen homines credere illi de resurrectione mortuorum, & de futuro sæculo, quod solum iam reddendum restat.

Psalm. 75.

4 In Psal. 144. nõ ita procul à fine.

CAP. VIII.

Rationibus instruuntur, qui resurrectionem corporum non credunt.

1 SEd te appello, qui infideli animo de resurrectione dubitas; & putas non posse mortuos resuscitari. Quid est amplius, ex nihilo facere homines qui viuant; an eos qui facti sunt atque vixerunt, reparare post mortem? Vtique plus est facere quod nunquam fuit, quàm reparare quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, vt Deus, qui hominem formauit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conuersos in puluerem, qui, si etiam in nihilum rediremus, facere poterat, vt essemus; sicut & fecit nos esse, cùm antea nunquam fuissemus? Ita enim beatus Apostolus Paulus dixit: Sed dicunt aliqui, Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore

1 Tom 10. Ser. 19 de verbis Apostoli.

1. Cor. 15.

corpore veniunt? Insipiens, tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. & quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudũ granum, vtpote tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autẽ dat illi corpus, sicut voluit, & vnicuique seminum proprium corpus. Noli ergo, incredule homo, de resurrectione dubitare. Qui grana seminum mortua & putrefacta viuificat, per quæ in hoc sæculo viuas; multo magis teipsum resuscitabit, vt viuas in æternum. Qui illa reparat, quæ tibi sunt necessaria; quomodo teipsum non reparat, propter quem & alia reparare dignatus est? 2 Puto, quia cùm dicitur, Deus mortuos suscitaturus est, nõ res incredibilis dicitur; quia de Deo, non de homine dicitur. Magna res est, quæ fiet, & incredibilis est res quæ fiet: sed non sit incredibilis, quia vides, qui facit. Ille dicitur, quod suscitabit te, qui creauit te. Non eras, & es: Et factus non eris? Absit, ne credas. Mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit quod non erat: & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipsis, quos fecit quod non erant? Hoc est, quod rependimus Deo, qui nõ eramus, & facti sumus? Hoc illi rependimus, vt eum resuscitare quod fecit, non posse credamus? Hæc est merces, quam illi reddit creatura sua? Ideo te feci; dicit tibi Deus, ô homo, antequam esses, vt non mihi credas, futurum te esse, qui eras, qui potuisti esse, quod nõ eras? Sed ecce, inquit, in sepulchro quod video, fauilla est, cinis est, ossa sunt: & hoc item accipiet vitam, cutem, pulpas, carnem, & resurget. Quid? Fauilla ista, quam video in sepulchro? Vel in sepulchro vides fauillam, vides ossa; in vtero matris tuæ nihil erat. Hoc vides, vel fauillæ sunt, vel ossa sunt. Tu antequam esses, nec fauilla erat, nec ossa erant, & tamen factus es, cùm omnino non esses: & non credis quia ossa ista, quoquomodo sunt, qualiacumque sunt, quia sunt tamen; recipiant formam quam habebant, cùm tu acceperis quod non habebas? Crede; quia si credideris hoc, tunc suscitabitur anima tua. Et si suscitabitur anima tua, tunc veniet hora, & bono tuo resurget caro tua. 3 Itaque ex teipso crede futurũ te esse, cùm fueris; quãdo, cùm antè non fueris, nunc esse te vides. Vbi enim erat ista moles corporis tui, & ista forma, membrorumque compago ante paucos annos, priusquam natus, vel etiam priusquam in matris vtero conceptus esses? Vbi erat hæc moles, & hæc statura corporis tui? Nónne de occultis huius creaturæ secretis, Domino Deo inuisibiliter formãte, processit in lucem, certisq. ætatum incre-

2 Ibidem. Ser. 64. de ver. Domini in fine.

3 To. 4. lib. de Catechizan. rudibus ca. 25.

incrementis, in istam magnitudinem, formamque surrexit? Nunquid ergo difficilius est Deo, qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, & contegit cælum in ictu temporis; reddere istam quantitatem corporis tui, sicut erat, qui eam facere potuit, cùm non erat? Sed 4 vnde fieri potest, vt mortuus resurgat? dico ego: Deus est, qui facit: & tu dicis, fieri non potest? Non dico, da mihi Christianum, da mihi Iudæum: sed, da mihi paganum, multorum idolorum cultorem, dæmonum seruum, qui non dicat Deum esse omnipotentem: negare Christum potest, negare Deum omnipotentem non potest. Quem tu ergo credis Deum omnipotentem, ipsum ego dico mortuorum suscitatorem. Si dixeris, Nō potest fieri, derogas omnipotenti. Si autem credis illum omnipotentem, me quare respuis ista dicentem? Si diceremus carnem resurrecturā, vt esuriat, & sitiat, vt ægrotet, & laboret, vt corruptionibus subiiciatur: meritò credere non deberes. 5 Nunc verò caro resurget incorruptibilis, caro resurget sine vitio, sine deformitate, sine onere ac pondere: quæ nunc tibi facit tormentum, postea tibi erit ornamentum. Ergo si bonum est habere corpus incorruptibile, quare hoc facturum omnipotentem Deum volumus desperare? 6 Nam quæ melior & validior ratio de rebus talibus redditur, quàm cùm omnipotens ea posse facere perhibetur, & facturus dicitur, quæ prænunciasse ibi legitur, vbi alia multa prænunciauit, quæ fecisse mōstratur? Ipse quippe faciet, quia se facturum esse prædixit, quæ impossibilia esse putantur; qui promisit & fecit, vt ab incredulis gentibus incredibilia crederentur.

4 D. August. Serm. 239. de tempore.

5 Ibidem inf.

6 To. 5. lib. 21. de ciuit. ca. 7. in fine V. de epist. ad Volusianum.

Cap. IX.

Caro hominis comesta ab alio homine, vtri in resurrectione sit applicanda.

1 Absit ergo, vt ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda, non possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit: vel quod in puluerem cinerémue collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit, vt sinus vllus, secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, vt omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Vnde iam etiam quæstio illa soluenda est, quæ difficilior videtur cæteris: vbi quæritur, cùm caro mortui hominis, etiam alterius fit viuētis

1 T. i. 22. de ciu. Dei, ca. 20.

Vide ibidem cap. 12.

caro,

caro, cui potius eorum in resurrectione reddatur? Si enim quispiam confectus fame, atque compulsus vescatur cadaueribus hominum, quod malū aliquoties accidisse, & vetus testatur historia; & nostrorum temporum infelicia experimēta docuerunt: num quisquam veridica ratione contendet, totum digestum fuisse per imos meatus, nihilque inde in eius carnem mutatum atque conuersum, cùm ipsa macies, quæ fuit, & non est, satis indicet, quæ illis escis detrimenta suppleta sint? Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit, (ab illo quippe altero, tanquam mutuò sumpta deputanda est) quæ sicut æs alienum, et redhibenda est, vnde sumpta est. Sua verò illi, quē fames exinanierat, ab eo, qui potest etiam exhalata reuocare, reddetur. Quamuis, etsi omnibus perisset modis, nec vlla eius materies in vllis naturę latebris remāsisset, vnde vellet, eam repararet omnipotens: sed propter sententiam veritatis, qua dictum est, Capillus capitis vestri non peribit; absurdū est, vt putemus, cùm capillus hominis perire nō possit, tantas carnes fame depastas, atque cōsumptas, perire potuisse.

Vide in Enchirid. cap. 88.

Luc. 21.

Cap. x.

Duabus similitudinibus ostenditur, necessarium non esse, vt materia corporis resuscitandi, ad eundem locum redeat, in quo prius fuit in corpore.

1 Tom. 3. in Enchir. ca. 89.

1 IPsa etiam terrena materies, quæ discedente anima, fit cadauer, non ita resurrectione reparabitur, vt ea, quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerū species formasque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde delapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit, quod tam crebra tonsura detraxit; si vnguibus, quod toties dempsit exectio; immoderata & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus, occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet metalli solubilis, aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam; & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare: nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur; dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter & ineffabiliter artifex de toto, quo caro nostra cōstiterat, eā mirabili & ineffabili

cele-

celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues; an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. [2] Veluti etiam si de limo vas fieret, quod rursus in eundem limum redactum, totum de toto iterum fieret; non esset necesse, vt illa pars limi, quæ in ansa fuerat, ad ansam rediret: aut quæ fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundũ: dum tamen totum reuerteretur in totum; id est, totus ille limus in totum vas, nulla sui perdita parte remearet. Quapropter si capilli toties tonsi, vnguesq́ue desecti, ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt: nec tamen cuiquam resurgenti peribunt, quia in eandem carnem, vt quemcunque ibi locum corporis teneant, seruata partium congruentia, materiæ mutabilitate vertentur. Quamuis, quod ait Dominus, Capillus capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptiùs possit intelligi. Vnde & alibi dicit: Capilli capitis vestri numerati sunt omnes. [3] Restituetur ergo, & quicquid de corporibus viuis, vel post mortem de cadaueribus periit: & simul cum eo, quod in sepulchro remansit, in spiritalis corporis nouitate ex animalis corporis vetustate mutatum, resurget incorruptione atque immortalitate vestitum. Sed & si vel casu aliquo graui, vel inimicorum immanitate totum penitus conteratur in puluerem, atque in auras, vel in aquas dispersum, quãtum fieri potest, nusquam esse sinatur: omnino nullo modò subtrahi poterit omnipotentiæ creatoris; sed capillus in eo capitis non deperibit.

2 To 5 lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 19.

Luc. 21.

Luc. 12.

3 Ibidem ca. 21

CAP. XI.

Soluitur quæstio de abortiuis fœtibus.

1 SEd scrupulosissimè quærere, & fidem, qua credimus resurrecturam carnem, ita quærẽdo assolent increduli irridere: vtrum fœtus abortiui resurgant: Et quoniam Dominus ait, Amen dico vobis, capillus capitis vestri non peribit; vtrum statura & robur æqualia futura sint omnibus: an diuersæ corporum quantitates? Si enim æqualitas corporum erit, vnde habebunt, quod hîc non habuerunt in mole corporis illi abortiui, si resurgent & ipsi: aut si nõ resurgent, quia nec nati sunt, sed effusi, eandem quæstionem de paruulis versant; vnde illis

1 Ibidẽ ca. 13.

Luc. 21.

mensura corporis, quam nunc defuisse videmus, accedat, cùm in hac ætate moriuntur? Neque enim dicturi sumus, eos non resurrecturos, qui non solùm generationis, verùm etiam regenerationis capaces sunt. 2 Ad hoc ergo respondeam. Abortiuos fœtus, qui, cùm iam vixissent in vtero, ibi sunt mortui, resurrecturos, vt affirmare, ita negare non audeo: quamuis non videam quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui resurgent, & erunt aliquæ humanæ animæ sine corporibus in æternum, quæ corpora humana quamuis intra viscera materna gestarunt: aut si omnes animæ humanæ recipiant resurgentia sua corpora, quæ habuerunt, vbicunque viuentia & morientia reliquerunt; nō inuenio, quemadmodum dicam ad resurrectionem nō pertinere mortuorum, quoscunque mortuos etiam in vteris matrum. Sed, vtrumlibet de his quisque sentiat, quod de iam natis infantibus dixerimus, hoc etiam de illis intelligendum est, si resurgent.

2 Ibidem cap. 13.

Cap. XII.

In qua mensura corporis resurrecturi sint, qui infantes aut paruuli sunt mortui; & quòd in resurgentibus nulla apparebit deformitas.

1 Quid ergo de infantibus ***iam natis, sed non diu viuentibus,*** dicturi sumus, nisi quia non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui? Sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro, atque celerrimo recepturi. In sententia quippe Domini, vbi ait, Capillus capitis vestri non peribit, dictum est nō de futurum esse quod fuit: non autem negatum est affuturum esse quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quātitas sui corporis. Perfecto quippe infanti deest vtique perfectio magnitudinis corporalis; quæ cùm accesserit, iam statura longior non esse possit. hunc perfectionis modum sic habent omnes, vt cum illo concipiantur atque nascantur: sed habent in ratione, non in mole: sicut ipsa iam membra omnia sunt latēter in semine, cū etiam natis nonnulla adhuc desunt, sicut dentes; ac si quid est eiusmodi. In hoc ergo infans iam breuis, aut longus est, qui breuis, longúsue futurus est. 2 Atque ita non deest perfectio, quæ accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ accesserunt

1 Ibidē ca. 14. Vide Ser. 147. de temp. in medio.

Luc. 21.

2 To. 3. In Enchirid. ad Lauren. ca. 85.

cesserunt tempore: Vt neque in eo quod aptum & congruum, & dies allaturi fuerant, natura fraudetur: neque in eo quod aduersum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur; sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum. [3] Neque enim & monstra, quæ nascuntur, & viuunt, quamlibet cito moriantur; aut resurrectura negabuntur, aut ita vitiata resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataque natura. [4] Nec illud est consequens, vt ideo diuersa sit statura reuiuiscentium singulorum, quia fuerat diuersa viuentium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reuiuiscant. Sed si hoc est in consilio creatoris, vt in effigie sua cuiusque proprietas, & discernibilis similitudo seruetur; in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur: ita modificabitur illa in vnoquoque materies, vt nec aliud ex ea pereat, & quod alicui defuit, ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit, operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum, quibus cantus impletur; hoc fiet cuique de materia corporis sui, quod & hominem reddat æqualem Angelicis cætibus, & nihil inconueniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quicquid futurum est, hoc decebit; quia nec futurum est, si non decebit. [5] Quibus omnibus pro nostro iam modulo consideratis, atque tractatis; hæc summa conficitur, vt in resurrectione carnis in æternum, eas mensuras habeat corporum magnitudo, quas habebat, perficiendæ, siue perfectæ, cuiuscunque indita corpori ratio iuuentutis, in membrorum quoque omnium modulis congruo decore seruato. Quod decus vt seruetur, si aliquid demptum fuerit indecenti alicui granditati in parte aliqua constitutæ, quod per totum spargatur, vt neque id pereat, & congruentia partium vbique teneatur: non est absurdum vt aliquid inde etiam staturæ corporis addi posse credamus, cùm omnibus partibus, vt decorem custodiant, id distribuitur; quod si enormiter in vna esset, vtique non deceret. Aut si contenditur in ea quemque statura corporis resurrecturum esse in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est: tantum absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio: & si quid aliud illud non decet regnum, in quo resurrectionis & promissionis filij, æquales erunt Angelis Dei.

[3] Ibidē cap. 19.

[4] Ibidē cap. 20.

[5] Lib. 22. de ciui. Dei. ca. 20

CAP. XIII.

Resurgentium corpora spiritalia erunt; leuia, & agilia.

1 In Enchir. ad Lauren. cap. 91.

1 RESurgent igitur sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate; sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas resurgendi, quanta felicitas erit. Propterquod & spiritalia dicta sunt, cùm proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nùc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est: ita tunc spiritale corpus erit, corpus tamen, non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggrauat animam, & ad vitia, quibus caro aduersus spiritum concupiscit; tunc non erit caro, sed corpus; quia & cælestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est, Caro & sanguis regnum Dei non possidebũt. Et tanquàm exponens quid dixerit: Neque corruptio, inquit, incorruptionẽ possidebit. Quod prius dixit, Caro & sanguis, hoc posterius dixit, Corruptio. Et quod prius Regnum Dei; hoc posterius Incorruptionem. Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectionem, corpus Christi caro appellatum est. Sed ideo ait Apostolus, Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale, quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, viuificante spiritu, sine sustentaculi alicuius indigentia, subditam carnem, vt nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nosmetipsos patiamur inimicos. [2] Sed non potest, inquiunt quidam, esse terrenum corpus in cælo. Quid si hoc velit Deus? Responde contra Deum, & dic, Non potest Deus. Nónne & quicunque paganus dicit omnipotentem Deum? Totum quippe ad volũtatem suam redegit Deus, qui potest, & quod impossibile est. 3 Quid corpora solida; quæ tenentur atque tractantur (non humida dico, quæ labuntur & fluunt:) corpora dico tractabilia, vnde sunt? Terræ deputanda sunt, an aquæ, an aëri, anætheri? Responsurus es, Terræ. Terrenum ergo corpus est lignum? Planè terrenũ. In terra nascitur, in terra alitur, in terra crescit. Tractabile est, non fluxibile. Terra est in fundamento. Quid super terram? Aqua. Quare lignum natat super aquam? Terrenum est corpus. Sub aqua esse debuit, non supra. Inuenimus inter terram & lignum, aquam mediam: super terram aquam, & super aquam iterum terram, quandoquidem lignum terra est. Ergo terrena corpora inuenta

Sap 9.
Galat. 5.
1. Cor. 15.
Vide lib 22 de ciu. Dei ca. 21.
1 Cor. 15.
2 Ser. 71. inter impres. Louan. qui est de tẽp. 147.
3 Ibidem inf.

inuenta sunt, super elementum, quod secundum est in ordine elementorum, quando natant ligna, neque mergūtur. Attende aliud, quod plus mireris. Corpora ipsa grauissima, & tamen terrena, mox vt dimissa fuerint super aquam, continuò demerguntur, & ad ima profunda perueniunt, sicut est ferrum; postremò sicut est plumbum. Quid enim plumbo grauius? Accedit tamē manus artificis ad plumbum, facit inde aliquod vas concauum, & natat plumbum super aquam. Ergóne non dabit Deus corpori meo, quod dat artifex plumbo? Deinde aquam vbi ponis? Certè respondebis, quod aqua sit super terrā. Quare ergo antequam in terram currāt, pendent in nubibus flumina? Reuoca inde cōsiderationem tuam, & cogitationem ad ea, quæ dicturus sum. Quid facilius mouetur? quid velocius agitatur; grauius corpus, an leuius? Quis non respondeat, leuius? Leuiora enim corpora facilius mouentur, velocius aguntur; grauiora difficilius atque tardius. Responde ergo mihi: Quare leuissima aranea tardè se mouet, & grauis equus velociter currit? De ipsis hominibus loquar. Maius corpus hominis, grauius est: breuius corpus, quod minus habet ponderis, leuius est. Ita verò est, si alius portet. Si autē ipse homo corpus suum portat, validus currit; macer languore vix ambulat. Appende macrum & robustum hominem; illum languore vix paucas libellas appendentem; illum salubritate corporis multa pondera in carne sua gerentem. Tenta tu ambos tollere, grauis est validus, leuis est macilentus. Recede portator, appareat ambulator: ipsos dimitte sibi, ferant corpora sua, agant corpora sua. Video macrum vix passum mouentem, video validum robustumque currentem. Si hoc valet sanitas; immortalitas quid valebit? Dabit ergo Deus miram facilitatem, miram leuitatem. Non enim sine causa illa corpora, spiritalia, (vt diximus) nuncupata sunt. Non ideo dicta sunt spiritalia, quia spiritus erunt, non corpora. Nam ista, quę modò habemus, dicuntur animalia corpora, & tamen animæ non sunt, sed corpora. Quomodo nunc ista animalia dicuntur, & animæ non sunt? sic illa spiritualia dicuntur, sed nō sunt spiritus, quia corpora erunt. Quare dicitur spirituale corpus, nisi quia ad nutum spiritus seruiet? Nihil tibi contradicet ex te; nihil in te rebellabit aduersus te. Non ibi erit, quod Apostolus gemit, Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem. Non ibi erit, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę. Galat. 5. Rom. 7.

Hæc bella ibi non erunt; pax ibi erit, pax perfecta ibi erit. Vbi volueris, eris: sed quocunque ieris, Deum tuum habebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris. 4 Quæ sit autē & quàm magna *beati*, & spiritalis corporis gratia; quoniam nondum venit in experimentum, vereor ne temerarium sit omne, quod de illa profertur, eloquium.

Lib. 22 de ciu. Dei, cap. 21.

Cap. XIIII.

Sicut hîc quædam partes corporis non ad vsum, sed ad ornatum faciunt: ita erit & post resurrectionem.

1 Ser. 7 inter impress. Loua. cuius fragmētum habetur Serm. 152 de tempore.

1 CVm ergo integra instauranda sint omnia, quæri solet ab eis qui scire desiderant, & rursus proponi solet ab eis qui litigare desiderant, quæstio difficilis de vsu membrorum. Dicunt enim corpus nostrum habere omnia membra sua, & apparere quæ membra quibus operibus sint necessaria. Quis enim nesciat, quis non videat, ad videndum nos habere oculos, aures ad audiendum, linguam ad loquēdum, nares ad olfaciendum, dentes ad mandendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum; illa etiam membra, quæ pudenda dicuntur, ad generandum? Porrò autem interiora etiam viscera, quæ ne horrerent aspectibus, voluit Deus esse cōtecta; interiora nostra, & intestina quæ dicuntur, ad quos vsus valeant, & multi hominum, & melius medici cognouerunt. Argumentantur ergo, & dicunt nobis: Si aures habebimus, vt audiamus; oculos, vt videamus; linguam, vt loquamur: dentes quare habebimus, si non manducabimus? fauces, pulmones, stomachum, intestina, quà cibi transeunt, & pro nostræ valetudinis temperie commutantur? Postremò illa ipsa membra quæ vocātur pudenda, quare (inquiunt) habebimus, vbi nulla erit generatio, nulla digestio? Quid eis respondeamus? Nunquidnam dicturi sumus sine intestinis nos resurrecturos ad similitudinem statuarum? Nam de dentibus facilè respondetur, Dentes enim non tantum nos adiuuant ad manducandum, verum etiam ad loquendum; sicut plectrum neruos, sic linguam nostram, vt syllabas sonet, percutientes. Cætera ergo membra nostra erunt ad speciem, non ad vsum; ad commendationem pulchritudinis, non ad indigentiam necessitatis. Nunquid quia vacabunt, ideo indecora erunt? Et quidem nunc, quia imperiti sumus, & causas rerum ignoramus, si videantur interiora nostra, horrentur potius, quàm

quàm diliguntur. Quis enim nouit, quemadmodum sibi inuicem connexa sunt membra, & quibus numeris coaptata? Vnde vocatur etiam harmonia, quod verbum dictum est de musica, vbi videmus certè in cithara neruos distentos. Si omnes nerui similiter sonent, nulla est cantilena. Diuersa distensio diuersos reddit sonos: sed diuersi soni ratione coniuncti pariunt non videntibus pulchritudinem, sed audientibus suauitatem. Istam rationem quisquis in membris humanis didicerit, tantum miratur, tantum delectatur, vt omni visibili pulchritudini ista ratio ab intelligētibus præferatur. Modò eam nescimus, sed tunc sciemus: non quia nudabuntur, sed quia etiam cooperta latere non poterunt. Respondebit mihi aliquis, & dicet: Quomodo, si cooperta erunt, latere non poterunt? Corda nostra non latebunt, & viscera latebunt? Cogitationes, quas modò non videt nisi Deus, omnes inuicem videbunt in illa societate Sanctorum. Nemo ibi vult tectum esse quod cogitat: quia nemo ibi malè cogitat. [a] Ibi quod nosti te cogitare, & alter sciturus est. [a] Ibidem inf.
Quid times? Modò vis abscondere, modò times publicari cogitationes tuas: fortè enim aliquid mali aliquãdo cogitas, fortè aliquid turpe, fortè aliquid vanum. Nihil ibi, nisi bonum; nihil, nisi honestum; nihil, nisi verum; nihil, nisi purum; nihil, nisi sincerum, quando ibi fueris, cogitabis. Quomodo vis videri modò faciem tuam; sic tunc voles videri conscientiam tuam. Nam & ipsa agnitio, nónne omnium nostrum erit? Omnes nosces, qui ibi erunt. Non enim ideo se agnoscent, quia facies videbunt: maior notitia ibi erit inuicem cognitio. Sic videbunt omnes, & multo excellentius, quàm hîc solent videre prophetæ. Diuinè videbunt, quando Deo pleni erunt. Nec quod offendat, erit, nec quod lateat cognitorem. Erunt ergo ibi membra integra, etiam quæ hîc pudenda sunt, sed ibi pudenda non erunt. Non ibi erit solicitum integritatis decus, vbi non erit libidinis dedecus. Ecce etiam hîc, vbi omnium quodammodo nostrorum operum necessitas mater est, quæ necessitas tunc non erit, tamen inuenimus aliqua, quæ Deus posuit in corporibus ad nullos vsus, sed ad solum decus. Iam dudum per membra currebam: & nunc ea paulo diligentiùs retexamus. Oculos habemus ad videndum; aures ad audiendum; nares ad olfaciendum; os & linguam ad loquendum: dentes ad mandendum; guttur ad vorandum; stomachum ad suscipiendum & coquendum; intestina ad traiiciendum cibos

ad ima; & illa quæ pudenda appellantur, vel ad digestionem, vel ad generationem: ad operandum manus, ad ambulandum pedes. Barbæ quis vsus, nisi sola est pulchritudo? Quare Deus barbam creauit in homine? Speciem video, vsum non quæro. Apparet, feminæ quare habeant vbera, vtique vt paruulos lactent. Mamillas viri quare habent? Interroga vsum; nullus est. Interroga speciem; decet mamillatum pectus & viros. Virili pectori mamillas detrahe, & vide quantam pulchritudinem dempseris, quantam ingesseris fœditatem. Sic ergo crede, sic tene, multorum membrorum ibi vsum non futurum, sed decus nullius defuturum. Nihil indecorum erit ibi; summa pax erit, nihil discordans, nihil monstruosum, nihil quod offendat aspectum.

Cap. XV.

Refellitur opinio illorum, qui dicunt, quòd & feminæ omnes in sexu virili resurgent.

1 Li.22. de ciu. Dei, cap 17. 1 NOnnulli verò propter hoc quod dictum est, Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virū perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & conformes imaginis filij Dei; nec in sexu femineo resurrecturas feminas credunt, sed in virili omnes, aiunt: quoniam Deus solum virum fecit ex limo, feminam ex viro. Sed mihi melius sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa. Nam priusquam peccassent, nudi erant: & non confundebantur vir & femina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura seruabitur. Non est autem vitium sexus femineus, sed natura: quæ tunc quidē & à concubitu, & à partu immunis erit. Erunt tamen membra feminea, non accommodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non alliciatur aspicientis cōcupiscentia, quæ nulla erit; sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui & quod non erat, fecit; & liberauit à corruptione, quod fecit.
2 Ibidem inf. 2 Qui ergo vtrumque sexum instituit, vtrumque restituet.
Matth. 22. Denique & ipse Iesus interrogatus à Sadducæis, qui negabant resurrectionem; cuius septem fratrum erit vxor, quam singuli habuerunt, dum quisque eorum vellet defuncti semen, sicut
Deuter. 25. lex præceperat, excitare: Erratis, inquit, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Et cùm aptus locus esset, vt diceret,
De

De qua enim me interrogatis, vir erit ipsa, non mulier; non hoc dixit, sed dixit, In resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. Aequales vtique angelis, immortalitate ac felicitate, non carne; sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt Angeli, quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus futuras negauit esse in resurrectione, non feminas; & ibi negauit, vbi talis quæstio versebatur, vt eam negato sexu muliebri, celeriori facilitate dissolueret, si eum ibi prænosceret non futurum. Imò etiam futurum esse firmauit, dicendo, Non nubent, quod ad feminas pertinet: neque vxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo quæ vel nubere hîc solent, vel ducere vxores: sed ibi hoc non facient. 3 Hoc tamen sperabant Iudæi; ideo turbabantur in illa quæstione. Nam & ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hîc amāt viuētes. Ideo cùm eis proponeretur quæstio illa à Sadducæis, vox deficiebat, & respondere non poterant. At vero Domino quando est proposita, quia nobis resurrectio talis promittitur, non qua repetantur huiusmodi voluptates, sed qua æterna de ipso Deo gaudia comparētur: respondit, & ait, Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque vxores ducent. Non enim incipient mori. Sed erunt, inquit, æquales Angelis Dei. 4 Proculdubio ergo Iudæi non fatigarentur, non deficerent in ista quæstione, si non talia sibi in resurrectione sperarent, qualia agebant in hac vita; *vt vxores ibi ducentes, siue habentes, haberent etiam filios ex vxoribus, sui generis successores*. Dominus autem æqualitatem Angelorum promittens, non humanam carnis corruptionem, demonstrauit quòd ibi non sit necessaria successio, vbi deletur decessio. Ibi quia decessores non erunt, nec successores quærentur. Ad hoc subiecit; Non enim incipient mori. 5 *Hîc quidem quæruntur* connubia propter filios; filij propter successionem; successio propter mortem. Vbi ergo mors non est, néque connubia. Sicut enim nunc sermo noster, decedentibus & succedentibus syllabis peragitur atque perficitur: ita & ipsi homines, quorum sermo est, decedendo ac succedendo peragunt atque perficiunt ordinem huius sæculi, qui temporalium rerum pulchritudine contexitur. In illa autem vita, quoniam verbum Dei est, quo fruemur, nulla decessione & successione syllabarum completur, sed omnia quæ habet, semper manēdo

3 In Psal. 44. in medio.

Matth. 22.

4 In Psal. 65. in initio.

5 To. 4. lib. 1. quæst. Euang. cap. 49.

simul habet; ita participes eius, quibus ipsum verbum solum erit vita, neque moriendo sibi decedent, neque nascendo succedent. [6] Hoc est autem promissum Dei tanquam finale, quo decurrit nostra omnis intentio: quò cùm peruenerimus, nihil amplius requiremus, nihil amplius exigemus. Promisit enim hominibus diuinitatem, mortalibus immortalitatem, peccatoribus iustificationem, abiectis glorificationem. Promisit salutem æternam, & beatam vitam cum angelis sine fine, & hæreditatem immarcessibilem, gloriam sempiternam, dulcedinem vultus sui, domum sanctificationis suæ in cælis, & resurrectionem à mortuis, nullum deinceps moriendi metum.

[6] In Psal. 109. in initio.

Cap. XVI.

Post resurrectionem nulla erit in nobis corruptio; nec vllius rei adminiculo indigebimus: Deus ipse pascet nos.

[1] In Psal. 42. in initio.

1 Talis ergo resurrectio carnis nobis promittitur, vt quãuis ipsa sit caro, quã modò portamus, quæ resurrectura est: tamen non habeat corruptionem, quã modò habet. Modò enim ex corruptione fragilitatis, si non manducemus, deficimus & esurimus: Si non bibamus, deficimus & sitimus. Si diu vigilemus; deficimus & dormimus. Si diu dormiamus; deficimus, ideo vigilamus. Si diu mãducemus & bibamus, quamuis propter refectionem manducemus & bibamus; ipsa diuturna refectio, defectio est. Si diu stemus, fatigamur, ideo sedemus: & si diu sedeamus, & ibi fatigamur, & ideo surgimus. Deinde videamus quia nullus est carnis nostræ status, quoniam infantia auolat in pueritiam, & quæris infantiam, & non est infantia, quia iam pro infantia pueritia est. Iterum & ipsa migrat in adolescentiam; quæris pueritiam, & non inuenis. Adolescens fit iuuenis; quæris adolescentiam, & non est. Iuuenis fit senex; quæris iuuenem, & non inuenis. Non stat ergo ætas nostra: Vbique fatigatio est, vbique lassitudo, vbique corruptio. [2] Caro etiam nostra, quamdiu mortalis est, quamdiu fragilis est, ante illam resurrectionem habet solatia ista, quibus viuimus; panem, aquam, fructus, vinum, oleum. Ista omnia solatia & subsidia si nos deserant, vtique durare non possumus. Cùm autem resurrexerit caro nostra, vt iam istis non indigeamus, habet locum quendam & statum incorruptionis

[2] Ibidẽ infra.

ptionis suæ. [3] Promisit enim Deus æqualitatem Angelorũ: & modò Angeli nõ sitiũt, quomodo nos: nõ esuriunt, quomodo nos: sed habent saginam veritatem lucis, & immortalis sapientiæ. Ideo beati sunt, & de tanta beatitudine (quia in illa sunt ciuitate Hierusalem cælesti, vnde nos modò peregrinamur) attendunt nos peregrinos, & miserantur nos; & iussu Domini auxiliantur nobis, vt ad illam patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis, fonte Dominico veritatis & æternitatis aliquando saturemur. [4] Et quid? nõ ibi manducabimus? Imò mãducabimus. [5] Panis noster ibi iustitia est: potus noster ibi sapiẽtia est: vestis nostra ibi immortalitas est: domus nostra æterna in cælis: firmitas nostra, immortalitas. Nunquid ægritudo surrepit? Nunquid lassitudo ad somnum trahit? Nulla ibi mors, nulla lis; ibi pax, quies, gaudium, iustitia. Nullus intrat inimicus, nullùs labitur amicus. Quæ ibi quies? Si cogitemus & attendamus vbi sumus, & vbi nos futuros esse promisit qui mentiri nescit: ex ipsa eius promissione inuenimus in qua sumus tribulatione. [6] Neque enim indigebimus illic vestimento, vbi erimus immortalitate vestiti: nec cibus nobis deerit, quãdo ipse panis, qui propter nos de cælo ad terras vsq; descendit, sui præsentia nostras animas satiabit. Nec potus nobis deerit, præsente fonte vitæ. Saturabit enim nos ab vbertate domus suæ, & torrẽte deliciarum suarum corda nostra rigabit. [7] Quicquid hîc quærebamus, quicquid hîc pro magno habebamus, ipse ibi nobis erit. Amabamus manducare & bibere; ipse nobis erit cibus, ipse nobis erit potus. Volebamus sanitatem corporis fragilem, transeuntem; ipse nobis immortalitas erit, [8] quæ demum est perfecta sanitas corporis. Nam modò quomodo sanum est quod labitur, quod indiget, quod habet perpetuam quandam ægritudinem famis & sitis? Hæc & tunc non erunt: quia esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has euacuabit. Erit forma corporis perfecta ex Deo, absorpta morte in victoriam, nulla remanente corruptione, nulla surrepente defectione, nullis mutata ætatibus, nullo labore lassata, vt vllo cibo fulciatur, & aliqua esca reficiatur. Sed tamen non erimus sine esca & potu. Ipse erit cibus noster, Deus & potus noster.

[3] Ibidem sup.
[4] In Psal. 86. in fine.
[5] In Psal. 49. vltra medium
[6] To. 9. lib. 2. de Sym. ca. 12.
[7] Serm. 18. de ver. Apost. in fine.
[8] In Psal 50. ante finem.
1 Cor. 6.

CAP. XVII.

Carnalis anima, quæ desiderat similes delectationes in cælo, quales hîc habet; ægrota est: si sanetur, peribunt illa desideria: succedent de sanitate gaudia.

1 Ser. 1 inter impress. Lou. in fine.

1 QVando ergo dicitur, quia cætera subtrahentur, & solus Deus erit, quo delectemur: quasi angustiatur anima, quæ consueuit multis delectari; & dicit sibi anima carnalis, carni addicta, carnalibus cupiditatibus implicita, visco malarum cupiditatum innolutas pennas habens, ne volet ad Deum; dicit sibi, Quid mihi erit, vbi corporaliter non manducabo, vbi non bibam, vbi cum vxore mea non dormiam? Quale mihi gaudium erit? Hoc gaudium tuum de ægritudine est, non de sanitate. Certè ipsa caro tua in hoc tempore aliquando ægrotat, aliquando sana est. Attende ad aliquid, vnde capias exemplum rei, quam non possum dicere. Sunt quædam ægrotantium desideria: ardēt desiderio aut alicuius fontis, aut alicuius pomi; & sic ardent, vt existiment, quia si sani fuerint, frui debent ipsis desideriis suis. Venit sanitas, perit cupiditas. Aegrotus, quod desiderabat, fastidit, quia hoc in illo febris quærebat. Et qualis est ista sanitas, in qua conualescit ægrotus? Sanitas ista, qua dicimur sani, quid est? 2 Magna res est, quam tamen rectè martyres contempserunt; quia in ipsa carne aliam sperauerunt. 3 Quomodo ergo illa desideria tollit ista sanitas: sic omnia tollit immortalitas: quia sanitas nostra immortalitas est. Proinde, quando 4 comparo istam *corporis huius* sanitatem, illi sanitati, quam habebo in requie sempiterna; video quia in illius sanitatis comparatione, ista sanitas morbus est. 5 Illa enim vera sanitas quæ est Immortalitas. 6 Quæ est (inquam) vera sanitas? Cum absorpta fuerit mors in victoriam, & cum corruptibile hoc induerit incorruptionē, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc erit vera sanitas, tunc erit vera & perfecta iustitia, vt nihil mali non solùm facere, sed nec cogitare possimus. Modò autem inopes, pauperes, egentes, dolentes, suspiramus, gemimus, oramus, leuamus oculos ad Deum: 7 donec veniat sanitas illa, in cuius nondum re, sed iam spe salui facti sumus; eamque cum patientia fideliter expectamus: vbi nec repellet Dominus orationem nostram, quoniam tunc nihil erit petendum, sed quicquid rectè petitum est, obtinendum. Nec faciem suam

2 Ex Millelo. Serm. 5. de S. Vincent.
3 Ser. 1. inter impres. Loua.
4 In Psal. 37. à princip.
5 Ibidem. aliquãto post.
6 In Psal. 122. in fine.
7 In Psal 87. in fine.

suam auertet à nobis, quoniam videbimus eum sicuti est: nec inopes erimus, quia copia nostra ipse Deus erit, omnia in omnibus: nec laborabimus, quia nulla remanebit infirmitas: nec exaltati humiliabimur, & conturbabimur, quia nulla ibi erit aduersitas: nec iram Dei vel transeuntem sustinebimus, quia in eius benignitate manentes manebimus: nec terrores eius nos conturbabunt quia promissa reddita nobis obuiabunt: nec territus longè fiet à nobis notus & amicus, vbi nullus erit, qui timeatur, inimicus: 8 vbi dicetur, bene est, vltra nihil volo, omnes hic amo, neminem hic timeo. 9 Ibi enim gaudebimus de socio, non timebimus de aduersario. Ibi enim cõtemplator nobiscum erit amicus, nõ calumniator inimicus. 10 Ibi transibit labor & gemitus: ibi non oratio, sed laudatio erit: ibi alleluia, amen: ibi vox consona cùm Angelis: ibi visio sine defectu, & amor sine fastidio.

8 In Psal. 38. ante medium
9 Ibidem sup.
10 In Psal. 85. ante medium

Cap. XVIII.

In cælo nulla erit necessitas, nec vlla actio, nisi gratiarum: sed satietas ibi erit, nunquam saturata in laude & amore Dei.

1 Cvm ergo transierit gemitus noster, *in quo nunc egeni & miseri laboramus*, omnes vna voce, in vno populo, in vna Patria consolabimur. Millia millium coniuncta psallentibus angelis, choris cælestium potestatum in vna ciuitate viuentium. Quis ibi gemit? Quis ibi suspirat? Quis ibi laborat? Quis ibi eget? Quis ibi moritur? Quis ibi misericordiã præbet? Quis ibi frangit panem esurienti, vbi omnes pane iustitiæ saginantur? Nemo tibi dicet, Hospitem suscipe: peregrinus ibi nemo erit; omnes in patria sua viuunt. Nemo tibi dicet, Concorda amicos tuos litigantes: in pace sempiterna, Dei vultu perfruuntur. Nemo tibi dicet, visita ægrotum: sanitas immortalitasq. permanet. Nemo tibi dicet, Sepeli mortuum; omnes in vita erunt. Cessant opera misericordiæ, quia miseria ibi non inuenitur. Et quid ibi faciemus? Dormiemus fortasse. Si modò pugnamus contra nos, quamuis geramus domum somni, carnem istam; & euigilamus in luminaribus; & solennitas aliqua dat nobis animum vigilandi: dies illa quales vigilias nobis dabit? Ergo vigilabimus, non dormiemus. Quid agemus? Opera misericordiæ? ista non erũt, quia nulla, vt dixi, miseria

1 Ibidem in fine.

Vide Hom. 12. inter quinqu. & Ser. 118. de diuers. in edit. Plant.

Vide To. 9 li. de Cant. nouo cap. 10 & Ser. 122. de diuers. in edit. Plant.

Vide in Psal. 83. post med. & 148. post princip.

miseria erit. Fortè opera necessitatis erunt ista, quæ hic sunt modò, seminandi, arandi, coquendi, molendi, texendi? Nihil horum: quia necessitas non erit. Quid ibi erit? Quod negotium nostrum? quæ actio nostra? Nulla actio, quia quies. Sedebimus ergo, & torpebimus, & nihil agemus? Si refrigescit amor noster, refrigescit & actio nostra. Amor ergo quietus in vultu Dei, quem modò desideramus, cui suspiramus; cùm ad eum venerimus, quomodo nos accendet, in quem nondum visum sic suspiramus? Cùm ad eum venerimus, quomodo nos illuminabit? quomodo nos mutabit? Quid ergo agemus? Hoc Psalmus nobis indicat: Beati qui habitant in domo tua. Vnde? In sæcula sæculorum laudabūt te. Hæc erit actio nostra, laus Dei. Amas & laudas. Desinis laudare, si desinis amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui nullo te offendat fastidio, & satiat te, & non te satiat. Mirum est, quod dico. Si dicam, quia satiat te; timeo ne quasi satiatus velis abscedere, quomodo de prandio, quomodo de cæna. Ergo quid dico, non te satiat? Timeo rursus, ne, si dixero, non te satiat, indigens videaris: & quasi inanior existas, & minus in te sit aliquid, quod debeat impleri. Quid ergo dicam, nisi quod dici potest, cogitari vix potest? Et satiat te, & non te satiat, quia vtrumque inuenio in scriptura. Nam *hoc insinuauit* cùm diceret, Beati esurientes, quia ipsi saturabuntur. Et rursum de sapientia dictū est, Qui te manducant, iterum esurient; & qui te bibunt, iterum sitient. Imò verò nō dixit, Iterum: sed dixit, Adhuc: nam iterum sitiet, *dictum esset*, quasi primò saginatus discesserit, & redierit bibere. Tale itaque est, *quod dicit scriptura*: Qui te edunt *adhuc* esurient: sic, cùm te edunt, *edendo* esurient: & qui te bibunt, sic bibendo sitient. Quid est bibendo sitire? Nunquam fastidire, *nunquam illam delectationem finire.*

Psalm. 83.

Matth. 5.

Eccles. 24.

CAP. XIX.

Quale negotium futurum est in cælo, non in necessitate corporali, sed in laude Dei.

a Tract. 3. in Euang. Ioan. in fine.

1 NOli proinde timere, ne, *cùm ibi fueris*, fastidio deficias. Talis erit illa delectatio, vt semper tibi præsens sit, & nunquam satieris: imò semper satieris, & nunquam satieris. Si enim, *vt iam præmonui*, dixero, quia non satiaberis, fames erit: si dixero, quia satiaberis; fastidium timeo. Vbi verò nec fasti-

fastidium erit, nec fames; quid dicam, nescio. Sed Deus habet quod exhibeat non inuenientibus quomodo dicant, & credentibus quod accipiant; 2 quando factum fuerit, quod dictum est in Psalmo: Qui satiat in bonis desiderium tuum. Et quomodo satiat? Modò enim non satior: ad quodcunque me conuertero, vilescit mihi adeptum, quamuis accenderit desideratum. Cùm ergo omnia quæ non habeo, amo; cùm habuero, contemno; quod bonum me *sic amantem* satiabit? Laus Dei. 3 Si deficiam ab amore, deficiam à laude. Si autem amor sempiternus erit, (quia illa insatiabilis pulchritudo erit) nolo timere ne non possim semper laudare, quem semper potero amare: 4 sicut quodam loco canitur Deo, Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Erit hoc ociosorum negotium, hoc opus vacātium, hæc actio quietorum, hæc cura securorum. 5 O ociosum negotium, plenum solius dulcedinis, nulla interpolatum molestia, nulla fatigatione sauciatum, nulla nube perturbatum. Negotium istud quod erit? Laudare Deum: amare & laudare; laudare in amore, amare in laudibus. Beati qui habitant in domo tua: in sæcula sæculorum laudabunt te. Quare, nisi quia in sæcula sæculorum amabunt te? Quare, nisi quia in sæcula sæculorum videbunt te? Hoc ergo quale spectaculū erit in visione Dei? 6 Aderit enim, cui modò suspiramus; similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Ibi totum negotium nostrum non erit, nisi laudare Deum, & frui Deo. Et quid alium quæremus, vbi solus sufficit, per quem facta sunt omnia? Habitabimur, & habitabimus: subiicientur illi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Beati ergo qui habitant in domo tua. Vnde beati? habendo aurum, habendo argentum, numerosam familiam, multiplicem prolem? Non. Vnde ergo beati? 7 Omnes qui beati dicuntur in terra, habent aliquid, & agunt aliquid. Beatus est homo ille, qui tot prædiis, tanta familia, tanto auro & argento habendo, beatus dicitur. Beatus est: ad illos honores peruenit, ad proconsulatum, ad præfecturam agendam. Beatus ergo dicitur aut habendo aut agendo. Vnde autem ibi beati? quid habituri? quid acturi? Quid habituri, iam supra dixi, Beati qui habitant in domo tua. Domum tuam si habueris, pauper es: domum Dei si habueris, diues es. In domo tua timebis latrones: Domui Dei murus ipse Deus est. Beati ergo qui habitant in domo tua. Possident Hierusalem cælestem sine angustia, sine pressura, sine

2 In Psal. 102. ante medium

3 In Psal. 83. post medium

4 In Psal. 110. in princip.

5 In Psal. 147. post princip.

6 In Psal. 86. ante finem.

7 In Psal 83. ante medium

sine diuersitate, & diuisione limitum: omnes habent eam, & singuli habent totam. Magnæ illæ diuitiæ. Non angustat fratrem fratrem: nulla ibi indigentia est. Quid ergo ibi acturi? Omnium enim actionum humanarum mater necessitas. Iam breuiter dixi. Curre animo per quaslibet actiones, vide si eas parit nisi necessitas. Ipsæ memorabiles artes, quæ magnæ videntur in subueniendo, patrocinia linguæ, & adiutoria medicinæ. Ipsæ sunt enim in hoc sæculo excellentes actiones: tolle litigatores, quibus opitulatur aduocatus? tolle vulnera & morbos, quid curat medicus? Et omnes istæ actiones nostræ, ad quotidianam vitam, quæ exiguntur & fiunt, ex necessitate veniunt. Arare, seminare, nouellare, nauigare, talia omnia opera quæ parit, nisi necessitas, & indigentia? Tolle famem, sitim,
9 Ibidem inf. nuditatē, cui opus sunt ista omnia? 9 Ergo quia dixit Propheta desiderans & suspirans ex voce nostra, quid habituri sumus in
Psalm. 83. illa patria, cui suspiratur, & ait, Beati qui habitant in domo tua; dicat & quid acturi sumus. In sæcula, inquit, sæculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu, Alleluia.

Cap. XX.

Homines æquales erunt Angelis in laude Dei; nō per syllabas, neque per verba, neque per lectionem librorum, sed per contemplationem purissimam Deum cognoscentes.

1 In Psal. 141. in fine. 1 QVia ergo post istas corruptiones angustas habitabimus in domo Dei, tota vita nostra non erit, nisi laus Dei. Iam etiam sæpe expositum est, quia recedente necessitate, omnia negotia necessitatis intercidunt: quoniam non erit quid ibi agamus. Non dico die ac nocte, vbi nox non est; sed toto die, cùm vnus dies est, non erit quid ibi agamus, nisi laudemus quem diligimus, quia tunc & videbimus. Modò non visum desideramus, & laudamus; tunc visum, quod amamus, quomodo laudabimus? Sine fine erit laus, quia sine fine amor.
2 In Psal. 83. in medio. 2 Nam (quia non tantum delectat quod non videtur) si tanta alacritate in ipsa pressura & fragilitate carnis laudamus quod credimus: quomodo laudabimus quod videbimus? Cùm absorpta fuerit mors in victoriam, cùm mortale hoc induerit
1 Cor. 15. immortalitatē, & corruptibile hoc induerit incorruptionem; nemo dicet, *diu vidi; nemo dicet, diu laudaui; nemo dicet*, diu steti;

fleti; nemo dicet, diu ieiunaui; diu vigilaui. Stabilitas enim magna erit ibi,& ipsa immortalitas iam corporis nostri suspēdetur in contemplatione Dei. 3 Omnes deliciæ nostræ, Deus erit:& societas sanctę ciuitatis in illo,&de illo sapiēter beateq; viuentis. Efficiemur enim,sicut ab illo promissum speramus & expectamus,æquales Angelis Dei, & cum eis pariter illa trinitate perfruemur iam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus. Credimus enim quod non videmus, vt ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus, & inhærere mereamur: vt æqualitatem Patris & Filij & Spiritussancti,& ipsius trinitatis vnitatem (quomodo sunt hæc tria vnus Deus) non iam verbis fidei, & strepentibus syllabis personemus, sed contemplatione purissima & ardentissima in illo silentio sorbeamur. 4 Cùm ergo venerimus ad illam sapientiā, quæ implet corda & mentes intuentium, non opus erit vt aliquid ibi nobis legatur;quia in eo quod nobis legitur,syllabæ sonāt & transeunt:illa autem lux veritatis non præterit, sed fixa permanens inebriat corda videntium,quomodo dictum est, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ,& torrente deliciarum tuarum potabis eos; quoniam apud te est, Domine, fons vitæ. Et vide ipsum fontem. In lumine,inquit,tuo videbimus lumen. Modò ergo lectio necessaria est,quamdiu ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus,sicut dicit Apostolus, Cùm autē venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est. Non enim liber necessarius erit,neq. legemus in ciuitate Hierusalem, vbi Angeli viuunt, vnde nos modò peregrinamur; & peregrinatio nostra gemit: gemit autem si scimus quia peregrinamur. Nam odit valde patriam,qui putat sibi bene esse, cùm peregrinatur. Nunquid in illa ciuitate,vbi sunt Angeli, Euangelium legitur,aut Apostolus? Verbo Dei pascuntur. 5 Omnes iusti & sancti fruuntur verbo Dei, sine lectione, sine literis. Quod enim per paginas nobis scriptum est, per faciem Dei illi cernunt. 6 Non *itaque* ibi deerit verbum Dei:sed tamen nō per literas,non per sonos, non per codices,non per lectorem, non per tractatorem. Quomodo ergo? Sicut in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum. Non enim sic ad nos venit, vt inde discederet: quia in hoc mundo erat,& mūdus per eum factus est. Tale verbum contemplaturi sumus. Apparebit enim Deus Deorum in Sion. Sed hoc quando? Post peregrinationem, finita via,si tamen post finitam viā non iudici tradamur,

3 To. 4. lib. de Catech. rudib. cap 25.

4 In Psal. 93. ante finem præfationis.

Psalm. 35.

1. Corint. 13

Vide Tract. 35. in Ioā. in fine

Vide in Psal. 83. in medio.

5 In Psal. 119. post medium.

6 In Psal. 103. conc 3 post princip.

Ioan. 1.

Psalm. 83.

Matth. 5.

& iudex mittat in carcerem. Sed si finita via, sicut speramus & optamus, & studemus, ad patriam venerimus, ibi contenti plabimur, quod semper laudabimus. Nec illud deficiet, quod nobis præsto est; nec nos qui fruemur: nec fastidiet qui manducabit, nec deficiet qui manducabitur. Magna illa & mira contemplatio erit. Et quis de illa dignè dicet isto tempore?

Cap. XXI.

Explicatur hæc scriptura, Qui est, misit me: & quale sit illud verum Esse, ostenditur.

1 Meritò sic misit Deus famulum suum Moysen, *dicens: Vade, dic filiis Israël, Qui est, misit me ad vos.* Quæsiuit enim Moyses nomen mittentis se, requisiuit, & audiuit, nec desertum est desiderium concupiscentiæ bonæ. Quæsiuit autem non quasi curiositate præsumendi, sed necessitate ministrandi. Quid, inquit, dicam filiis Israel, si dixerint mihi, Quis te misit ad nos? Et ille indicans se creaturæ creatorem, Deum homini, immortalem mortali, æternum temporali, Ego, inquit, sum, qui sum. Hoc erat quæsitum, Quid vocaris? A quo me missum esse respondebo quærentibus? Ego sum. Quis? Qui sum. Hoc est nomen tuum: hoc est totum, quod vocaris? Non esset tibi nomen ipsum Esse, nisi quicquid est aliud tibi comparatum, inueniretur non esse verè. Hoc est nomen tuum? Exprime hoc idem melius. Vade, inquit, & dic filiis Israel, Qui est, misit me ad vos. Ego sum, qui sum; qui est, misit me ad vos. Magnum ecce Est, magnum est. Ad hoc homo quid est? Ad illud tam magnum Est, homo quid est, quicquid est? Quis apprehendat illud Esse? Quis eius particeps fiat? Quis anhelet? quis aspiret? Quis ibi se esse præsumat? 2 Aut quis, quomodocunque intenderit vires mentis suæ, vt attingat, quomodo potest, id quod est, vt ad id quod vtcunque mēte attigerit; possit peruenire? Sic est enim tanquam videat quisque de longinquo patriam, & mare interiaceat. Videt quò eat; sed non habet qua eat. Sic ad illam stabilitatem nostram, vbi quod Est, est, quia solum semper sic est, volumus peruenire: interiacet mare huius sæculi, quà imus; etsi iam videmus, quò imus. 3 Iam etiam illud attende, quid vocatur Est. Nosti quid vocatur Est? Quod vocatur (& non solum vocatur, sed verè est) incommutabile est: semper manet, mutari nescit: nulla ex parte corrumpitur: nec proficit, quia per-

1 In Psal. 101. conc. 2. post medium.

Exod. 3.

Vide in Psal. 38. in fine.

2 Tract. 2. in Ioan. post princip.

3 Tract. 4. in epist. Ioan. in medio.

perfectum est; nec deficit, quia in æternũ est. 4 Omnia enim quæ mutantur, desinunt esse quod erant; & incipiũt esse quod non erant. Esse verum, Esse sincerum, Esse germanum non habet, nisi qui non mutatur. Ille habet esse, cui dicitur, Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es. 5 Ita enim ille est, vt in eius comparatione ea quæ facta sunt, non sint illi comparanda, quoniam ab illo sunt. Illi autem non comparata sunt, quoniam ab illo sunt. Illi enim comparata non sunt, quia verum Esse incõmutabile Esse est, quod ille solus est. Est enim Est, sicut bonorum bonum, bonum est. *Quid ergo quæris, ô anima Christiana? ad quid anhelas? Dic tu anima mea quid quæris?* 6 EST (inquit) illud simplex quæro: EST verum quæro: EST germanum quæro: EST, quod est in illa Hierusalem sponsa Domini mei: vbi non erit mors, non erit defectus, nõ erit dies transiens, sed manens: quia nec hesterno præceditur, nec crastino impellitur. 7 Optimè enim nõ ait Christus, Ante Abraham ego fui: sed, Ante Abraham ego sum. Quod enim dicitur, quia fuit, non est: & quod dicitur, quia erit, nondum est. Ille nõ nouit nisi Esse. Secundum quod Deus est, esse nouit: fuisse, & futurum esse, non nouit. Dies est ibi vnus, sed sempiternus. Non ponunt illum diem in medio hesternus & crastinus. Hesterno enim die finito, incipiens hodiernus venturo crastino finitur. Ille vnus dies ibi est sine tenebris, sine nocte, sine spaciis, sine mensura, sine horis. Quod vis, illum dic: si vis, dies est; si vis, annus est; si vis, anni sunt.

4 Ser. 37. inter impres. Loua. Psalm. 101. 5. in Psal. 134. ante medium 1. expositione. 6 in Psal. 38. ante medium 7 Tract. 2. in epist. Ioan. in medio. Ioan. 8.

CAP. XXII.

Dies terræ, & dies cæli quales sint; qui & anni dicuntur.

1 ALij autẽ sunt dies cæli, alij sunt dies terræ. Dies cæli anni sunt illi, de quibus dicitur, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Dies terræ succedentibus vrgentur, præcedentibus excluduntur; nec qui succedũt, manent; sed veniunt, vt eant: & penè antequam veniant, eunt. Isti sunt dies terræ. Dies autem cæli qui? Et vnus dies cæli, & illi anni non deficientes, nec initium habent, nec terminum: nec vllus dies ibi angustatur inter hesternum & crastinum. Nemo ibi expectat futurum: nemo ibi perdit præteritum: sed dies cæli semper præsentes sunt. 2 Non enim succedentibus cedunt, vbi non est aliquid, quod non veniendo nondum sit, & veniendo iam non sit. Omnes simul sunt, quia vnus est qui stat, & nõ transit:

1 In Psal. 12. cõ. 1 in fine. Psalm. 101. 2 In Psal. 89. in fine.

ipsa est æternitas. Hi sunt dies de quibus dicitur, Quis est
Psalm. 33. homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Hi ergo
dies & in alio loco, *sicut diximus*, anni appellantur, vbi Deo di-
3 Li. 17. de ciu. Dei. cap 4. post medium citur, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. 3 Ibi
enim stant anni, hic autem transeunt, imò pereunt. Antequam
enim veniant, non sunt: cùm autem venerint, non erunt; quia
4 In Ser. 1. de verb. Dom. secundû Mat. Vide Ser. 33. de verbis Dom. cùm suo fine veniunt. 4 Nō enim veniūt, vt stent nobiscum,
sed cùm transeant per nos, terunt nos; & minus minusque va-
lere nos faciunt. 5 Quid enim de his annis manet? Ecce lo-
5 In Psal. 76. fere in medio. Vide Tract. 31 in Ioan & in Psalm. 121. ante medium quendo dicimus, Hoc anno. Et quid tenemus de hoc anno
præter vnum diem, in quo sumus? Nam superiores dies anni
huius iam transierunt, nec tenentur; futuri autem nondum ve-
nerunt. In vno die sumus, & dicimus, Hoc anno. Imò dic, ho-
die, si vis aliquid præsens dicere. Nam de toto anno quid præ-
sens tenes? Quicquid de illo præteritum est, iam non est: quic-
quid de illo futurum est, nondum est. Quomodo hoc anno?
Corrige locutionem: hodie dic, verum dicis. Hodie iam dica-
mus. Rursus & hoc attende. Cùm hodie hoc horæ matutinæ
Vide in Psal. 38. in medio. transierunt: horæ futuræ nondum venerunt. Hoc momento,
dic. Quo momento? Dum syllabas loquor, si duas syllabas di-
cam, altera non sonat, nisi cum illa transierit. Ipsa denique vna
syllaba, si duas literas habeat, nō sonat posterior litera, nisi prior
abierit. Quid ergo tenemus de his annis? Anni isti mutabi-
les sunt: anni æterni cogitandi sunt, anni qui stant, qui non ve-
6 In Psal. 101. fere in fine. nientibus & abeuntibus diebus peraguntur. 6 Sed nos ad illos
annos, cum his pannosis annis, quid sumus? Et illi qui sunt?
Nec tamen desperare debemus. Iam enim magnitudine qua-
Exod. 3. dam, & excellentia sapientiæ dixerat Deus, Ego sum, qui sum:
& tamen ad nos cōsolandos, Ego sum, inquit, Deus Abraham,
& Deus Isaac, & Deus Iacob. Et nos Abrahæ semen sumus: &
nos quamuis abiecti, quamuis terra & cinis, in illo speramus.
Serui sumus, sed propter nos Dominus noster formam serui
accepit: propter nos mortales, immortalis mori voluit: propter
nos hoc in se exemplum resurrectionis ostendit. Ergo spere-
mus nos venturos ad hos annos stantes, in quibus non circuitu
solis peraguntur dies, sed manet quod est, sicuti est; quia hoc
7 To. 2. epist. 121. cap. 8. solum verè est. 7 Ibi namque omnes dies non veniendo &
transeundo fiunt omnes, nec initium alterius est finis alterius:
omnes sine fine simul sunt, vbi nec ipsa vita habet finem, cuius
illi dies sunt.

CAP.

CAP. XXIII.

Incitatio nostri desiderij ad illos dies & annos qui nunquam deficiunt, sed semper stant.

1 EXæstuet proinde anima nostra illorum dierum deside- 1 In Psal 89. fere in fine.
rio; sitiat ardenter atque vehementer, vt illic repleamur,
ibi satiemur, ibi dicamus, quod hic prædicimus: Satiati sumus Psalm. 89.
manè misericordia tua, & exultauimus, & iocundati sumus in
omnibus diebus nostris. 2 Millia dierum desiderant homines, 2 In Psal. 83, Prope finem.
& multum volunt hîc viuere: contemnant millia dierum, desi-
derent vnum diem, qui non habet ortũ & occasum: vnũ diem,
diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non vrget
crastinus. Ipse vnus dies desideretur à nobis. Quid nobis est
cum millibus dierum? Eamus à millibus dierum, ad vnum
diem, *qui finem non habet.* 3 Non nobis sufficiat quicquid lon- 3 In Psal. 90. conc. 2. prope finem.
gum est in tempore, si habet finem: & ideo nec longum dicen-
dum est. Et si auari sumus, vitæ æternæ debemus esse auari:
talem vitam desidera, quæ non habet finem. Ecce vbi extenda-
tur auaritia tua. Argentum vis sine fine? Vitam æternam desi-
dera sine fine. Non vis vt habeat finem possessio tua? Vitam
æternam desidera. Quæ est? Lõgitudine dierum replebo eum. Psalm. 90.
4 Noli autem putare longitudinem dierum dici, sicut sunt 4 Ibidem sup.
hieme dies minores, æstate dies maiores. Tales dies nobis ha-
bet Deus dare? Longitudo illa est, quæ nõ habet finem, æterna
vita, quæ nobis promittitur in diebus longis. Vnde quidam,
5 Habitabo, inquit, in domo Domini, in longitudinẽ dierum. 5 In Psal. 60, ante finem.
Quare in longitudinem dierum? Quia modò est breuitas die-
rum. Omnis enim res quæ finem habet, breuis est. *Dies autem
illi finem non habent, sed æternitatem.* 6 Nam & *propterea* anni 6 Ibidem inf.
dicti sunt. Tu autem idem ipse es, inquit Propheta, & anni
tui non deficient. Quomodo anni, sic dies, sic vnus dies. Quic-
quid enim vis, dicis de æternitate. Ideo quicquid vis, dicis; quia
quicquid dixeris, minus dicis. Sed ideo necesse est vt aliquid
dicas, vt sit vnde cogites quod non potest dici. Sed 7 qui sunt 7 In Psal 121. ante medium
anni, qui non deficiũt, nisi qui stant? Sic ergo ibi anni stant, &
ipsi anni qui stant, vnus annus est: & ipse vnus annus qui stat,
vnus dies est; quia ipse vnus dies nec ortũ habet, nec occasum:
nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur à crastino; sed stat
semper ille dies. Et quod vis vocas illum diem. Si vis, anni
sunt; si vis, dies est: quodcunque cogitaueris, stat tamen.

CAP. XXIIII.

Quid sint anni Dei, & quid sit æternitas, & quomodo vocet nos Deus, & maneat in nobis.

1 In Psal. 101. conc. 2. post medium.

1 QVare autem non ait Propheta, loquens alibi Deo, Anni tui in sæcula sæculorum: (sic enim magis solet æternitas significari in sanctis Scripturis) sed ait, In generatione generationum anni tui? Sed qui anni tui? Qui, nisi qui non veniunt, vt transeant? Qui, nisi qui nō ideo veniunt, vt non sint? Omnis enim dies in hoc tēpore ideo venit, vt non sit; omnis hora, omnis mensis, omnis annus: nihil horum stat: antequā venit, erit; cùm venerit, non erit. Illi ergo anni Dei æterni, anni qui non mutantur, in generatione generationum erunt. Est quædam generatio generationum, in illa erunt anni Dei. Quæ est ista? Est quædam, & si bene agnoscamus, in illa erimus, & anni Dei in nobis erunt. Quomodo in nobis erunt? Quomodo ipse

1. Cor. 15.

Deus in nobis erit: vnde dictum est, vt sit Deus omnia in omnibus. Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus: sed anni Dei, æternitas Dei est. Aeternitas ipsa, Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit; nihil est futurum quasi nondum sit. Sed nō est ibi nisi Est; non est ibi Fuit, & Erit: quia & quod fuit, iam non est, & quod erit, nondum est; sed quicquid ibi est, non est nisi Est: 2 & ipsa est æternitas. 3 Nec putes, quia verbis finitis, finitur æternitas. Aeternitas in verbo, quatuor syllabis constat, in se sine fine est. 4 Hæc æternitas vocauit nos; & erupit ex æternitate verbum. Iam æternitas, iam verbum, & nondū tempus. Quare nondum tempus? Quia factum est & tempus. Quomodo factum est & tempus? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. O verbum ante tempora, per quod facta sunt tempora: natum est in tempore, *in ista generatione hominum*, cùm sit vita æterna, vocans nos tēporales, & faciens æternos. Temporalis enim generatio vadit hîc, & temporalis generatio venit. Et videmus generationes hominum sic esse in terra, tanquam in arbore folia; sed in arbore oliuæ, vel lauri, vel cuiuscunque alterius, qua toto tempore fronde vestita est: sic tanquam folia genus humanum, terra portat. Plena est hominibus; sed cum aliis morientibus, alij nascendo succedunt: semper enim arbor illa veste viridi ornata est, sed subter attēde, quàm multa calces arida folia. Ergo fuit generatio sub Adam: transiit,

2 In Psal. 9. ante medium
3 In Psal. 145. in fine.
4 In Psal. 101. cóc. 2. in med.
Ioan. 1.

tansiit. Nati sunt inde quidam futuri participes æternitatis Dei etiam illo tempore: inde enim Abel, inde Seth, inde Enoch. Transiit illa generatio. Venit diluuium, remansit vna domus. Et illa generatio dedit aliquos, ipsum Noë, & tres filios eius, & tres nurus eius: in tota enim domo ista octonaria, solus vnus peccator inuentus est. Deinde de tribus filiis Noë, tanquam de tribus mensuris farinæ, impletus est orbis. Electus est Abraham, Isaac & Iacob: sancti viri patriarchæ placuerunt Deo. dedit & illa generatio sequentes etiam generationes, dederunt prophetas, dederunt præcones Dei. Venit etiam postea & ipse Dominus noster Iesus Christus. Temporibus in terra carnis illius, fuerunt Apostoli, fuerunt sancti, & post illos alij sancti, & nunc in nomine Christi, quicunque sunt sancti, & post nos quicunque erunt vsque in finem sæculi, sancti. *De tot generationibus vocat & colligit in tempore, Verbum illud ante tempora, per quod facta sunt omnia tempora, omnes sanctas proles omnium generationum, & facit inde vnam generationē, in qua vera æternitas erit, & ipsa generatio, quæ per omnia tempora transit, particeps erit æternitatis illius.* 5 Vera enim æternitas est, vbi temporis nihil est. Erat autem modò hoc, & modò illud; iam tempus admissum est, æternum non est, *mutabile est*. Nam vt noueris, quia non sic Deus, quomodo anima: certè immortalis est anima. Quid est ergo quod ait Apostolus de Deo: Qui solus habet immortalitatem; nisi quia hoc apertè dixit, solus habet incommutabilitatem; quia solus habet veram æternitatem? Ergo ibi nulla mutabilitas. 6 Non inuenis in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid quod aliter nunc est, aliter paulo antè fuerit. Nam vbi inuenis aliter & aliter, facta est ibi quædam mors: mors enim est, nō esse quod fuit. 7 Quia ergo in æternitate stabilitas est, in tempore autem varietas; in æternitate omnia stant, in tempore alia accedunt, alia succedunt; 8 ama æternitatem, *ô homo*, & nullo fine regnabis, si finis tibi Christus est, cùm quo regnabis.

Matth. 13.

5 Tract. 23. in Ioā. vls. med.

1 Tim. 6.

6 Ibidem sup.

7 Serm. 18. de verbis Dom.

8 In Psal. 45. in fine.

CAP. XXV.

De æterno Christi regno: & quod sit illud regnum,

HÆc de ipsius beati ac potentis Dei, qui solus est incommutabilis, æternitate dicta sunt: Nunc de Christi regno, quod etiam æternum est, pauca loquamur. 1 Semper quidem ille cum Patre regnat, secundum quod est Filius Dei, Verbum Dei,

1 Tract. 25. in Ioan. in init.

Verbum, per quod facta sunt omnia. Prædixerunt autē Prophetæ regnum eius, etiam secundum id quod homo factus est Christus, & fecit fideles suos Christianos. Est enim regnum Christianorum, quod modò colligitur, quod modò comparatur, quod modò emitur sanguine Christi. Erit aliquando manifestum regnum eius, quando aperta erit claritas Sanctorum, post iudicium ab eo factum: [2] de quo etiam dicit Apostolus, Cùm tradiderit regnum Deo & Patri, id est, cùm perduxerit sanctos suos ad contemplationem Patris; vtique & ad suam, secundum id quod Deus est, æqualis Patri. Nō enim sic tradit, vt ipse amittat; quia & pater dedit filio habere vitam in semetipso; nec vtique amisit ipse. Ac per hoc si regni eius non erit finis, *sicut Archangelus dixit virgini Mariæ*, profectò Sancti eius, qui sunt regnum eius, cùm illo sine fine regnabunt. [3] regnum enim eius sunt, in quibus nunc etiam regnat per fidem. Aliter autem dicitur regnum Christi, secundum potestatem diuinitatis, secundum quod ei cuncta creatura subiecta est: & aliter regnum eius dicitur Ecclesia, secundum proprietatem fidei, quæ in illo est, secūdum quod orat, qui dicit, Posside nos. Neque enim non ipse possidet omnia. [4] Nam secundum potestatem, quæ illi super omnia est, etiam nunc vbique regnat. Quid ergo est, quod oramus, vt veniat regnum eius, nisi vt cum illo regnare mereamur? [5] Non enim sic dicimus, Veniat regnum tuum; quasi optantes vt regnet Deus. Regnum ipsius nos erimus, si in eum credentes, in eo profecerimus. Omnes fideles redempti sanguine ipsius vnici, erunt regnum ipsius. Venturum est autem ipsum regnum, cùm facta fuerit resurrectio mortuorum: tunc enim veniet ipse. Hoc est quod optamus & rogamus, quando dicimus, Veniat regnum tuum, vt nobis veniat. Nam si nos reprobi fuerimus, illud regnum aliis est venturum; non nobis. Si autem in eo numero fuerimus, qui pertinent ad membra vnigeniti filij eius; nobis veniet regnum eius, & non tardabit. *Quis porro non optet ex intimis visceribus, tempus istius regni venire? quis non exquirat quando futurum est; & quales nos in eo futuri sumus? de illo enim dictum est,* [6] Tunc iusti fulgebūt sicut sol in regno patris sui. Regnum fulgebit in regno, cùm regnum venerit in regnum: quod nunc oramus & dicimus, Adueniat regnum tuum. Nunc ergo iam regnum vocatur, sed adhuc conuocatur. Sed nondum regnat hoc regnum. Huic quippe regno ad dexteram stanti, in fine dicetur,

[2] To. 6. lib. ad Orosiū cōtra Priscil. cap. 7. 1 Cor. 15.
Ioan. 5.
Lucæ 1.
[3] To. 4. li. 83. quæst. 69. quæst.
Esaiæ 26.
[4] To. 7. lib. 3. de anima & eius origine, ad Vincent. cap 11.
Matth. 6.
[5] Ser. 10. inter impress. Lou.
[6] Tract. 68. in Ioan.
Matth 13.
Matth. 6.

dicetur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, id est, qui regnum eratis, & non regnabatis; venite, regnate; vt quod in spe fueratis, etiam in re esse possitis. Hoc regnum Dei, regnumque cælorum adhuc ędificatur, adhuc fabricatur, adhuc paratur, adhuc congregatur. In illo erunt mansiones, sicut eas adhuc parat Dominus: in illo iam sunt, sicut prædestinauit iam Dominus. 7 Parat autem quodammodo mansiones, mansionibus parando mãsores. 8 Quia & si alius est alio fortior; alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior: in domo patris mei, inquit, mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, *& ab isto regno*, vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea, iubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus, & qui amplius laborarunt: quo vtique denario vita significatur æterna; vbi amplius nemo alio viuit, quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones, diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum: stella enim ab stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum. Tanquam stellæ, sancti diuersas mansiones, diuersas claritates tanquam in cælo sortiuntur in regno: sed propter vnum denarium nullus separatur à regno. Atque ita Deus erit omnia in omnibus; vt quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, vt quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cùm amat in altero, quod ipse nõ habet. Non erit itaque aliqua inuidia imparis charitatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis: 9 sicut nunc etiam non inuident Archãgelis Angeli cæteri, tamque nolit esse vnusquisque, quod non accepit, quamuis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus; quàm nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus, cùm membrum vtrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, vt hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.

Matth. 25. Ioan. 14. 7 Ibidem sup. 8 Tract. 67. in Ioannem. Matth. 20. Vide To.6.lib. de Virg.cap.26 1. Cor.15. 1. Ioan. 4. 9 Lib. 22 de ci. Dei, cap. 10.

CAP. XXVI.

Quod Christi regnum æternum sit futurum, hoc antea promisit Deus: & in quibus regnat, sedes eius sunt.

1 ERimus ergo omnes æquales *in hoc Christi regno*, tãquam primi nouissimi, & nouissimi primi, quia denarius ille vita æterna est; & in vita æterna omnes æquales erunt. Quãuis enim

1 Serm. 59. de verb. Domini

enim meritorum diuersitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit lögius, alteri breuius, quod pariter sempiternum est: quod non habet finem, nec tibi habebit, nec mihi. Alio modo ibi erit castitas coniugalis; alio modo ibi erit integritas virginalis. Alio modo ibi erit fructus boni operis; alio modo corona passionis. Illud alio modo; aliud alio modo: tamen quantum pertinet ad viuere in æternum; nec ille plus viuit illo, nec ille plus illo. Pariter enim sine fine viuunt, cùm in suis quisque claritatibus viuat: & sic ille denarius, vita æterna est. 2 *Quæ quidem vita æterna*, non propter ætatis, per multa sæcula, longitudinem, tamen quãdocunque finiendam; æternitatis nomen accepit: sed quemadmodum scriptum est in Euangelio, Regni eius non erit finis. Nec ita vt in aliis moriendo decedentibus, aliis succedentibus oriendo, species in ea perpetuitatis appareat: (sicut in arbore, quæ perenni fronde vestitur, eadem videtur viriditas permanere, dum labentibus & cadentibus foliis, subinde alia, quæ nascuntur, faciem conseruant opacitatis) sed omnes in ea ciues *& æterni, &* immortales erunt, adipiscentibus & hominibus, quod nũquam sancti angeli perdiderunt. Faciet hoc Deus omnipotentissimus eius conditor. Promisit enim, nec mentiri potest; & quibus fidem hinc quoque faceret, multa sua & non promissa, & promissa, *vt suprà ostendimus*, iam fecit. 3 Primum enim testamentum terram promiserat: & aliud præmium fuit, vel promissio sub lege positorum; aliud sub gratia. Terra Chananæorum Iudæis sub lege positis; regnũ cælorum Christianis sub gratia positis. Itaque quod pertinebat ad eos qui sub lege positi erãt, regnum transiit: regnum cælorum, quod pertinet *sanctis fidelibus* sub gratia positis, non transit. 4 In æternum quippe Christus regnabit in sanctis suis. Hoc promisit Deus, hoc dixit Deus: si parum est, hoc iurauit Deus. 5 Semel iuraui, inquit, in sancto meo, si Dauid mentiar. Expectas vt iterum iuret Deus? Quoties iuraturus est, si semel iurando mẽtitur? Vnam iurationem pro vita nostra habuit, qui pro nobis ad mortem Vnicum suum misit. Semel, inquit, iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar: Semen eius in æternum manebit. In æternum manet semen eius, quia nouit Dominus qui sunt eius. Et sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. Sedes eius sunt, quibus dominatur, in quibus sedet,

2 Lib. 22. de ci. Dei. cap. 1.
Lucæ 1.
3 In Psal. 44. ante medium
4 In Psal. 88. conc. 1. post initium.
5 Ibidem, cóc. 2. ab init.
2 Timoth. 2.

sedet, in quibus regnat. Si sedes eius, & membra eius: quia etiam membra nostra, sedes sunt capitis nostri. Vide quemadmodum cætera omnia membra nostra caput portent: caput autem ipsum super se non portat aliquid; sed ipsum portatur à cæteris membris nostris, quasi totum corpus hominis, sedes sit capitis. Sedes ergo eius omnes, in quibus regnat Deus. Sic erunt, inquit, omnes in conspectu meo, sicut sol: quia iusti fulgebunt in regno patris mei, sicut sol. Sed sol spiritaliter non corporaliter, sicut lucet iste de cælo, quem facit oriri super bonos & malos. Denique iste sol in conspectu est non solum hominum, verumetiam pecorũ, minutissimarumque muscarum. Quod enim quorumlibet vilissimorum animalium non videt solem istum? At verò de illo sole quid ait propriè? Sicut sol in conspectu meo: non in conspectu hominum, non in cõspectu carnis, non in conspectu mortalium animalium; sed in conspectu meo. *Hoc tempore gratiæ magnum Dei promissum, magnum Dei testamentum est.* Matth. 13. Matth. 5.

Cap. XXVII.

Cohæredes Christi nos fecit Deus: qui & ipsius hæreditas sumus, & ipse nostra.

1 MAnebit certè immobile hoc testamentum eius, quia ipse sibi præsciens prædestinauit hæredes, 2 vt sint cohæredes Christi. Tanta enim charitas est in illo hærede, vt voluerit habere cohæredes. Quis enim auarus homo velit habere cohæredes? Sed & qui inuenitur velle, diuidet cum eis hæreditatem; minus habens ipse diuidens, quàm si solus possideret. Hæreditas autem, in qua Christi cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum: sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus. 3 Multi denique homines, cùm filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi: & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filiũ vnicum, gaudebit de illo magis, quia solus omnia possessurus est; & non habebit, qui cum eo diuidat hæreditatem, vt pauperior remaneat. Non sic Deus. Vnicum eundem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, misit in hunc mundum, vt non esset vnicus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille vni-

1 Ibidem sup. 2 In Psal. 49. in initio. 3 Tract. 2. in 1câ ult. med.

vnigenitus: sed adoptati per gratiam ipsius. Non timuit ille habere cohæredes; quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint. Illi ipsi certè, illo ipso possidente, fiunt hæreditas ipsius, & ille vicissim fit hæreditas ipsorum. Audi quo-
Psalm. 2. modo fiant ipsi hæreditas ipsius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gētes hæreditatē tuam, & possessionem tuā terminos terræ. Ille quo-
Psalm. 15. modo fit hæreditas eorū? Dicit in Psalmo Dominus: Dominus
4 In Psal. 66. in fine. pars hæreditatis meæ, & calicis mei. 4 Ergo sic abundanter in nomine Christi benedixit nos Deus, vt filiis suis impleat vniuersam faciem terræ, adoptatis in regnum suum cohæredibus vnigeniti sui. Vnicum genuit, & vnū esse noluit: vnum genuit (inquam) & vnum eum noluit remanere: fecit ei fratres; & si non gignendo, tamē adoptando fecit ei cohæredes. *Magnúmne hoc diuinæ gratiæ beneficium est, quod Deus fecerit ex miseris pec-*
5 Tract. 8. in epist. Ioan. in fine. *catoribus tam beatos possessores hæreditatis filij sui?* 5 Ne simus ergo ingrati tantæ gratiæ, *& benedictioni* Dei, qui cùm haberet vnicum, noluit illum esse vnum, sed vt fratres haberet, adopta-
6 Ser. 10. inter impress. Loua. uit illi, qui cum illo possiderent vitam æternam. 6 Nunquid inuidit nobis? Parentes aliquando cùm genuerint vnū filium, duos, tres; iam timent generare, ne faciant alios mendicare. Sed quia talis est hæreditas, quam nobis Deus promittit, quam multi obtineant, & angustias nemo patiatur; ideo in suam fraternitatem vocauit populos gentium, & habet vnicus innume-
Matth. 6. rabiles fratres, qui dicunt, Pater noster, qui es in cælis. Dixerunt ista, qui fuerunt ante nos; dicturi sunt, qui erunt post nos. Vide quantos fratres habeat vnicus in sua gratia, communicās cum illis hæreditatem, pro quibus pertulit mortem; simulque
7 Serm. 61. de verb. Domini in medio. 7 cogita, quæ *quantaq́;* tibi hæreditas promittatur. Non talis, qualis in terra possideri à filiis non potest, nisi cùm mortui fuerint parentes eorum. Nullus enim in terra possidet hæreditatem patris, nisi mortui. Nos viuo patre nostro possidebimus quod donabit; quia pater noster mori non poterit. Plus addo, plus dico, & verum dico: ipse pater erit hæreditas nostra.
8 Serm. 21. de verbis Apost. in fine. 8 Sed non quomodo est hominis patris hæreditas. Relinquit enim filiis suis, non possidet cum filiis suis: & tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare quod non possit auferre. Moriēs enim tolleret secum, puto: quia si posset, nihil hîc filiis suis dimisisset. Hæredes verò Dei sic sunt, vt ipse
Psalm 15. Deus sit hæreditas nostra, cui dicit Psalmus: Dominus pars hære-

hæreditatis meæ. 9 Eligat nunc sibi partes genus humanum. 9 In Psal. 72. in fine.
Eligant alij militiam, alij aduocationem, alij diuersas variasq; doctrinas, alij negotiationem, alij agriculturam. Istas partes Psalm. 72.
sibi faciant de rebus humanis: clamet populus Dei, Pars mea Deus meus. Non ad tempus pars mea, sed pars mea Deus in sæcula. Aurum etsi semper in arca habeo, quid habeo? Deum si semper haberem in corde, quàm magnum bonum haberem! Huc accedit, quia Deus seipsum mihi promittit, & id me in æternum habiturum promittit. Tantum habeo, & nunquam non habeo. Magna felicitas, *magna beatitudo*, pars mea Deus. Quamdiu? In sæcula.

CAP. XXVIII.

In Christi hæreditate nihil est priuatum; ad quam qui velit pertingere, priuatis debet præferre communia.

1 QVi ergo semper vult esse *beatus*, *& in corde suo locum Deo facere*, non hæreat parti, & totum possidebit: illi inhæreat, qui totum creauit. 2 In cuius hæreditate, quod ipse nobis est, cùm ad fruendum se præbere dignabitur, nullas patiemur cum sanctis societatis angustias, dilectione rei nostræ, quasi priuatæ. Gloriosissima quippe illa ciuitas, adepta promissam hæreditatem, in qua nullus morietur, nullus orietur; non habebit ciues, qui singuli gaudeant suis rebus: quia Deus erit omnia in omnibus. Cuius societatem quisquis in hac peregrinatione fideliter & flagranter desiderauerit, *& in seipso locum Domino nunc fecerit*, assuescit priuatis præferre communia, non sua quærendo, sed quæ Iesu Christi. 3 Multi autem ne faciant locum Domino, sua quærunt, sua diligunt, potestate sua gaudent, priuatum suum concupiscunt. Qui autem vult facere locum Domino, non de priuato, sed de communi debet gaudere. Hoc illi, *quibus erat anima vna, & cor vnum*, fecerunt de rebus suis priuatis; fecerunt illas communes. Quod habebant suum, nunquid amiserunt? Si soli haberent, & vnusquisque suum haberet, hoc solum haberet, quod suum habebat. Cùm autem quod proprium erat, commune fecit, & ea quæ erant cæterorum, ipsius facta sunt; quia propter illa quæ singuli possidemus, existunt lites, inimicitiæ, discordiæ, bella inter homines, tumultus, dissensiones aduersum se; scandala, peccata, homicidia. Propter quæ? Propter ipsa quæ singuli possidemus. Nunquid propter ista quæ cõmuniter possidemus, litigamus?

1 In Psal. 48. post princip.
2 In Psal. 105. vltra mediũ.
1. Cor. 15.
3 In Psal. 131. post princip.
Actor. 4.

Aërem

Aërem istum communiter ducimus; solem communiter omnes videmus. Beati ergo qui sic faciunt locum Domino, vt priuato suo non gaudeant. Talem enim describebat iste, qui dicebat, 4 Magnificate Dominum mecum. Sed quis est iste qui exhortatur, vt magnificemus cùm illo Dominum? Quisquis est in corpore Christi, *& in quo est locus factus Christo*, ad hoc debet dare operam, vt magnificetur cum illo Dominus. Amat enim Dominum, quisquis est iste. Et quomodo illum amat? Vt non inuideat coamatori suo. Quisquis enim amat carnaliter, necesse est vt cũ zelo pestifero amet. Si quis fortè pro magno nudam videre potuerit, quam pestifero amore desiderauit; nunquid vult, vt videat illam & alius? Necesse est vt zelo & liuore saucietur, si & alius eam viderit. Et sic seruatur castitas, si aut ille videat, cui licet, & quilibet alius non videat; aut nec ipse. Verùm non sic est æterna Sapientia Dei, *quæ nobis ædificat æternam domum in regno Dei, quæ & locum in corde nostro præparat Deo*. Videbimus illam facie ad faciem: & omnes videbimus, & nemo se ibi zelabit. Omnibus se exhibet, & integra est, & casta est omnibus. Illi mutantur in eam, & ipsa in eos non mutatur. Ipsa est veritas, ipsa est Deus. Nunquid aliquádo audisti, quod potuerit commutari Deus noster? Superemin
ens omnibus veritas est, verbum Dei est, sapientia Dei est, per quem facta sunt omnia: habet amatores suos. Sed quid dicit amator ipsius? Magnificate Dominum mecum. Nolo solus magnificare Dominũ, nolo solus amare, nolo solus amplecti. Non enim si ego amplexus fuero, non habet alius, vbi manus ponat. Latitudo tanta est in ipsa Sapientia, vt omnes animæ amplectantur, & perfruantur. Et quid dicam de illis qui sic amant Deum, vt inuideant alijs? *Nónne quod priuatum est, quærunt? nónne oderunt quod commune est? Et quid magis Christianis cõmune esse debet, quàm desiderare vt omnes boni simul ament Deum, omnes beati simul magnificent Dominum? Hoc quicunque iam in Christi corpore existẽs fecerit, sine dubio ad Christi pertinet societatẽ, & ad regni illius perueniet hæreditatem.* Excitate ergo in vobis amorem, O *Christiani*, & clamate vnicuiq; vestrorum, & dicite, Magnificate Dominũ mecũ. Sit in vobis iste feruor. Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis iunguntur, & omnes qui sunt in domo vestra. Et sic 5 amate Deũ, vt nulli inuideatis Deum. Rapite eũ quotquot potestis; quotquot possessuri estis; non fit angustus. Nullos in eo limites, *nullas*

4 In Psal. 33. conc. 1. ante medium.

Psalm. 33.

5 In Psal. 72. in fine.

nullas partes facietis: totum singuli possidebitis, & totum omnes habebitis, *quantumlibet innumerabiliter multi fueritis.* 6 Regnum Dei crescente possessorum numero, non minuitur; quia non diuiditur. Vnicuique integrum est, quod concorditer habetur *& possidetur* à multis. 7 Non habebit denique istam possessionem, qui eam noluerit habere cōmunem: & tāto eam reperiet ampliorem, quanto amplius ibi potuerit amare consortem. Nullo enim modo fit minor, accedente seu permanēte consorte, possessio diuinæ bonitatis: possessio istius bonitatis tanto fit latior, quanto concordior eam indiuidua sociorum possidet charitas.

6 D. August. Ser. 18. de verb. Dom. in me.

7. Li. 15. de ci. Dei. cap. 5.

CAP. XXIX.

Nos Dei possessio sumus, & Deus nostra: sed Deo nos indigemus, non ipse nobis.

1 QVid ergo? nos possidebimus Deum, & ille non nos possidet? Vnde ergo Esaias, Domine posside nos? Possidet, & possidetur; & totum propter nos. 2 Et quomodo nobis solet responderi, quando de fundis, & de prædiis aliquibus amplis atque amœnissimis quærimus, Cuius est fundus iste? Illius: Cuius est iste? Illius: cuius est iste? Est quidam senator, & illud, aut aliud vocatur, cuius est ista possessio: & dicimus, Beatus ille homo: sic, si quæramus, cuius possessio est Deus iste? *quid diceretur, nisi*, est quædam beata gens, cuius est? Nam Dominus, Deus eorum est. Et non sicut senator ille possidet fundū suum, non autē possidetur à fundo suo: sic & Deus beatæ gētis huius. 3 Vt enim nos ex illo beati simus, possidetur à nobis: vt autem ille beatus sit, non possidet nos. Et possidet nos, & possidetur à nobis, non ob aliud, nisi vt beati simus. 4 Vnde & illud dicitur, Beatus populus, cuius est Dominus Deus ipsius. Quare, cuius est? Cuius enim non est? Omnium quidem Deus est: sed eorum Deus propriè dicitur, qui eum diligunt, *qui illum magnificant*, qui eum tenent, qui illum possident, qui illū colunt. Tanquam de domo ipsius magna, sunt familiæ eius redemptæ magno sanguine vnici filij. Quantum dedit nobis Deus, vt ipsius essemus, & ipse sit noster? 5 Nostérne Deus? Cuius enim non est Deus? Non planè omniū eodem modo. Noster magis; noster, qui viuimus ab illo tanquam de pane nostro. Ipse est hæreditas nostra, possessio nostra. An fortè temerè dicimus, faciendo nobis Deū possessionem, cùm sit Dominus, cùm sit creator? Non

1 In Psal. 32. conc. 2. vltra medium. Esaiæ 26.

2 Ibidem inf.

3 Ibidem sup.

4 In Psal. 55. vltra med. Vide in Psal. 19. in medio.

5 In Psal. 32. conc. 2. vltra medium. Vide To. 9. li. de ouibus cap. 16.

est

est ista temeritas, affectus est desiderij, & dulcedo spei. Dicat
Psalm. 30. Psalm. 34. anima; omnino secura dicat: Deus meus es tu, qui dicit animæ nostræ: Salus tua ego sum. Dicat; secura dicat; non faciet iniuriam, cùm hoc dixerit: imò faciet, si non dixerit. 6 Iam enim commēdauimus, & Deū esse possessionem nostram, & nos esse possessionem Dei. 7 Possideat itaque te Deus, ô anima, vt possideas illum: eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet, vt prosit: possidetur, vt prosit. Nunquid vt *tuo seruitio, aut cura, aut cultu* aliquid ei tu prosis? Reuera 8 nostra seruitute non indiget: nos verò dominatione illius indigemus. Et ideo verus ac solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram vtilitatem seruimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cùm per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua & ipse seruiret. 9 Nō ergo nobis indiget, qui solus & verus est Dominus. Nec nobis tantùm, sed vsque ad altissima, quæ fecit magnalia: nec ipsis cælestibus, nec supercælestibus, nec cælo cæli, quod dicitur, indiget Deus: vt aut melior sit, aut potētior, aut beatior. Quid enim esset, quicquid aliud est, nisi ipse fecisset? Quo ergo eget abs te, qui erat ante te, & tam potens erat, vt cùm tu nihil esses, faceret te? Nunquid quomodo parentes faciunt filios? Per concupiscentiam carnalem generant potius quàm creant. Istis enim generātibus Deus creat. Nam si tu ita creas, dic, quid tua mulier paritura est? Quid dicā, Tu dic? Ipsa dicat, quę, quod portat, ignorat. Generant tamē homines filios, & ad solatium suum, & ad subsidiū senectutis. Nunquid ideo creauit hæc omnia Deus, à quibus senex adiuuaretur? 10 Et quid ait Psalmus? Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorū non eges. Tu eges bono serui tui: eget seruus bono tuo, vt pascas illū. Eges & tu bono serui tui, vt adiuuet te. Non tibi potes aquam implere; non tibi potes coquere; non tibi potes ante equum currere: iumentum tuum non potes curare. Vides quia indiges bono serui tui: obsequio illius indiges; *cura illius indiges*. Non es verus dominus, quādo indiges inferiore. Ille est verus Dominus, qui nihil à nobis quærit: & væ nobis, si eum non quæramus. 11 Hinc & alio loco, Si esuriero, inquit, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Tanquam diceret: vtique si mihi necessaria essent, non à te peterem, quæ *creata à me*, habeo in potestate mea.

6 In Psal. 36. conc. 1. in medio.
7 In Psal. 34. conc. 1. non procul à fine.
8 To. 3. li. 8 de Genes. ad lit. cap. 11.
9 In Psal. 70. conc. 2 in medio.
10 Tract. 8. in epist. Ioan. Psalm. 15.
11 Lib. 10. de ciu. Dei. ca. 5. Psalm. 49.

CAP.

CAP. XXX.

Sancti, quos Deus inhabitat, templum eius sunt, & cælum.

1 QVis autem ita desipiat, vt existimet aliquibus vsibus Dei, 1 Ibidem.
ista quæ præstamus aliquando Deo, & in eius cultum referimus, vtile necessaria? Quod cùm multis locis diuina scriptura testetur, ne longum faciamus, breue illud iam de Psalmo commemoratum, suffecerit: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non solum igitur pecore, *quod offerri Deo sub lege consueuerat*, vel qualibet alia re corruptibili atque terrena; sed ne ipsa quidem iustitia hominis, Deum egere credendum est; totumque, quo rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit; aut luci, si viderit. 2 Cùm ergo nobis inspirat Deus, & docet nos quomodo colendus sit; non solùm hoc nulla sua indigentia facit, sed nostra maxima vtilitate. *Quos vtique ideo sua misericordia sic præuenit docendo, & illuminando, vt nos velut quoddam suum templum & cælum, vberiori gratia sanctificet inhabitando, & cõseruando.* 3 Huius enim templum simul omnes, & singuli templa sumus: quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quàm in singulis maior, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. *Quanta ista dignatio? quantum hoc diuinæ, clementiæ ne dicam, an potentiæ miraculum est? Figmentum luti, templum repentè fit Dei.* 4 Sed omnes adhuc infirmi, secundum fidem ambulantes, secundum fidem sunt templum Dei: erunt enim aliquando & secundum speciem templum Dei. Quamdiu sunt templum secundum fidem? Quamdiu in ipsis Christus per fidem habitat: sicut dicit Apostolus habitare Christum per fidem in cordibus nostris. 5 Sed dicet aliquis: Et antequam faceret Deus sanctos, vbi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus. Et quando dignatur habitare in sanctis, non sic sunt sancti, *templum Dei, siue* Dei domus, vt ipsa subtracta, cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in sanctis. Tu habitas in domo; si subtracta fuerit, cadis. Deus autem sic habitat in sanctis, vt si ipse discesserit, ipsi cadant. Quicunque ergo sic portat Deum, vt sit templum Dei; non putet sic à se portari Deum, vt terreat Deum, si se subducat. Væ illi, si se sub-

Psalm. 15.
2 To. 2 epist. 49. quæst. 13.
3 Li. 10. de ciu. Dei, cap. 4.
4 In Psal. 122. in princip.
Ephes. 3.
5 Ibidē infra.
Vide Tract. 8. in epist. Ioan.

X

subtraxerit Deus; quia ipse cadet: nam Deus in se permanet. in quibus nos habitamus, ipsa nos continent: in quibus Deus habitat, ipse illos continet. Iam vide quantum intersit inter nostram habitationem, & Dei: vt intelligas, quia Deus nec cælo indiget, vbi habitet: sed cælum ipso indiget, vt ab ipso inhabitetur. 6 Quid est ergo cælum? Omnes sanctæ animæ, omnes iustæ animæ. Nam & Apostoli, quamuis in terra essent carne, cælum erant; quia in illis Dominus sedens, per totum mundum ambulabat. 7 Et tu si vis, cælum eris. Si vis esse cælum, purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiscentias non habueris, & non frustra responderis, sursum te habere cor; cælum eris. Si resurrexistis cum Christo, (fidelibus Apostolus loquitur) quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Cœpisti sapere quæ sursum sunt, & non quæ super terram; nónne factus es cælum? Carnem portas, & corde iam sublime cælum es. 8 Non enim hoc cælum, quod oculis his nostris suspicimus, valde preciosum est Deo. Cælum Dei, animæ sanctæ sunt; cælum Dei, mentes angelorum sunt; & omnes mentes seruorum eius. *Cælum ergo Dei est, quod & templum Dei*. 9 Quapropter si in templo suo habitat Deus, & sancti templum eius sunt, rectè dicitur, Pater noster, qui es in cælis; qui es in sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, vt spiritaliter tantum interesse videatur inter iustos, *quos ipse Deus*, & peccatores, *quos Diabolus inhabitat*: quantum corporaliter inter cælum & terram; *inter templum & stabulum*. 10 Vnde fatendum est, vbique quidem esse Deum per diuinitatis præsentiam, sed non vbique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoscitur, non dicimus, Pater noster, qui es vbique; cùm & hoc verùm sit: sed, Pater noster, qui es in cælis: vt templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos ipsi esse debemus; & inquantum sumus, intantum ad eius societatem, & adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei, nondum factus æqualis angelis eius, adhuc in ista peregrinatione dicitur templum eius; quanto magis est templum eius in cælis, vbi est populus angelorum, quibus aggregandi & coæquandi sumus, cùm, finita peregrinatione, quod promissum est, sumpserimus?

6 In Psal. 122, post princip. Vide in Psal. 32. conc. 2.
7 In Psal. 96. in medio.
Coloss. 3.
8 In Psal. 98.
9 To. 4. li. 2. de Ser. Domini in monte ante medium
10. To. 2. epi. 57 ante medium
Matth. 6.

CAP.

CAP. XXXI.

In cælis est patria nostra, ad quam peregrinantes & gementes anhelare debemus.

1 ILli verò cæli superiores, ignoti nobis in terra laborãtibus, 1 In Psal. 32.
& per humanas coniecturas vtcunque ista quærentibus, cóc. 2. in med.
quomodo sint super inuicem, vel quot sint, vel quibus modis distincti sint, quibus incolis impleti sint, qua dispositione regantur, quomodo ibi vnus quidam hymnus indeficiens concinens, ab omnibus prædicet Deum; multum est ad nos inuènire: satagimus tamen peruenire. Ibi est enim patria nostra, quam longa fortasse peregrinatione obliti sumus. Vox enim nostra est in Psalmo, Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta est. Psalm. 119. Ergo de illis cælis & mihi difficile est disputare, si tamen non impossibile; & vobis, *qui ista legitis*, intelligere. Certè qui me in his rebus intellectu præuenit, fruatur quò præcessit; & oret pro me, vt sequar ego. Interim 2 audiamus, 2 In Psal. 64. non procul à princip. & desideremus videre, vnde ciues simus nos, *qui hic peregrinamur, &* quomodo in nobis reformetur amor patriæ, & ciuitatis nostræ, quã diuturna peregrinatione obliti fueramus. Misit quippe inde ad nos epistolas pater noster; ministrauit nobis scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium, quia peregrinationem nostram diligendo, ad hostes faciem posueramus, & dorsum ad patriam. Quid ergo inde in quodam Psalmo cantatur? Te decet hymnus Deus in Sion, inquit Propheta. Psalm. 64. Patria illa est Sion. Ipsa est Hierusalem, quæ Sion; & huius nominis interpretationem nosse debemus. Sicut Hierusalem interpretatur visio pacis; ita Sion speculatio, id est, visio & contemplatio. Nescio quod nobis ibi magnum spectaculum promittitur, & hoc ipse Deus est, qui condidit ciuitatem. Pulchra & decora ciuitas; quàm pulchriorem habet conditorem? Te decet hymnus Deus, inquit. Sed vbi? In Sion: in Babylone non decet. Etenim quisque cùm cœperit innouari, *& de sua peregrinatione dolere, & pœnitere,* iam corde in Hierusalem cantat: dicente Apostolo, Conuersatio nostra in cælis est. Philip. 3. In carne enim ambulantes, inquit, non secundum carnem militamus. 2 Corint. 10. Iam desiderio ibi sumus, cùm spem in illam terram, quasi ancoram præmisimus, ne isto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de naui, quæ in anchoris est, rectè dicimus, quòd iam in terra sit, adhuc tamen

fluctuat, sed in terra quodam modo educta est contra ventos & contra tempestates; sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa ciuitate Hierusalem, facit nos nõ abripi in saxa.[3] Modò ergo quid dicit Apostolus? Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Nondum sumus in patria. Quando erimus in patria? Quando triumphabimus deuicto inimico, & insidiatore diabolo. 4 Inimicus ille, qui modò inuidet ne ad illam patriam veniamus, illic cuiquam insidiari non poterit: quia nec esse ibi permittetur. Si enim modò excluditur de corde credentium, quomodo non excludetur de ciuitate viuentium? Quid erit? quid erit, rogo, esse in illa ciuitate, de qua loqui, tantum gaudium est? Huic futuræ vitæ corda præparare debemus. Quisquis ei cor præparauerit, totam istam cõtemnit. *Quare istam contemnit? Quia dolens de præsenti peregrinatione, felicitatem futuram auidus perquirit.* 5 Quis ergo festinat atque optat ad patriam remeare, & illam speciem, quæ est facie ad faciem, cõtemplari; nisi quem peregrinationis suæ pœnituerit? Ex quo dolore pœnitentiæ etiam vox illa miserabilis erumpit, & sonat: Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta est. Et ne putes nondum fidelem ista loqui, vide, quid sequatur: Inhabitaui cum tabernaculis Cedar: cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquerer eis, expugnabant me valde. Non solum hominis fidelis, sed etiam Euangelistæ firmissimi, & martyris fortissimi hæc verba sunt, *cùm Apostolo dicentis, Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*[6] Quia quamdiu in corpore (inquit) sumus, peregrinamur à Domino. Quodlibet ergo hîc abundet, nondum sumus in illa patria, quò redire festinamus. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio. Si amara est peregrinatio, tota die tribulatio. Quando non est tribulatio? Quando in patria delectatio.

3 In Psal. 148. ante medium
2 Cor. 5.
4 In Psal 147. post princip.
5 D. August. Hom 50. inter quinq. ex qua hûc locũ citat Beda.
2 Cor. 5
Psalm. 119.
Hebr. 13.
6 In Psal 85. ante medium

CAP. XXXII.

Qui cælestem patriam desiderat, cognoscit se peregrinum, & positum in magna tribulatione.

1 QVare autem nondum sum ibi? Quia incolatus meus, inquit ille, longinquus factus est. Aliquando cùm peregrinatur homo, inter meliores viuit, quàm in patria sua fortè viueret; sed non sic est, quando de illa Hierusalem cælesti pere-

1 In Psal. 119. in medio.

peregrinamur. Mutat enim homo patriam,& aliquando in peregrinatione illi bene est. Inuenit amicos fideles peregrinando, quos in patria inuenire non potuit. Inimicos habuit, vt de patria pelleretur; & cùm peregrinaretur, inuenit quod non habebat in patria. Non sic est patria illa Hierusalem, vbi omnes boni. Quicunque inde peregrinatur, inter malos est; nec recedere à malis potest, nisi cùm redierit ad societatem angelorum, vt ibi sit, vnde peregrinatur. Qualis patria? Magna patria,& miseri sunt peregrini ab illa patria. Sed quod ait iste, Longinqua facta est peregrinatio mea, maximè eorum vox est, qui laborant in hac terra. 2 Nam ipsa vita humana, quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, periculis, ærumnis, tentationibus. Noli proinde seduci gaudio rerum humanarum; flenda in rebus humanis aduerte. Poterat ridere prius puer qui nascitur. Quare à fletu incipit viuere? Ridere nondum nouit, quare plorare iam nouit? Quia cœpit ire in istam vitam. 3 Habes scriptum in libro Iob, Nunquid non tentatio est vita humana super terram? Nunquid dixit, Tentatur vita humana super terram? Ipsa vita tentatio est. Si ergo tentatio, vtique tribulatio. Quomodo enim non sit tribulatio, vita ista? Quomodo non sit tribulatio, quæ dicta est tota tentatio? 4 Nō norunt omnes hanc tribulationem, de qua dicitur, Tribulationem & dolorem inueni. Quid enim magnum si tribulatio te inueniat? Si aliquid pateris, tu inuenis tribulationem? Et quis est, inquis, qui inueniat tribulationem? Aut quis illam vel quærat? In medio tribulationis es,& nescis? Vita ista parua tribulatio est? Si non est tribulatio, non est peregrinatio. Si autem peregrinatio est; aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur, non se esse cum eo quod desiderat? Sed vnde tibi non videtur ista tribulatio? Quia non amas. Ama alteram vitam,& videbis quia ista vita tribulatio est: quacunque felicitate & prosperitate fulgeat, quibuslibet deliciis abundet atque circumfloreat. Quando nondum est illud gaudium sine vlla tentatione certissimum, quod nobis in fine seruat Deus, sine dubio tribulatio est; *quia & peregrinatio.* 5 Si à patre homine peregrineris, miser esses: à Domino peregrinaris,& felix es? Qui autem intelligunt in qualibet circumfluentia copiarum & voluptatum, quamuis ad nutum cuncta deseruiāt, quamuis nihil molestum irrepat, nihil aduersum terreat; tamen in malo se esse, quamdiu

Psalm. 119.

2 In Psal. 125. in medio.

3 In Psal. 76. nō procul ab initio.

4 In Psal. 137. vltra mediū. Psalm. 114.

5 In Psal. 85. post initium.

peregrinantur à Domino: acutissimo oculo tribulationem & dolorem inuenerunt. 6 Hoc enim ipsum, quod cum Deo nondum sumus; hoc ipsum, quo inter tentationes molestiásque versamur, quod sine timore esse non possumus; maxima tribulatio est. Non enim est illa securitas, quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ qui non inuenerit, ad patriam redire non cogitat. Certè modò facimus bona opera, quando porrigimus panem esurienti, domum peregrino, & cætera: tribulatio est & hæc. Inuenimus enim miseros, super quos misericordiam facimus. Et si miserorum miseria facit nos compatientes; quanto melius ibi iam essemus, vbi non inuenis esurientem, quem pascas; vbi non inuenis peregrinum, quem suscipias; non nudum, quẽ vestias; non ægrum, quem visites; non litigantem, quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt.

6 In Psal. 49. in medio.

Cap. XXXIII.

In cælesti patria, bona sunt non mixta malis, ad quæ capessenda sinus cordis nostri extendendus & purgandus est.

1 QVid ergo dicis? In illa vita nulla sunt bona? Imò verò ibi sola sunt bona, non malis mixta bona; securitates, in quibus gaudeas, quantum vis; & nemo dicat tibi, Tempera te. Hîc autem de bonis terrenis gaudere, molestum est, & periculosum nimis: ne sic gaudeas, vt hæreas, & gaudendo malè pereas. Nam vnde Deus miscet tribulationes gaudiis terrenis, nisi, vt *hic peregrinando* tribulationem sentientes, & amaritudinem; amare discamus *cælestem patriam, & incipiamus* æternam desiderare dulcedinem? *Quid enim habet non iniucundum & insuaue ista peregrinatio? quid non habebit lætissimum & securissimum gloriosa patria possessio?* 2 Vnde adhuc gemimus in peregrinatione hac, exultabimus autem in patria. Qui autem non gemit peregrinus, non gaudebit ciuis: quia desiderium non est in illo. 3 O si cor esset qualitercunque suspirãs in illam ineffabilem gloriam! ô si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus; & sæculum non amaremus, & ad eum qui nos vocauit, pia mente perpetuo pulsaremus! Desiderium, sinus est cordis nostri. 4 Quod autem desideramus, nondum videmus, sed desiderando capaces efficimur: vt, cùm venerit,

1 In Psal. 137. in medio.
2 In Psal. 148. ante medium
3 Tract. 40. in Ioan. prope finem.
4 Tract. 4. in epist. Ioan. in medio.

venerit quod videamus, impleamur. Sicuti enim, si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est, quod dabitur; extendis sinum vel sacci, vel vtris, vel alicuius rei; nosti quantum missurus es; & si vides quia angustus est sinus, extendendo facis capaciorem: 5 Sic extendat, *oportet*, anima nostra cupiditatem suam, & sinu capaciore quærat comprehendere, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Desiderari quidem potest, concupisci potest, suspirari in illud potest: dignè cogitari, & verbis explicari non potest; *sed solum extensiori ac sanctiori comprehendi potest desiderio.* 6 Tantum autem nos exercet illud sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputauerimus ab amore sæculi. Iam necesse est exinaniri vas, quod aliquando implendum est. Bono implendus es, ô homo; funde malum. Puta quia melle te vult implere Deus. Si aceto plenus es; vbi mel pones? Fundendum est, quod portat vas. Mundandum est ipsum vas. Mundandum est, etsi cum labore, cum tritura: vt fiat aptum cuidam rei. Mel dicamus, aurum dicamus, vinum dicamus: quicquid dicamus, quod dici non potest, quicquid volumus dicere, Deus vocatur. Et quid diximus, Deus? quid diximus? Duæ istæ syllabæ sunt totum quod expectamus. Quicquid ergo dicere valuimus, infra est: extendamus nos in eum, vt, cùm venerit, impleat. Similes enim ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.

5 Tract. 34. in Ioan. in med. 1 Corinth. 2.

6 Tract. 4. in epist. Ioan. in medio.

1 Ioan. 3.

Cap. XXXIIII.

Inquilini hîc sumus: ciues erimus in illa ciuitate, ad quam rex eius, & per literas suas, & per seruos suos, & per seipsum nos inuitat.

1 PAucis interim diebus hîc viuimus, & trãsimus. Inquilini enim hîc sumus: habitatores in cælo erimus. Ibi es inquilinus, vnde auditurus es vocem Domini Dei tui, dicentis, Migra. Nam de domo illa æterna in cælis, nemo te iubebit migrare. Hîc ergo inquilinus. Vnde etiam dicitur in Psalmo, Inquilinus ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Hîc ergo inquilini sumus: ibi Dominus nobis mansiones dabit æternas. Multæ, inquit, mansiones sunt apud patrem meum. Mansiones illas non tanquam inquilinis dabit, sed tanquam ciuibus in æternum mansuris. 2 Ibi sunt & angeli ciues

1 In Psal. 60. in medio.

Psalm. 38.

Ioan 14.

2 In Psal. 98. conc 2. post princip.

 nostri.

nostri. Sed quia nos peregrinamur, laboramus: illi autem in ciuitate expectant aduentum nostrum. Et hæ de illa ciuitate, vnde peregrinamur, literæ nobis venerũt: ipsæ sunt scripturæ, quæ nos hortantur vt bene viuamus. Quid dicam venisse literas? Ipse rex descendit, & factus est nobis via in peregrinatione, vt in illo ambulantes, nec erremus, nec deficiamus, nec in latrocinantes incidamus, nec in laqueos irruamus, qui ponuntur iuxta viam, [3] quæ omnino quasi dumetis & sentibus intercluſa, non inueniebatur. Ideo rex ipsius ciuitatis se fecit viam, vt ad illam ciuitatem perueniremus. Ambulantes ergo in Christo, & adhuc peregrinantes, donec perueniamus, & suspirantes desiderio cuiusdam ineffabilis quietis, quæ habitat in ciuitate illa (de qua quiete dictum est, hoc nobis esse promissum, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit) [4] non nos auertat inimicus à via, vt qui colligit nos tanquam pullos suos sub alis suis, foueat nos: nec aberremus ab alis eius, ne accipiter æthereus capiat implumes adhuc pullos. [5] Finita verò via habitabimus in illa ciuitate, quæ nunquam ruitura est; quia & Dominus habitat in ea, & custodit eam, quæ est visio pacis æterna Hierusalem, pacis illius, cui laudandæ lingua non sufficit; vbi nullũ hostem iam sentiemus, nec in Ecclesia, nec extra Ecclesiam, nec in carne nostra, nec in cogitatione nostra. Absorbebitur mors in victoriam, & vacabimus ad videndum Deum in pace, ciues Hierusalem facti ciuitatis Dei. [6] Inuenimus autem & socios in ista peregrinatione terræ, qui iam viderunt ipsam ciuitatem, & inuitant nos, vt curramus ad illam. Ad hos gaudet & iste qui dicit, Iocundatus sum in his, qui dixerunt mihi, in domum Domini ibimus. Quomodo (si qua fortè festiuitas martyrum, & locus aliquis sanctus nominatur, quò certo die turbæ confluunt ad celebrandam solemnitatem) illæ turbæ se exuscitant, quomodo se hortantur, & dicũt, eamus, eamus! Et quærunt, quò eamus? Et dicitur, ad illum locum, ad sanctũ locum. Inuicem sibi loquuntur, & tanquam incensi singillatim faciunt vnam flammam: & ipsa vna flamma facta ex collocutione sese accedentium, rapit illos ad locum sanctum: & cogitatio sancta sanctificat eos. Si ergo ad locum temporalem sic rapit amor sanctus; qualis amor debet esse, qui concordes rapit in cælum, & dicentes sibi, In domum Domini ibimus? Ergo curramus, curramus; quia in domum Domini ibimus. Curramus, & non fatigemur; quia

[3] In Psal. 86. in initio.
1 Cor. 2.
[4] In Psal. 88. in fine. Matth. 23.
[5] In Psal. 134. in fine.
[6] In Psal. 121. in princip.
Psal. 121.

illuc perueniemus, vbi non lassabimur. Curramus in domum Domini; iocundetur anima nostra in his qui ea nobis dicunt. Qui enim ea nobis dicunt, priores viderunt ipsam patriam, de longinquo clamantes ad posteriores, In domum Domini ibimus. Viderunt illam *Propheta*, *viderunt* Apostoli, & dixerunt nobis, Currite, ambulate, sequimini: in domum Domini ibimus. In illa domo Domini laudatur qui condidit domum. Ipse est deliciæ omnium habitantium in domo. Ipse sola spes hic, & res ibi. Ergo qui currunt, quid debent cogitare? Quasi ibi iam sint, & ibi stent. Magnum est enim ibi stare inter angelos, & non deficere. Qui enim inde lapsus est, in veritate non stetit. Quicunque non sunt lapsi, in veritate stant: & ille stat, qui Deo fruitur: qui autem se frui voluerit, cadet. Quis autem se frui [illegible]? Qui superbus est. Ideo ille qui semper stare volebat, In lumine tuo, inquit, videbimus lumen: non in lumine Psal.35. meo. Et, Apud te, inquit, est fons vitæ: non apud me. Et quid adiecit? Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatorum non dimoueant me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare. Si ergo illi ideo non potuerunt stare, quia superbi fuerunt: humiliter tu ascende, vt dicas, Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Hierusalem. Psalm.121. Cogita qualis ibi futurus sis. Et quamuis adhuc peregrinus in via sis, hoc tibi pone ante oculos, quasi ibi stes, quasi iam inter angelos indeficiēs gaudeas; & fiat in te, quod dictum est, Beati Psalm.83. qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. 7 Etenim in cælo angeli laudant Deum, videntes ipsam speciem veritatis, sine vlla caligine visionis, sine interpolatione aliqua falsitatis: vident, diligūt, laudant, nō fatigantur. 7 In Psal.54. in fine.

CAP. XXXV.

Quantum distet inter hanc vitam & futuram: & de futura melius dicitur quid ibi non sit, quàm quid ibi sit.

1 QVæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sunt gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? 2 Non enim qualis est ista vita, ita inuenietur & illa. Quantum autem distat inter hanc & illam? 1 Ser 181. de Temp. post medium. 2 Tom.6. In orat. contra Iudæos, Pagan. & Arria. ca. 21.

Hîc falsitas, ibi veritas. Hîc perturbatio, illic fida possessio. Hîc pessima amaritudo, illic sempiterna dilectio. Hîc periculosa elatio, illic est secura exultatio. Hîc timetur, ne qui erat amicus, efficiatur subitò inimicus: illic semper, qui est, manet amicus: quia nullus illuc admittitur inimicus. Hîc quicquid est bonum, timetur ne pereat: illic quicquid acceperis, ab illo seruabitur, qui fecit, vt ne tu transeas, & quod acceperis, non amittas. Hîc mors, ibi vita. Hic omnia quæ creauit Deus; illic ipse pro omnibus, & in omnibus Deus, & quæ Deo digna dicuntur; si tamen aliqua dicuntur. Non enim sufficit humana lingua laudare, quod sensus mortalium non valet comprehendere. Ibi videbimus, quod oculus non vidit: ibi audiemus, quod auris hic non audiuit. Ibi intelligemus, quod cor humanum comprehendere hîc non valebat: videntes, [illegible] tesque exultabimus inenarrabili gaudio. Et quale gaudium erit, vbi nullus erit timor? Quale gaudium erit, cùm te videris esse socium angelorum, participem regni cælorum, regnare cùm rege, nihil concupiscēdo omnia possidere; sine auaritia diuitem, sine pecunia administrantem, sine successore iudicantem, sine metu barbarorum regnantem, sine morte, æterna vita viuentem? *Quod illud gaudium erit? Denique quid ibi non erit?* [3] Faciliùs enim possumus dicere, in illa vita æterna quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla molestia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit. Quid autem ibi sit, vis nosse? Hæc nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc ascendat. Cor ibi habeamus, & non sine causa audimus, Sursum corda. Leuemus cor sursum, ne putrescat in terra: quoniam placet nobis, quod ibi agunt angeli. *Quid agunt angeli? Laudant Deum. Et nos modò eum laudamus, sed imperfectius.* [4] Perficietur autem in nobis laudatio Dei, cùm ad illam ciuitatem venerimus, quando effecti fuerimus æquales angelis Dei, quando nos nulla corporalis necessitas vlla ex parte solicitabit; non fames, non sitis interpellabit, non æstus fatigabit, non frigus constringet, non febris deiiciet, non mors finiet. Sed nos ab illa ciuitate adhuc peregrinamur, peccato expulsi, ne ibi remaneremus; & mortalitate prægrauati, ne illò rediremus. Respexit tamen Deus pere-

Marginal notes: [a] Cor. 2. — [3] To. 9. li. 3. de Symb cap. 11. Vide Ser. 64. de verbis Dom. & Ser. 126. de diuers. in ædit. Plant. — [b] Cor. 2. — [4] In Psal. 146. ante medium

peregrinationem nostram, & ille qui ædificat Hierusalem, restituit lapsam partem. Vnde restituit lapsam partem? Dispersiones Israëlis colligens. 5 Quid est Israël? Videns Deum. Vbi videbit Deum? In pace. In qua pace? Pace Hierusalem. Quia posuit, inquit, fines tuos pacem. Ibi laudabimus; omnes vnus, in vno, ad vnum erimus: quia deinceps multi dispersi non erimus. *Sicut vna ciuitas erit, & vna domus, & vnum templum: sic omnes qui ibi erunt, vnus erunt: quia & modò illi ipsi vna ciuitas, vna domus, & templum sunt.* Quæ namque domus Dei, ipsa & ciuitas. Domus enim Dei, populus Dei, quia domus Dei, templum Dei. Et quid dicit Apostolus? Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 6 Omnis ergo numerus fidelium sanctorum ex hominibus commutandorum, vt fiant æquales angelis Dei, adiuncti etiam ipsis angelis, qui modò non peregrinantur, sed expectant nos, quando à peregrinatione redeamus; omnes simul vnam domum Dei faciunt, & vnam ciuitatem. Ipsa est Hierusalem.

5 In Psal. 147. in fine.
1 Cor. 3.
6 In Psal. 126. à princip.

Cap. XXXVI.

In terra tabernaculum est; in cælo domus, in qua semper manebimus.

1 IN istis terrenis ciuitatibus alia est fabrica ædificiorum, alij sunt ciues inhabitantes in fabrica. Illa verò ciuitas Hierusalem, ciuibus suis ædificatur: ipsi ibi sunt lapides, qui sunt ciues. Lapides enim sunt viui. Et vos, inquit, tanquam lapides viui ædificamini in domum spiritualem. *Magna domus illa, sed maior Dominus, qui ædificat domum, de quo dicitur, Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* 2 Domus autem ea dicitur, vbi semper manebimus. In ista peregrinatione dicitur quidem domus: sed propriè tabernaculum appellatur. Tabernaculum peregrinantium, & quodammodo militantium, & aduersus hostes pugnantium est. Ergo hîc tabernaculum, ibi domus. Sed & hoc tabernaculum interdum per abusionem vicinitatis, dicitur domus: & domus aliquando secundum eundem modum, dicitur tabernaculum; propriè tamẽ illa domus est, hoc tabernaculum. 3 Quamdiu ergo habemus hostem cum quo pugnemus, tabernaculum Deo facimus. Cùm autem transierit tempus pugnæ, & venerit pax illa, quæ præcellit omnem intellectum: (quantumcunque

1 In Psal. 86. in medio.
1 Petr. 2.
Psalm. 126.
2 In Psal. 26. con. 2. ab init. Vide Tract. 18 in Ioan.
3 In Psal. 131. in medio.

enim

enim cogitaueris de pace illa, minus eam capit animus, adhuc in ista corporis grauedine constitutus) cùm venerit illa pax & patria, iam domus erit. Non procedemus ad pugnandum, sed permanebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo? Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. In tabernaculo adhuc gemimus: in domo laudabimus. Quare? Quia gemitus est peregrinantium; laudatio iam in patria, *& in domo*, commanentium. Qui in illam intrant, vt inhabitent, ipsi sunt, qui intrant, vt inhabitentur. In domum tuam vt inhabites, intras: in domum Dei, vt inhabiteris. Est enim melior Dominus, qui cùm te cœperit inhabitare, beatum te facit. Nam si tu ab illo nō inhabiteris, miser es.

Psalm. 83.

Cap. XXXVII.

Qualis pax ista erit, quæ exuperat omnem sensum & intellectum.

Diximus, quinam sint, qui in hoc mundo peregrinantur, & qui aduersus hostem in tabernaculo militant: quidque facturi sint in illa æterna Dei domo, qui Christi cohæredes sunt, & angelorum ciues: nunc etiam de bono pacis istius domus tractandum nobis est. [1] O pax illa, quam videbimus apud Deum! ô illa sancta æqualitas angelorum! ô illa visio, & spectaculum pulchrum! [2] Multum laborat præliator hîc, tenens concupiscentem aduersus spiritum carnem: tunc erit planè quod vis, cùm absorpta fuerit mors in victoriam. Ibi dicetur, Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Non enim relinquetur, nec in animo, nec in corpore, quod rebellet aduersus amorem Dei. Plena victoria, plena pax erit. [3] Quando autem pax erit plena in vno homine, tunc erit plena in omnibus ciuibus Hierusalem. Quando erit plena pax? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionē, & mortale hoc induerit immortalitatem: tunc plena erit pax, tunc firma pax. Nihil litigabit aduersus animam in hominem, non ipsa aduersum se ex quadam parte saucia; non carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non vlla inopia, non prouocatio rixæ, non certè ipsa solicita cautela, & vitandi inimici, & diligendi. [4] Quando ergo absorpta fuerit mors in victoriam, non erunt ista; & erit pax plena & æterna. Erimus in quadam ciuitate, quando de illa loquor, finire nolo; & maximè quando scandala crebrescunt.

[1] In Psal. 136. ante medium

[2] In Psal. 143. in medio.

Osee 13

1 Corint. 15.

[3] In Psal. 147. vltra medium

[4] In Psal. 84. post medium

Quia

Quis non desideret illam pacem, vnde amicus non exit, quò inimicus non intrat? Vbi nullus tentator est, nullus seditiosus, nullus diuidens populum Dei, nullus fatigans Ecclesiam in ministerio diaboli, quando ipse princeps ipsorum mittitur in ignem æternum, & hi cum illo, quicunque illi consentiunt, & recedere ab eo nolunt. Erit ergo pax purgata in filiis Dei, omnibus amantibus se, videntibus se plenos Deo, cùm erit Deus omnia in omnibus. Commune spectaculū habebimus Deum, communem possessionem habebimus Deum, communem pacem habebimus Deum. Quicquid enim est, quod modò nobis dat, ipse nobis erit pro omnibus quæ dat: ipse erit perfecta & plena pax, *cùm tradiderit regnum Deo & Patri.* Hanc volebat audire ille qui ait, Audiā quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos. *Super quos sanctos? Nisi quibus dicitur, Et ego disponam vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum ut edatis & bibatis super mensam meam.* 5 Quæ verò erunt deliciæ ipsorum? Et delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur hîc impius in multitudine auri, in multitudine argēti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò opum diuersarum, vinolentiæ, lautissimorum & luxuriosorum conuiuiorū; quæ erunt autem, ô amator Dei, deliciæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quicquid desideras, pax tibi erit. Quia hîc aurum quod est, non potest tibi esse argentum: quod vinum est, non potest tibi esse panis: quod tibi lux est, non potest esse potus: Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne sis cæcus; fulcieris ab eo, ne deficias; *pacificaberis in eo, ne litiges:* possidebit te totum integrum, totus integer. Angustias ibi non patieris cum eo, cum quo totum possidebis. Totum habebis, totum & ille habebit: quia & tu & ille vnum eritis, quod vnum totum & ille habebit, qui vos in pace possidebit. 6 Hoc totū *possidemus nunc* per fidem, quamdiu peregrinamur à Domino, manentes in corpore. Cùm autem perambulauerimus viam, & ad ipsam patriā peruenerimus, quid erit nobis lætius? quid erit nobis beatius? Quia nihil pacatius. 7 Ibi est enim pax Dei, quæ (sicut ait Apostolus) superat omnem intellectum. Quem, nisi nostrum, aut fortasse etiam omnium sanctorum Angelorū? Non enim & Dei. Si ergo sancti in pace Dei victuri sunt,

1 Cor. 15.
Psalm. 84.
Luc. 22.
5 In Psal. 36. con. 2. in fine.
6 Tract. 33. in Ioan prope finem.
7 Li. 22 de ciu. Dei, cap. 29. in initio.

sunt, profectò in ea pace victuri sunt, quæ superat omnem intellectum. Quoniam nostrũ quidem superet, non est dubium. Si autem superat & angelorũ, vt nec ipsos excepisse videatur, qui ait, omnem intellectum; secundum hoc dictum esse debemus accipere, quia pacem Dei, qua ipse Deus pacatus est, sicut nouit Deus, non eam nos sic possimus nosse, nec vlli angeli. Superat itaque omnem intellectum, nõ dubium, quod præter suum. Sed quia & nos pro modo nostro pacis eius participes facti, summam in nobis atque inter nos, & cum ipsò pacem, quantum nostrum summum est, obtinebimus: isto modo, pro suo modo, sciunt eam sancti angeli: homines autem nũc longè infrà, quantumlibet profectu mentis excellant. [a] Cùm verò æquales angelis Dei fuerimus, tunc, quemadmodum & ipsi, videbimus facie ad faciem, tantamq́ue pacem habebimus erga eos, quantam & ipsi erga nos, quia tantum eos dilecturi sumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia & nostra talis ac tanta erit; nec præcellet tunc intellectum nostrum. Dei verò pax, quæ illic est erga eos; & nostrum, & illorum intellectum sine dubitatione præcellet. De ipso quippe beata est rationalis creatura, quæcunque beata est; non ipse de illa. Vnde secundum hoc melius accipitur, quod scriptũ est, Pax Dei quæ præcellit omnem intellectũ: vt in eo, quod dicit, omnem; nec ipse intellectus sanctorum angelorum possit esse exemptus, sed Dei solius. Neque enim & ipsius intellectum pax eius excellit.

[a] To. 3. li. Enchiridij ad Laur. ca. 63.

Philip. 4.

CAPVT XXXVIII.

Pacis commendatio: vbi etiam ostenditur hîc non satis posse laudari illam pacem quæ erit in patria.

1 LEgimus in Euangelio, quòd Saluator & Dominus noster, cùm appropinquaret passioni, & transitum suum de hoc mundo ad Patrem discipulis insinuaret, inter alia verba, quæ ob sui cõmemorationem, dilectis comitibus suis impenderet, maximè pacis bonum, & vnitatis; quasi speciale munus illis commendauit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: ac si diceret, In pace vos dimisi, in pace vos inueniam. Hanc suis hæreditatem dedit: dona omnia suæ pollicitationis, & præmia, in pacis conseruatione promisit. Atque ideo si hæredes Christi esse voluerimus, in eius pace esse, & manere debe-

1 Ser. 166. de temp. in init.

Ioan. 14.

debemus.[2] Iam ergo veniamus ad ipsam hæreditatem, *hoc est, pacis commendationem*, quia filij sumus. Quid possidebimus? Quæ est hæreditas? quæ patria nostra? Quid vocatur? Pax. Ipsa est Christus. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluit. Hanc, quia filij sumus, hæreditatem habebimus. Et quid vocabitur ipsa hæreditas, nisi pax? Et vide, quia exhæredati sunt, qui non amant pacem. Non autem amant pacem, qui diuidunt vnitatem. Pax possessio piorum est, possessio hæredum. Et qui sunt hæredes? Filij. Audi Euangelium, Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.[3] Ergo quia Christus filius Dei pax est, ideo venit colligere suos, & secernere ab iniquis. A quibus iniquis? Qui oderunt Hierusalem, qui oderunt pacem, qui volunt conscindere vnitatem, qui non credunt paci, qui falsam pacem pronunciant in populo.[4] Quid iam amplius ergo loquar de pace? aut de laude pacis? Non impleo, non possum; infirmus sum. Differamus omnes laudes pacis, ad illam patriam pacis. Ibi eam plenius laudabimus, vbi eam plenius habebimus. Inchoatam in nobis si sic amamus; perfectã quomodo laudabimus? Quid agit pax in huius adhuc regionis incertis, in ista peregrinatione mortalitatis nostræ, cum adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius? Quid agit pax? De incertis non iudicat, incognita non confirmat. Procliuior est ad bene credendum de homine, quàm ad malè suspicandum. Non se multum dolet errare, cùm benè credit etiam de malo. Quid perdo, si credo quia bonus est? Si incertum est; licet vt caueas ne fortè verum sit; non tamen damnes, tanquam verum sit. Hoc pax iubet: *Hoc ad illius pacis commendationem pertinet, quam hic etiam optari, & amari à mundo videmus.*[5] Tantum est enim pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inueniri. *Meritò proinde dicimus, quòd*[6] bonum nostrum, cui suspiramus, pax erit. Ecce bonum: magnum bonum, pax vocatur. Quærebas quid vocaretur? Aurum est, an argentum, an fundus, an vestis? Pax est. Non pax, qualem inter se habent homines infidam, instabilem, mutabilem, incertam: nec pax talis, qualem secum habet vnus homo. Qualis ergo pax? Quam oculus non vidit, nec auris audiuit. Qualis pax? De Hierusalem: quia Hierusalem interpretatur visio pacis.[7] Hac pace in pressuris omnibus consolamur:

propter

2 In Psal. 124. in fine.
Ephes. 2.
Matth. 5.
3 Ibidẽ infra.
4 In Psal. 147. ante medium
5 Li. 19 de ci. Dei. cap. 11.
6 In Psal. 127. in fine.
7 Tract. 104. in Ioannem.

propter hanc, omnem tribulationem fortiter sustinemus, vt
8 Ibidem sup. in hac feliciter sine vlla tribulatione regnemus. 8 Hæc enim pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis actionisque finis ipsa erit.

Cap. XXXIX.

Visio Dei, omnium nostrorum laborum merces erit.

1 In Psal. 36. concione 2. ante medium

SEruatur ergo nobis nescio quod dulce pacis spectaculum omnino: & si cogitari ex aliqua parte in ænigmate, & per speculum potest, dici tamen nullo modo potest pulchritudo illius dulcedinis, quam seruat Deus *in pace & hic viuentibus, &* timentibus se. Illuc parantur corda nostra in omnibus vitæ huius tribulationibus & tentationibus. Noli mirari, si in laboribus pararis: ad magnum aliquid pararis. Vnde vox illa iusti confirmati: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quæ erit futura gloria nostra, nisi æquari angelis, & videre Deum? 2 Ergo visuri sumus quandam visionem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; visionem quandam, præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum; pulchritudinem maris & aëris; pulchritudinem solis & lunæ; pulchritudinem stellarum, pulchritudinem angelorum: omnia superantem, quia ex ipso pulchra sunt omnia. 3 Pulchra est terra, cælum & angeli: sed pulchrior est, qui fecit hæc. 4 Sed eum per fidem adhuc videmus, non per speciem. Quando erit species? Quando videbimus eum facie ad faciem, quod dicit Apostolus: quod nobis promittit Deus in magno præmio omnium laborum nostrorum. Quicquid laboras, ad hoc laboras, vt videas. Nescio quid magnum est, quod visuri sumus, quando tota merces nostra, visio est. 5 Præmium certè nostræ fidei, nobis visio ista seruatur; de qua & Ioannes Apostolus loquens, Cùm apparuerit, inquit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. 6 Sic enim iam vident sancti angeli, qui etiã nostri angeli dicti sunt, quia eruti de potestate tenebrarum, & accepto spiritus pignore, translati ad regnum Christi, ad eos angelos iam cœpimus pertinere, cum quibus nobis erit sancta atque dulcissima visio, Deique ciuitas ipsa communis. Sic sunt ergo angeli nostri, qui sunt angeli Dei, quemadmodum Christus Dei, Christus est noster. Dei sunt, quia Deum non reliquerunt: nostri sunt,

Rom 8.
2 Tract. 4. in epist. Ioan. in medio.
3 D. August. Ser. 49. de ver. Domini.
4 In Psal. 90. in fine.
1 Cor. 13.
5 Li. 22. de ciu. Dei cap. 29.
1. Ioan. 3.
6 Ibidem sup.

quia

quia suos ciues, *beataq́; visionis socios* nos habere cœperunt.
Dixit autem Dominus Iesus, Videte ne contemnatis vnum de pusillis istis; Dico enim vobis; quia angeli eorum in cælis, semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. Sicut ergo illi vident; ita & nos visuri sumus, sed nondum ita videmus. Propter quod ait Apostolus, quod paulo antè dixi; Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Matth. 18. 1 Cor. 13.

7 His itaque documentis, quæ commemoraui, probabile est, quia illa visio Dei, qua contemplabimur incommutabilem, atque humanis oculis inuisibilem Dei substantiam, quæ solis sanctis promittitur; quam dicit Apostolus Paulus, Facie ad faciem: & de qua dicit Apostolus Ioannes, Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: & de qua dicitur, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt contempler delectionem Domini. & de qua dicit ipse Dominus; Et ego diligam eum, & ostendam meipsum illi; & propter quam solam, fide corda mundamus, vt simus beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt; & si quæ alia de ista visione dicta sunt, quæ copiosissimè sparsa per omnes scripturas inuenit, quisquis ad eam quærendam oculum amoris intendit: sola est, summum bonum nostrum, cuius adipiscendi causa præcipimur agere, quicquid rectè agimus. 7 To. 3 li. 1. de Trinita. ca. 13. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3. Psalm. 26. Ioan. 17. Act. 15. Matth. 5.

CAP. XI.

Deus summum illud bonum est, à quo omnia bona sunt.

1 VIsio ergo ipsa satietas nostra erit. *Etenim & nunc pascitur inde animus noster, & saturatur quodammodo.* Et si tantum nos delectat, cùm de ea loquimur, quid erit & videre? Videre Deum; viuere cum Deo, viuere de Deo? 2 Ecce dico hoc, & forte exclamas desiderio cuiusdam speciei nōdum visæ. Excedat cor tuum, ô homo, omnia visa; & excedat intentio vniuersas cogitationes tuas solemnes ex carne, eductas à sensibus carnis; & imaginatas nescio quo phantasmate. Totum ab animo reijce; quicquid occurrerit, nega. Cognosce infirmitatem cordis tui; & quicquid occurrerit, quod cogitare possis, dic, Non est illud. Non enim si illud esset, mihi iam occurrisset. Ita desiderabis quoddam bonum. Quale bonum? Omnis boni bonum, vnde omne bonum: cui non addatur, quid sit 1 To 9. lib. de cant. no. ca. 10 2 In Psal. 26. enar. 2. ante medium.

ipsum bonum. Dicitur enim, bonus homo est, & bonus ager, & bona domus, & bonum animal, & bona arbor, & bonum corpus, & bona anima. Adiunxisti, quoties dixisti, bonum est. Iam vide, si te delectant bona ista, quæ appellantur bona: si te delectant bona, quæ non sunt per se bona; (omnia enim mutabilia, non sunt per se bona) qualis erit contemplatio incommutabilis boni æterni, semper eodem modo manētis? Quandoquidem ista, quæ dicūtur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona: nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent, qui simpliciter bonus est. 3 Omnia enim bona ipse fecit: ipse est bonus, quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono. Ille à seipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono.

3 In Psal. 134. in princip.

Cap. XLI.

Iubilare quid sit: & Deus quid non sit.

1 QVid ergo? illud bonum, de quo dictū est, Nemo bonus nisi vnus Deus, dicimus, quia bonum est valde? *Si ita dixerimus*, recurrit nobis recordatio de omnibus creaturis, quia dictum est, Fecit Deus omnia valde bona. Quid ergo dicturi sumus? Bonum, est Deus. Quale bonum, quis dicat? Ecce non possumus dicere, & non permittimur tacere. Ergo si non possumus dicere, & præ gaudio non permittimur tacere; nec loquamur, nec taceamus. Quid ergo faciemus, non loquentes, & non tacentes? Iubilemus. Iubilate, inquit Psalmista, Deo, salutari nostro; iubilate Deo omnis terra. Quid est, Iubilate? Deferte vocem ineffabilem gaudiorum vestrorum, & ructate in eum lætitias vestras. Et quæ erit illa ructatio post saginam, si modò post modicas istas refectiones, tantum afficitur anima nostra? 2 Qui ergo iubilat, non verba dicit: sed sonus quidam est lætitiæ, sine verbis. Vox est enim animi diffusi lætitia, quantum potest, exprimentis affectum, non sensum comprehendentis. Gaudens enim homo in exultatione sua ex verbis quibusdam, quæ non possunt dici & intelligi, erumpit in vocem quandam exultationis sine verbis: ita vt appareat eum ipsa voce gaudere quidem, sed quasi repletum nimio gaudio non posse verbis explicare, quod gaudet. Sic maximè iubilant, qui aliquid in agris operantur. Copia fructuum iocundati vel messores, vel vindemiatores, vel aliquos fructus metentes; & in ipsa

1 In Psal. 102 ante medium. Marc. 10. Gene. 1. Psalm. 94. Psalm. 65. 2 In Psal. 99. in initio. Vide in Psal. Conc. 1.

ipsa fecunditate terræ & feracitate gaudêtes, exultando cantant, & inter cantica, quæ verbis enunciant, inserunt voces quasdam sine verbis, in elatione exultantis animi, & hæc vocatur iubilatio. 3 Si ergo illi de gaudio terreno iubilant; nos de gaudio cælesti iubilare non debemus, quod verè verbis explicare non possumus? 4 Et quem decet ista iubilatio, nisi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim est, quem fari non potes. Et si eum fari non potes, & tacere non debes: quid restat, nisi vt iubiles? Vt gaudeat cor sine verbis, & immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum. 5 Quis autem explicet laudibus vniuersam creaturam? Quis illam explicet laudibus? Quis dignè laudet cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt? Et ista quidem sunt visibilia. Quis dignè laudet angelos, sedes, dominationes, principatus, & potestates? Quis dignè laudet hoc ipsum quod in nobis viget? Vegetâs corpus, mouês membra, sensu exercens, & memoria tam multa complectens, intellectu tam multa discernens, quis dignè laudet? At si in istis creaturis Dei, sic laborat humanus sermo: in creatore quid agit, nisi sola restet, sermone deficiête, iubilatio? 6 Quodlibet enim aliud cogitet homo, nô est simile quod factum est, illi qui fecit. Excepto Deo, quicquid aliud est in natura rerum, factum est à Deo. Quantum interest inter eum qui fecit, & illud quod factum est, quis dignè cogitet? Deus ineffabilis est. Faciliùs dicimus quid non sit, quàm quid sit. Terram cogitas; non est hoc Deus. Mare cogitas; non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in terra, homines & animalia; non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aërem; non est hoc Deus. Quicquid lucet in cælo, stellæ, sol, & luna; non est hoc Deus. Angelos cogita; virtutes, potestates, archangelos, thronos, sedes, dominationes; non est hoc Deus. Et quid est? Solum potui dicere quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit? 7 Oculus non vidit, quia non est color: auris non audiuit, quia non est sonus: in cor hominis non ascendit, quia non est terrena cogitatio. *Restat ergo vt de Deo, quem non comprehendit aliqua sensuum aut cogitationum imaginatio, sola habeatur, & audiatur iubilatio.*

3 In Psal. 94. post medium.
4 In Psal. 32. conc. 1 vltra medium.
5 In Psal. 26. enar. 2. in ine.
6 In Psal. 85. in medio.
1 Cor. 2.
7 Ex Serm. in natal. mart. quem Beda citat.
1 Cor. 2.

CAP. XLII.

Non talia bona in cælo sunt expectanda, qualia hîc sunt in terris.

a In Psal. 102. ante medium
1 OMnes porrò creaturæ habent quoddam bonum suum integritatis suæ, & perfectionis naturæ suæ. Interest autem quid cuique rei imperfectæ necessarium sit, vt perficiatur. *Vis ergo esse perfectus, ô homo?* Quære tuum bonum. Nemo bonus, nisi vnus Deus. Summum bonum, hoc est tuum bonum. Quid ergo deest illi, cui summum bonum, bonum est? Sunt enim & inferiora bona, quæ aliis & aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, viuere, sanum esse, pinguescere, generare? Bonum est illi, & vsque ad quendam modum habet boni sui mensuram, tributam & cōcessam ab omnium rerum creatore Deo. Tale tu bonum quæris? Dat & hoc Deus; sed noli solùm quærere. Cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecori? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, à quo tu in tuo genere factus es bonus: *vt impleatur in te, quod de iusti anima scriptū est, Qui replet in bonis desiderium tuum: & iterum illud, Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* 2 Putas *enim* aliquā pinguedinem carnis, desiderasse animam istam? Non enim hoc pro magno desiderauit, vt pingues arietes, vt pingues porci illi mactarentur; vt veniret ad aliquam coquinam, vbi inueniret obsonia pinguia, vnde saturaretur. Si hoc crediderimus, digni sumus qui ista audiamus. Ergo aliquid spiritale debemus intelligere. Habet quandam pinguedinem anima nostra. Audi Apostolū dicentem de pingui anima, præcipientem, vt quisque bene operetur. Quid ait? Hilarem datorem diligit Deus. Pinguis anima vnde esset pinguis, nisi à Domino saturaretur? Et tamen quantumlibet hîc sit pinguis, quid erit in illo futuro sæculo, quo nos pascet Deus? Interim in hac peregrinatione quid erimus, *& quàm perfecti & pingues erimus* tunc; nec dici potest: vbi pinguedine sic saturabimur; vt omnino omnis indigentia nostra intereat, & nihil desideremus: quia totum præsto nobis erit, quicquid hîc desideramus, quicquid hîc pro magno amamus. Iā patres nostri mortui sunt, Deus autē viuit. Non hîc potuimus semper habere patres, ibi autem semper habebimus viuum vnum patrem. Habentes patriam nostram, quæcunque terrenæ sunt, semper ibi esse non possu-

Marc. 10.
Psalm. 102.
Psalm 62.
a In Psal. 62. vltra mediū
2 Cor. 9.

poſſumus: & neceſſe eſt, vt alij naſcantur, & ad hoc naſcantur filij ciuium illorum, vt excludant inde parentes ſuos. Ad hoc enim naſcitur puer, vt dicat maiori, Quid hîc agis? Neceſſe eſt, vt qui ſuccedunt, & qui naſcuntur, excludant eos qui ſe præceſſerunt. Ibi omnes pariter *cum patre noſtro viuo* viuemus. Non ibi erit ſucceſſor, quia nullus deceſſor. Qualis illa patria? Sed diuitias hîc amas; ipſe Deus tibi erit diuitiæ tuæ. Sed amas fontem bonum. Quid præclarius illa ſapientia? quid lucidius? Quicquid boni hîc poteſt amari, pro omnibus nobis erit, qui fecit bonus, bona omnia. 5 Ne ergo quaſi paremus nos talibus bonis ibi perfrui, qualibus hîc gaudeamus; alioquin continentia noſtra, auaritia erit. Sunt enim homines, qui inuitantur ad cœnam opimam, vbi multa & precioſa ponenda ſunt: nõ prandent. Iam ſi quæras ab eis, quare non prandeant? reſpondent, Ieiunamus. Magnum opus, Chriſtianum opus ieiunium. Noli citò laudare; quære cauſam: negotium ventris agitur, non religionis. Quare ieiunant? Ne ventrem præoccupent vilia, & non poſſint admittere precioſa. Ergo negotium gutturis geritur in ieiunio. Magna res. Vtique ieiuniũ contra ventrem & guttur pugnat: aliquando illis militat. Itaque ſi putamus aliquid tale habituros nos in illa patria, ad quam nos exhortatur tuba cæleſtis, & propterea nos à præſentibus abſtinemus, vt illic talia copioſius recipiamus: ſic ſumus, quomodo qui ieiunãt propter epulas maiores, & continent ſe à maiori incontinentia. Nolimus ergo ſic. Ad aliquid nos ineffabile præparemus, mundemus cor ab omnibus affectionibus noſtris terrenis & ſæcularibus. Viſuri ſumus quiddam, quo viſu beati erimus, & hoc ſolum nobis ſufficiet.

5 In Pſal. 84. in fine.

CAP. XLIII.

Terra viuentium quæ ſit: & bonum illius terræ quàm ſit deſiderandum.

1 SEd vt inde ſatiemur, cùm ad id peruenerimus; hoc nos oportet eſurire & ſitire, cùm adhuc peregrinamur; hoc ſitiamus, hoc eſuriamus, quia ipſa erunt bona Dei. 2 O bona Domini dulcia, immortalia, incõparabilia, ſempiterna, incommutabilia. Et quãdo vos videbo, bona Domini? Credo videre, ſed non in terra morientiũ: credo videre bona Domini in terra viuentium. 3 Rurſus auaritia non ſurrepat, nec tibi aliquam villam magnam promittat, ne quod hîc iuberis cõtemnere, ibi peres. Terra eſt quædam illa viuorũ, regnum Sanctorũ, vnde

1 In Pſal. 64. vltra mediũ.

2 In Pſal. 26. enarr. 2. vltra medium.

3 In Pſal. 36. conc. 3. vltra medium.

 dicitur,

Psalm. 141. dicitur, Spes mea es tu; portio mea in terra viventium. Nam etsi vita tua illa est, intellige qualem terrā accepturus sis. Illa est terra viventium; hæc est autem terra morientiū, receptura mortuos, quos nutriuit viuos. Qualis ergo illa est terra, talis & ipsa vita. Si æterna vita, æterna terra. Et quomodo ęterna terra?
Psalm. 36. Et inhabitabūt in sæculū sæculi super eam. Ergo alia terra erit, vbi inhabitabimus in sæculum sæculi, *& in qua bona Domini*
Matth. 24. *videbimus*. Nam de ista dictum est; Cælum & terra transibunt: de illa verò; Et videas bona Hierusalem, omnibus diebus vitæ
4 In Psal. 127 prope finem. tuæ. 4 Sed si vita tua æterna fuerit, in æternum videbis bona Hierusalem. Non enim quando exis de corpore, moreris. Perseuerat vita tua, Corpus moritur, sed vita spiritus perseuerat. Oculi nō vidēt, quia discessit qui per oculos videbat. Vbicunq.
Luc. 16. est qui per oculos videbat, videt aliquid. Non enim mortuus erat diues ille, qui in terra induebatur purpura: si mortuus esset, apud inferos nō torqueretur. Optandu illi fortè erat, vt moreretur: sed malo suo vixit apud inferos. Torquebatur enim, & nō videbat ille bona quę in terra dimiserat. Ecce erat vita ipsius talis, & bona illa non videbat. Ergo tu talia desidera bona, quæ videas per omnes dies vitæ tuæ, id est, vt cū ipsis viuas in æternum. Quæ sunt ergo illa bona? Dici possunt bona ista? Aurum est, argentum est, fundus amœnus est, marmorati parietes sunt, tecta laqueata sunt? Absit. Ista abundantiùs pauperes habent in hac vita. Plus est enim pauperi videre cælum stellatum, quàm diuiti tectum inauratum. Ergo quid est illud bonum, quo accendimur, cui suspiramus, quo inflāmamur, propter quod bonum adipiscendū & videndū *in cælestis patriæ felicitate*, tantos
1 Cor. 15. labores sustinemus? Si enim in hac vita in Christo sperantes sumus tantū, ait Apostolus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Propter quid damnati sunt ad bestias martyres? quod est illud bonū? dici potest? Vnde, aut quæ lingua dicat? aut quæ aures audiant? Et quidem illud nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: amemus tamen.

Cap. XLIIII.

Conclusio qua declaratur, quòd ex condigno, nullo labore quis promereri possit requiem æternæ vitæ.

1 Li. 5. de ciu. Dei, cap. 18. 1 PRoinde nullo modo, *quamuis passi grauissima*, superbiant sancti martyres, tanquam dignu aliquid pro illius patriæ participatione fecerint, vbi æterna est, & vera felicitas: si vsque ad

ad sui sanguinis effusionem, non solùm suos fratres, pro quibus fundebatur, verũ & ipsos inimicos, à quibus fundebatur, (sicut eis præceptum erat) diligentes, charitatis fide, & fidei charitate certarunt. 2 Non enim, vt inquit ille, sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Sæuiat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis; quicquid potest, faciat. Quid faciet ad id quod accepturi sumus? Appendo quod patior, cõtra id, quod spero. Hoc sentio, illud credo. Et tamen plus valet quod credo, quàm quod sentio. Quicquid est, quod sæuit pro nomine Christi, si potest * vinci, tolerabile est: si non potest * vinci, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmiũ, ipsam dulcedinem, quæ cùm venerit, sine fine erit. Opus cũ fine, merces & *requies* sine fine. 3 O homo, labor est hîc iam tuus, & requies tibi promittitur. Attendis te hîc habere laborem, sed attende etiã, qualem Deus requiem pollicetur. Nunquid cogitare poteris? Si illam posses cogitare, videres te nihil laborare ad compensationem. Audi eum qui illud ex parte cernebat, qui dixit; Nunc scio ex parte. Quid ais Apostole? Etenim quod est ad præsens temporale, & leue tribulationis nostræ, iuxta incredibilem modũ, & in incredibilem modum, æternũ gloriæ põdus operatur nobis. Quid est, æternum gloriæ põdus operatur nobis? Quibus operatur? non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim vidẽtur, temporalia sunt: quæ autem nõ videntur, æterna. Noli esse piger in labore breuiter, & gaudebis incessabiliter. Aeternam vitam tibi daturus est Deus: cogita quanto labore emenda sit. Venale est quod habeo, dicit tibi Deus: eme illud. Quid habes venale? Requiem venalem habeo: eme illam. Dicis illi, Quantum valet? Precium ipsius labor est: quomodo si diceret, Preciũ illius aurũ est. Nõ sufficeret hoc solum dicere, sed quantũ aurum. Nam si solidus aurũ est, & semuncia, & libra, & tale aliquid: ideo dixit preciũ, ne laborares quærere, quamdiu huius rei preciũ, labor est. Quãtus labor? Iam quære tu quantum laborandum sit. Nondum dicitur tibi, quantus futurus sit labor iste, vel quantum laboris de te exigatur. Illud tibi dicit Deus, Ego ostendo quanta sit illa requies: tu iudica quanto labore emenda sit. Dicat ergo Deus, quanta futura sit ipsa requies. Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc est requies sempiterna. Sine fine erit requies ista; sine fine erit gaudiũ hoc; sine fine erit lætitia ista;

2 Ser. 107. inter impress. Louan. qui est 14. de Sanctis.

al. viui.

al. viui.

3 In Psal 93. vltra mediũ.

1 Cor 13.

2 Cor 4.

Psalm. 83.

sine fine erit incorruptio; vita æterna. Vitam æternam habebis; requiem, quæ nõ habet finem. Quãto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum iudicare: æterna requies, æterno labore rectè emitur. Verũ hoc est: sed noli timere, misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem, nunquam peruenires ad æternam quietem. Semper laborans, quando peruẽturus eras ad illud, quod dignè quidem potest emi sempiterno labore? Quia sempiterna requies est, æqua preciũ. Aeterno certè labore digna est æterna quies comparari. Sed si semper laborares, nunquã ad regnum peruenires. Ergo vt aliquando peruenias ad id quod emis, nõ in æternum laborandũ est: non quia nõ valet tanti, sed vt possideatur quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo, sed necesse est, vt labore temporali ematur. Certè tãtus debuit esse, id est sempiternus labor pro requie sempiterna. Decies centena millia annorũ in labore quid valent? Decies centena millia annorum habent finẽ: quod tibi dabo, dicit Dominus, nõ habebit finem. Qualis misericordia Dei! Nec dicit, Decies centena millia annorum labora: non dicit; Vel mille annos labora; non dicit, Quingẽtos annos labora: cũ viuis, labora in paucis annis. Inde iam requies erit, & finem non habebit. Et adhuc audi cõsonantia:

Psalm. 93. Domine, secundũ multitudinem dolorũ meorum in corde meo, consolationes tuæ iocundauerunt animã meam. Et paucos annos laboras, & in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in sæculo, gaude in Christo; gaude in verbo eius; gaude in lege eius. Ad ipsa gaudia pertinet, & quod loquimur, & quod auditur. Quantæ ergo sunt istæ consolationes in tantis laboribus? Verum est ergo,

2 Corinth. 4. quod dixit Apostolus, Etenim quod ad præsens est temporale, & leue tribulationis nostræ, iuxta incredibilem modum, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ecce quantum precium damus; quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos: siliquam laboris, ad requiẽ incredibilem. *Quam requiem vt aliquando securi & læti obtineamus; in hisce nostris angustiis & qualibuscũque laboribus, assistere ille nobis dignetur; qui eam in scripturis sanctis, amatoribus suis promisit, cui omnis sit honor, & gloria, & imperium, & gratiarum actio, in secula seculorum, Amen.*

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM PRIMI LIBRI DE CHRISTO, EIVSQVE CORPORE, &c.

Cap. I.

Christus caput Ecclesiæ est: & Ecclesia corpus eius.

2. Christus quomodo nobiscum in terra sit, & nos cum illo in cælo.

3. Christus nō solus in cælū ascendit, sed nos cum illo: unde & vita nostra abscondita est cum Christo, in Deo.

4. Christus Ecclesiæ caput quantum distet à suis membris, quem quidam heretici dixerunt fuisse sine humana mente; alij, sine anima.

5. Epilogus prædictorum.

6. Voces, quæ in scripturis, maximè in prophetiis, de Christo ponuntur, quomodo distinguendæ sint secundum proprietatem capitis & corporis.

7. Cùm Caput nostrum Christus sanctus sit; & nos eius membra sancti sumus.

8. Ecclesiæ caput Christus quædam loquitur ex persona solius capitis: quædam ex persona solius corporis.

9. Christus quomodo fuerit pauper; & quomodo diues.

10. Infirmus factus est Christus: & eius infirmitas nostra est fortitudo.

11. Christus quo mysterio dicatur vel legatur esse pellicanus, nycticorax, & passer.

12. Infirmitas Christi paruulis lac est; eius diuinitas maioribus solidus cibus.

13. Soluitur quæstio, an aliter paruuli in fide, aliter perfecti de Christo Deo sint instruendi.

14. Cibus perfectorum non est contrarius lacti paruulorū: quia & panis hominum, factus est Dominus angelorum.

15. Christus & Ecclesia præfigurati sunt in Adam, & eius uxore Eua.

16. Ecclesia, Christi uxor est, & sponsa, & filij, & sorores, & fratres, & mater.

17. Quomodo Ecclesia, cùm esset fœda à pulchro sponso suo Christo sit amata.

18. Ecclesia incepta ab Hierusalem, quomodo incrementa sua acceperit.

19. Ecclesia quare in persona Petri præfigurata: quàm qui non amat matrem, Deum offendit patrem.

20. Refellitur opinio eorum, qui dicunt nunc non eam esse Ecclesiam, quæ olim fuit.

21. Confirmatur ex Euangelio, quod ea sit Ecclesia, quæ toto orbe diffusa est.

22. Quæ sit vesania hereticorum, qui totum amittunt, ut partem teneant; domum Dei relinquunt ut dealbatum sibi parietem erigant.

23. *Qua ratione, quoúe fructu Deus permittit hereticos exire extra Ecclesiam, eamque ab illis oppugnari.*
24. *Piis in Ecclesia omnia proficiūt ad utilitatem & consolationem, quecunque machinantur heretici.*
25. *Mirum est multos nescire, que Christi ecclesia sit, cùm alioqui omnia de illa predicta clarissima sint.*
26. *Qui foras extra Ecclesiam exeunt, Antichristi sunt.*
27. *Catholici pacem & unitatem querunt: heretici dissensionem & separationem.*
28. *Heretici sunt quasi magni mōtes, sed mali: predicatores verò veritatis, boni mōtes sunt, à quibus illuminat Altissimus.*
29 *Confirmatur quod dictum est; & hoc exemplo beatissimi Apostoli Pauli.*
30. *Scriptura sacra quam habet Ecclesia, celum dicitur: & quare pelli comparetur ostenditur.*
31. *De prestantia, & eminentia charitatis, quam solam cum bonis non cōmunicant mali in Ecclesia.*
32. *Latiùs hic explicatur, quod dictum est de charitate, que etiam aquis comparatur.*
33. *Comparatur & oleo charitas, quam propterea rectè vocauit Apostolus viam supereminentiorem.*
34. *Conclusio huius libri.*

DE

DE CHRISTO, EIVSQVE CORPORE, QVOD EST ECCLESIA; LIBER PRIMVS:

Ex ſcriptis D. Aurelij Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, contextus.

In hoc agitur, partim de vnione, partim de ſeparatione, quam conſtat eſſe inter ipſum Christum, qui Caput eſt; & inter Corporis ſui membra.

CAPVT I.

Chriſtus Caput Eccleſiæ eſt; & Eccleſia corpus eius.



QVI factus eſt propter nos homo, cùm eſſet Deus, per quem facti ſumus; illa quæ oſtendit in homine, propter nos vtique oſtendit. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, tanquam totus perfectus vir, & caput & corpus. Caput *ſiquidem* in illo homine agnoſcimus, qui natus eſt de Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, ſepultus; qui ſurrexit, aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris: inde illum expectamus iudicem viuorum atque mortuorum, hoc eſt, caput Eccleſiæ. Corpus autem huius capitis, Eccleſia eſt, non quæ hoc loco eſt, ſed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum eſt: nec illa quæ eſt hoc tempore, ſed ab ipſo Abel vſq; ad eos qui naſcituri ſunt vſque in finem, & credituri in Chriſtum; totus populus ſanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium: quæ ciuitas corpus eſt Chriſti, cui caput eſt Chriſtus. Talem ergo ſcimus & confitemur eſſe Chriſtum totũ atq. vniuerſum ſimul cum Eccleſia: ipſum autem ſolum natum de virgine, caput Eccleſiæ, mediatorem ſcilicet inter Deum & homines, Chriſtum Ieſum. Ad hoc, inquam, mediatorem, vt eos qui à Deo receſſerunt, per ſe reconciliet. Medius enim non eſt, niſi inter duos. Receſſeramus à

1 In Pſal. 90. conc. 2. de 2. parte.

maie-

maiestate Dei,& peccato nostro offenderamus eum: missus est filius mediator, qui sanguine suo solueret & deleret peccata nostra, quibus separabamur à Deo: & interpositus redderet nos ei, & reconciliaret, à quo auersi, in peccatis nostris & delictis tenebamur. Ipse est caput nostrum; ipse est Deus æqualis Patri, Verbū Dei, per quod facta sunt omnia: sed Deus, vt crearet; homo, vt recrearet: Deus, vt faceret: homo, vt reficeret.

Cap. II.

Christus quomodo nobiscum in terra sit, & nos cum illo in cælo.

1 In Psal. 85. in initio. 1 NVllum itaque maius donū præstare Deus posset hominibus, quàm vt Verbū suum, per quod cōdidit omnia, faceret illis caput: & illos ei tanquam membra coaptaret: vt esset filius Dei & filius hominis: & vnus Deus cum patre; vnus homo cum hominibus. 2 Sed iam caput illud nostrum Christus in cælo est, super inimicos suos exaltatum est: *contra id sæuire amplius non possunt*: & adhuc inimici nostri possunt hic sæuire in nos. Nondum enim sumus exaltati super illos. Sed quamuis caput nostrum iam ibi sit, nihilominus tamen in terris nobiscum est. Vnde & hoc dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Se enim dixit in nobis esse hic deorsum, *quando hoc clamauit*. Ergo & nos in illo sumus ibi sursum. Ecce quale pignus habemus. Vnde & nos fide, & spe, & charitate cum capite nostro sumus in cælo in æternum; quia & ipsum diuinitate, & bonitate, & vnitate nobiscum est in terra, vsque ad consummationem sæculi. 3 Nam si ibi tantùm esset, & non hic: vnde vox illa; Saule, Saule, quid me persequeris? Quis enim illi in cælo molestus fuit? Nemo: nec Iudæi, nec Saulus, nec diabolus tentator. Nemo ibi molestus illi; sed loquitur, sicut in compage corporis humani, pede calcato, lingua clamat. 4 Quare? Quia totus Christus caput & corpus. Caput ille saluator corporis, qui iam ascendit in cælum: corpus autem Ecclesia: quæ laborat in terra. Hoc autem corpus nisi cōnexione charitatis adhæreret capiti suo, vt vnus fieret ex capite & corpore; nō de cælo persequutorem corripiens, diceret: Saule, Saule, quid me persequeris? Quando eum iam in cælo sedentem nullus homo tangebat, quomodo eū Saulus in terra sæuiens aduersus Christianos, aliquo modo iniuria percellebat? Non ait, quid sanctos meos,

2 In Psal. 26. conc. 2. in medio.

Act. 9.

3 In Psal. 44. in medio.

4 In Psal. 30. conc. 2. in initio.

Actor. 9.

meos, quid seruos meos: sed, quid me persequeris? hoc est, quid membra mea? Caput pro membris clamabat, & membra in se caput transfigurabat. Vocem namque pedis suscipit lingua. Quando fortè in turba contritus pes dolet; clamat lingua, Calcas me. Non enim ait, Calcas pedem meum, sed se dixit calcari, quam nemo tetigit. Sed pes qui calcatus est, à lingua non separatus est. s Audi Apostolum *de Christo & eius Ecclesia* hoc ipsum euidentiùs exprimentem: Sicut enim corpus vnum est, inquit, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus: sic & Christus. Loquens de membris Christi, hoc est, de fidelibus, non ait, Sic & membra Christi; sed totum hoc, quod dixit, Christum appellauit. Sicut enim corpus vnum, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus: sic & Christus, membra multa, vnum corpus. Ergo simul omnes nos cum capite nostro Christo *in cælum ascendimus: cum eo ibi fide sedentes, spe hic gaudêtes*; sine capite nostro Christo nihil *vspiam* valentes. Quare? Quia nos cùm capite nostro vitis; sine capite nostro (quod absit) sarmenta præcisa, non alicui operi agricolarum, sed igni tantummodo destinata. Ideo & ipse in Euangelio, Ego sum vitis, inquit; vos estis palmites: pater meus agricola est. Et, Sine me, inquit, nihil potestis facere. Domine, si sine te nihil, totum in te. Etenim quicquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Potest ille multum, & totum sine nobis; nos nihil sine ipso.

s Ibidem inf. 1. Cor. 12. Vide in Psal. 142. in initio.

Ioan. 15.

CAP. III.

Christus non solus in cælum ascendit, sed nos cum illo: vnde & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.

VErum *hoc nos mouere posset, quod* ipse Dominus noster Iesus Christus dixit, Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit in cælo, filius hominis qui est in cælo. Tanquam enim de se solo videtur dixisse. Ergo cæteri remanserunt, quia solus ascendit, qui solus descendit? *Minimè verò.* Quid igitur debent facere cæteri? Vniri corpori ipsius, vt sit vnus Christus, qui descendit & ascendit. Descendit caput; ascendit cum corpore, vestitus Ecclesia sua, quam sibi exhibuit sine macula & ruga. Solus ergo ascendit. Sed & nos quando cum illo sic sumus, vt in illo membra eius simus; & nobiscum solus est; & ideo vnus & semper vnus: vnitas nos compaginat vni. Et illi soli cum illo

t In Psal. 122. in princip.

non aſcendunt, qui cum illo vnus eſſe noluerunt. Iam verò quoniam ipſe, qui in cælo poſitus eſt, & carne ſuſcitata immortalis, per quam fuit ad tempus mortalis, & nihil in cælo perſecutionum patiens, nihil malitiarum & opprobriorum; ſicut in hac terra, quando pro nobis omnia ſuſtinere dignatus eſt: *ex charitate* compaſſus eſt corpori ſuo, in terra laboranti; non præter ſpem eſſe debemus. Imò cùm magna fiducia præſumere: quia ſi per charitatem ipſe nobiſcum in terra eſt, per eandem charitatem & nos cum eo in cælo ſumus. Sed diximus quemadmodum nobiſcū ipſe in terra ſit, vocem eius diximus

Act. 9. de cælo ſonantis; Saule, Saule, quid me perſequeris? cùm eum Saulus omnino non tangeret, ſed nec videret. Quomodo autē oſtenditur, quia & nos cum illo in cælo ſumus? *Hoc patebit*

Coloſ. 3. eodem ipſo Paulo Apoſtolo dicente, Si conſurrexiſtis cū Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt, ſapite; nō quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Ergo & ille adhuc deorſum eſt, & iam nos ſurſum ſumus. Ille deorſum eſt compaſſione charitatis; nos ſurſum ſumus ſpe

Rom. 8. 2 In Pſal. 36. concione 3. in medio. charitatis. Spe enim ſalui facti ſumus, *per quam* 2 ſic abſcondita eſt apud illum vita noſtra, vt qui modo laboramus in terra, quaſi tempore hyemis, arbores non habentes fructum & folia; illo apparente tanquam nouo ſole exorto, illud quod *in*

3 In Pſal. 48. conc 2. ante medium. radice viuebat, in fructibus appareat. 3 Radix autem *noſtra*, charitas eſt. Et quid ait Apoſtolus? Vt ſurſum debeamus habere radicem, vt vita ſit paſtor noſter: quia habitatio noſtra non debet recedere de cælo; quia in hac terra debemus ſicut mortui ambulare; vt ſupra viuentes, infra mortui ſimus; non vt ſupra mortui, infra viuamus. Quia ergo nō debet recedere vita noſtra & cor noſtrum de ſupernis, quid ait Apoſtolus? Mortui

Coloſſ. 3. enim eſtis: & ne timeres, Vita veſtra abſcondita eſt, ait, cum Chriſto in Deo. Ecce vbi radix ſit noſtra. Quando autem apparebit honor noſter, tanquam in foliis & fructibus? ſequitur & dicit: Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, & vos cum illo

4 Tom. 9 Tract. 28. in Ioannem. apparebitis in gloria. *Ergo* 4 tempus gloriæ noſtræ nondum venit. Dicatur amatoribus huius ſæculi, quales erant fratres

Ioan. 7. Domini: Tempus veſtrum ſemper adeſt paratum: tempus noſtrum nondum venit. Audeamus enim hoc dicere & nos: quoniam corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumus; quoniā membra eius ſumus, quoniam caput noſtrum gratanter agnoſcimus: dicamus

dicamus prorsus; quoniam propter nos & ipse hoc dignatus est dicere. Quando nobis insultāt amatores huius sæculi, dicamus eis, Tempus vestrum semper adest paratum; tempus nostrum nondum venit. Nobis enim dixit Apostolus, Mortui enim estis, & vita vestra absc̄odita est cum Christo, in Deo. Quando veniet tempus nostrum? Cùm Christus, inquit, apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. s Quare adhuc membra ipsius modò gemunt per vniuersum orbem terrarum: tunc lætabuntur in fine in corona iustitiæ, de qua dicit Paulus; Quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus iudex. Interim ^t caput *illud* nostrum ad dexteram patris interpellat pro nobis. Alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia reuocat, alia corrigit, alia redintegrat.

Coloss. 3.
s In Psal. 100. in medio.
2 Timoth. 4.
t In Psal. 25. ante medium

CAP. IIII.

Christus Ecclesiæ caput, quantum distet à suis membris: quem quidam heretici dixerunt fuisse sine humana mente; alij, sine anima.

SEd ^a fortè putet quispiam, quia homo ille susceptus à sapientia Dei, æqualis erat cæteris hominibus. Si in tuis membris multum distat inter caput & cætera membra; *cur nō in corpore Christi?* Certè omnia membra faciunt corpus vnum; multum tamē interest, inter caput & cætera membra. Etenim in cæteris membris non sentis, nisi tactu: tangendo sentis in cæteris membris: in capite autem & vides, & audis, & olfacis, & gustas, & tangis. Si tanta excellentia est capitis ad membra cætera: quanta excellētia est capitis vniuersæ Ecclesiæ, id est, illius hominis, quem voluit Deus mediatorem esse inter Deum & homines? *Attamen quidam* hæretici dixerūt hominem illum, quem suscepit Verbum, cùm Verbum caro factum est, non habuisse mentem humanam, sed tantùm animam sine intelligentia humana fuisse. Hominem enim videmus. Vnde constat? Ex anima & corpore; sed ipsa anima humana habet aliquid, quod non habent animæ pecorum. Nam & pecora animam habent, & animalia vocantur. Non enim vocarentur animalia, nisi ab anima: & videmus quia & ipsa viuūt. Sed quid habet amplius homo, vnde factus est ad imaginem Dei? Quia intelligit & sapit: quia discernit bonum à malo: in hoc factus est

a In Psal. 29. in præfat. 2. enarrat.
Ioan. 1.

est ad imaginem & similitudinem Dei. Habet ergo aliquid,
 quod non habent pecora. Et quia contemnit in se, quod melius est pecoribus; perimit in se, vel deserit, & quodam modo obsolefacit imaginē Dei, vt dicatur talibus, Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Illi igitur hæretici, qui dixerunt, Dominum nostrum Iesum Christum non habuisse mentem humanam, & illud, quòd λογικὸν Græci dicunt, nos dicimus rationale, vnde homo ratiocinatur, quod non habent cætera animalia; quid dicunt? Ipsum Verbum Dei hoc erat in illo homine, pro mente. Exclusi sunt isti, respuit illos Catholica fides, qui istam hæresim fecerunt: & confirmatum est in Catholica fide, hominem illum, quem suscepit sapiētia Dei, nihil minus habuisse, quam habent cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ: Quantum autem ad excellentiam personæ, aliud quàm cæteri homines. Nam cæteri homines possunt dici participes verbi Dei, habentes verbum Dei: nullus autem eorū potest dici Verbum Dei, quod dictum est illi, de quo dictum est, Verbum caro factum est. Nō defuerunt etiam alij quidam, ex ipso errore veniētes, qui non solùm mentem dicerent non habuisse illum hominem, mediatorem Christū inter Deum & homines; sed nec animam: sed tantùm dixerunt, Verbum & caro erat, & anima ibi non erat humana; mens ibi non erat humana. Hoc dixerunt. Sed quid erat? Verbum & caro. Et istos respuit Ecclesia Catholica, & expellit eos ab ouibus, & à simplici & vera fide; & confirmatum est, quemadmodum dixi, hominem illum mediatorem, habuisse omnia hominis, præter peccatum. Si enim multa gessit secundum corpus, ex quo intelligamus, quia habuit corpus non in mendacio, sed in veritate; vtpote ambulauit, sedit, dormiuit, comprehensus est, flagellatus est, colaphizatus est, crucifixus est, mortuus est; tolle corpus, nihil horum fieri potuit. Quomodo ergo ex his indiciis cognoscimus in Euangelio, quia verum corpus habuit, sicut & ipse etiā post resurrectionem dixit, Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: quomodo, inquam, ex his rebus, ex his operibus credimus, & intelligimus, & nouimus, quia corpus habuit Dominus Iesus: sic ex quibusdam aliis officiis naturalibus, quia habuit animam. Esurire, sitire, animæ sunt ista. Tolle animam, corpus hæc exanime non poterit. Sed si falsa dicunt ista fuisse, falsa erunt & illa quæ de corpore creduntur. Si autem ex eo

Psalm. 31. — Ioan. 1. — Luc. 24.

verum

verum corpus, quia vera officia corporis: ex eo vera anima, quia vera officia animæ. Quid ergo, quoniam Dominus factus est infirmus propter te? O homo, qui audis, non tibi compares Deum. Etenim creatura es, ille creator tuus. Nec illum hominem, tibi conferas, quia propter te homo Deus tuus, & Verbum filius Dei: sed illum hominem tibi præferas tanquam mediatorem; Deum autem supra omnem creaturam. Vide in Psal. 142. in initio.

Cap. V.

Epilogus prædictorum.

1 Teneamus hoc ergo, & fixum omnino commendemus memoriæ, tāquam filij Ecclesiasticæ eruditionis & fidei Catholicę, vt agnoscamus Christum caput & corpus, eundemq́. Christum, Verbum Dei vnigenitum, æqualem Patri: & inde videamus quāta gratia pertingamus ad Deum, vt ipse voluerit esse nobiscum *in corpore & in anima* vnus, qui est cum patre vnus. Quomodo cum patre vnus? Ego, & pater vnum sumus. Quomodo nobiscum vnus? Non dicit, inquit Apostolus, & seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in vno; Et semini tuo, quod est Christus. Sed ait aliquis, Si Christus semen Abrahæ, numquid & nos? Memēto, quia semen Abrahæ Christus: ac per hoc si & nos semen Abrahæ, ergo & nos Christus. Quomodo vnum corpus multa membra, ita & Christus. Et quotquot in Christo baptizati estis, Christū induistis. Nempe semen Abrahæ Christus, nec cōtradici potest Apostolicis apertissimis verbis, Et semini tuo, quod est Christus. Vide quid nobis dicat. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis. Ideo magnum est illud Sacramentum, Erunt duo in carne vna. Apostolus dicit, Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Christus & Ecclesia, duo in carne vna. Refer ad distantiam maiestatis duo: duo planè. Non enim & nos Verbum: non enim & nos, In principio Deus apud Deum: non enim & nos ille per quem facta sunt omnia. Venitur ad carnem, & ad animam, & ibi Christus, & ille, & nos.

1 In Psal. 141. in initio. Ioan. 10. Galat. 3. 1 Corint. 12. Galat. 3. Genes. 2. Ephes. 5. Ioan. 1.

CAP. VI.

Voces quæ in Scripturis, maximè in prophetiis, de Christo ponuntur, quomodo distinguendæ sint secundum proprietatem Capitis & Corporis.

1 In Psal. 85. in initio. 1 ET quando loquimur ad Deũ deprecantes, non inde filiũ separemus; & quando precatur corpus filij, non à se separet caput suũ: sitq. vnus ipse Saluator corporis sui Dominus noster Iesus Christus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, vt sacerdos noster: orat in nobis, vt caput nostrũ: oratur à nobis, vt Deus noster. Agnoscamus ergo & in illo voces nostras, & voces eius in nobis. Neque cùm aliquid dicitur de Domino nostro, Iesu Christo, maximè in prophetia, quod pertineat velut ad quandam humilitatem indignam Deo; dubitemus eam illi tribuere, qui non dubitauit se nobis adiungere. Ei quippe seruit vniuersa creatura, quia per ipsum facta est vniuersa creatura. Et propterea cùm eius sublimitatem, diuinitatemq́, intuemur, quando audimus,

Ioan. 1. In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: intuentes hanc excelsam & superemineutissimam & excedentem omnia creaturarum sublimia, Diuinitatem filij Dei: audimus etiam in aliqua parte scripturarum *ipsum* velut gementem, orantem, confitentem, vt dubitemus ei tribuere verba hæc, ex eo quod cogitatio nostra de recenti eius contemplatione, quæ erat in diuinitate; pigrescit descendere ad eius humilitatẽ: & tanquam faciat illi iniuriam, si eius verba in homine agnoscat, ad quem verba dirigebat, cùm Deum deprecaretur: hæret plerumque & conatur mutare sententiam, & non ei occurrit in scriptura, nisi quod ad ipsum recurrat, & ab illo deuiare non sinat. Expergiscatur ergo, & euigilet in fide sua, & videat quia ille, quẽ con-

Philip. 2. templabatur paulo antè in forma Dei, formam serui accepit, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit se, factus obediens vsq. ad mortem. Oratur ergo in forma Dei: orat in forma serui: ibi creator, hîc creatus; creaturam mutandam non mutatus assumens, & secum nos faciens

2 In Psal. 101. in initio. vnum hominem, caput & corpus. 2 Iam ergo audiamus, quid oret caput & corpus, sponsus & sponsa, Christus & Ecclesia: vtrumque vnus, sed Verbũ & caro non vtrumque vnum; Pater

& Ver-

& Verbum vtrumque vnū. Christus & Ecclesia vtrumq. vnus: Ephes. 4.
vnus quidē vir perfectus in forma plenitudinis suæ, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.
3 Orationem eius audiamus, & personam agnoscamus: necubi 3 Ibidem inf.
erres, quando audieris aliquid quod coaptari capiti illius non possit. Ideo hoc prælocutus sum, vt si quid tale audieris, ex infirmitate corporis aduertas sonare, & vocem membrorū agnoscas in capite. 4 Christus in passione dicit, Miserere mei Deus. 4 In Psal. 58. post initium. Vide in Psal. 49. à princip.
Deo Deus dicit, Miserere mei. Qui cum Patre miseretur tui, in te clamat, Miserere mei. Etenim quod de illo clamat, Miserere mei, tuum est. A te hoc accepit propter te liberandū: carne indutus est. Caro ipsa clamat, Miserere mei Deus, miserere mei. Homo ipse anima est & caro. Totum enim hominem suscepit Verbum, & totus homo factus est Verbum. Ne ideo putetur non ibi fuisse animam, quia Euangelista ita dicit, Verbum caro factu est, & habitauit in nobis. Etenim dicitur caro Ioan. 1.
homo, sicut alio loco dicit Scriptura: Et videbit omnis caro salutare Dei. Nunquid caro sola videbit, & anima ibi non erit? Esaiæ 40. Luc. 3.
Iterum dicit ipse Dominus de hominibus, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Nunquid in solam carnem acceperat Ioan. 7.
potestatem, & nō maximè in animas, quas primitus liberabat? Ergo ibi erat anima, ibi erat caro, ibi totus homo: totus homo cum Verbo, & Verbum cum homine, & homo & Verbum vnus homo; & verbum & homo, vnus Deus. Dicat ergo, Miserere mei Deus, miserere mei. Non expauescas voces petentis misericordiam, & exhibentis. Ideo enim petit, quia exhibet: ad hoc enim homo, quia misericors: non vt conditionis necessitate nasceretur, sed vt te de conditione necessitatis liberaret: *sicq; te intelligere faceret, quomodo* 5 qui homo factus est propter te, 5 In Psal. 29. in præfat. 2. enarr.
non incongruè oret pro te. Si ergo non incongruè orat pro te, non incongruè potuit & ista verba dicere propter te, *Miserere mei Deus*. 6 Habes iam maiestatem, ad quam ores: habes hu- 6 Ibidem sup.
manitatem, quæ pro te oret. Nam hoc dictū est ab Apostolo, etiam post resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, Qui sedet, inquit, ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quare interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus Rom. 8.
est. Quid est mediatorem esse inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines: sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Quid sunt

homines? Peccatores, impij, mortales. Inter illam trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem, mediator factus est homo non iniquus, sed tamen infirmus; vt ex eo quòd non iniquus, iungeret te Deo: ex eo quòd infirmus, propinquaret tibi; atque ita vt inter hominem & Deũ mediator existeret. 7 Non quidem mediator, homo *solus* præter Deitatem: non mediator, Deus *solus* præter humanitatem. Ecce mediator qui sit. Diuinitas sine humanitate, non est mediatrix: humanitas sine diuinitate, non est mediatrix: sed inter diuinitatem *solam*, & humanitatem *solam*, mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi.

7 Tom. 9. li. de ouibus, ca. 12.

Cap. VII.

Cùm caput nostrum Christus sanctus sit; & nos eius membra sancti sumus.

8 In Psal. 85. post initium.

8 HOc verò *quod Psalmista ait*, Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; nescio vtrũ potuerit fortè alius dicere, nisi ille qui sine peccato erat in hoc mũdo, peccatorum omnium non commissor, sed dimissor. Agnoscamus vocem dicentis, Quoniam sanctus sum, custodi animã meam; vtique in illa forma serui, quam assumpserat. Ibi enim caro, ibi & anima. Neque enim, vt nonnulli dixerunt, *de quibus iam dictum est*, caro sola erat & Verbum; sed caro & anima, & Verbum: & totum hoc vnus filius Dei, vnus Christus, vnus saluator, in forma Dei æqualis Patri, in forma serui caput Ecclesiæ. Ergo, Quoniam sanctus sum, cùm audio, vocem eius agnosco, & hic separo meã. Certè inseparabiliter à corpore suo loquitur, cùm ☞ sic loquitur. Et audebo ego dicere, Quoniam sanctus sum? Si sanctus, tanquam sanctificans, & nullo sanctificante indigens, superbus sum, & mendax. Si autem sanctus sanctificatus secundum id quod dictum est, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: audeat & corpus Christi, audeat & vnus ille homo, clamãs à finibus terræ, cum capite suo, & sub capite suo dicere, Sanctus sum. Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi, & remissionis peccatorum. Et hæc quidem fuistis, ait Apostolus, enumerãs multa peccata, & leuia & grauia, & vsitata & horribilia: sed abluti estis, sed sanctificati estis. Si ergo *baptizatos*, sanctificatos dicit; dicat & vnusquisque fidelium, Sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctũ esse ex te, superbus es: rursus fidelis in Christo, & mem-

Leuit. 19.

1. Cor. 6.

& membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Arguens enim superbiam Apostolus, non ait, Non habes: sed ait, Quid enim habes, quod non accepisti? Non arguebaris quia dicebas te habere quod non habebas: sed quia ex te tibi volebas esse quod habebas. Imò & habere te agnosce, & ex te nihil habere; vt nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo, Sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui. Etenim ex alio latere incipis iniuriam facere ipsi Domino nostro Iesu Christo. Si enim Christiani omnes & fideles baptizati in illo, ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: si membra sunt facta corporis eius, & dicunt se sanctos non esse; Capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta sunt. Iam vide vbi sis, & de capite tuo dignitatem cape. Etenim eratis, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Fuistis aliquando tenebræ, sed nunquid tenebræ remansistis? Ad hoc illuminator venit, vt tenebræ remaneretis, an, vt in illo lux fieretis? Ergo dicat & vnusquisque Christianus; imò dicat totum corpus Christi, clamet vbique patiens tribulationes, diuersas tentationes, & scandala innumerabilia: dicat, Custodi animam meam, quoniā sanctus sum.

1. Cor. 4.

Galat. 3.

Ephes. 4.

Psalm. 85.

CAP. VIII.

Ecclesiæ caput Christus quædam loquitur ex persona solius capitis; quædam ex persona solius corporis.

1 QVæri etiam solet, cuius sit vox illa in Psalmo: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum: & aliqui accipiunt Christi, propter quædam quæ ibidem dicuntur de passione Christi. Sed, Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, quomodo diceret, qui nullum peccatū habebat? Coarctat nos ergo intelligendi necessitas, ad cognoscendum tanquam plenum & totum Christum, id est, caput & corpus. Cùm enim in scripturis Christus loquitur, aliquādo ex persona solius capitis loquitur, quod est ipse Saluator, natus ex Maria virgine: aliquādo ex persona corporis sui, quod est sancta Ecclesia, diffusa toto orbe terrarū. Et nos in corpore ipsius sumus, si tamē fides nostra sincera sit in illo, & spes nostra certa, & charitas nostra accensa: sumus in corpore ipsius, & mēbra ipsius; & inuenimus nos ibi loqui, Apostolo dicente, Quoniam mem-

1 In Psal. 37. post princip.

Ephes. 5.

bra sumus corporis eius. Et multis locis dicit hoc Apostolus. Nam si dixerimus verba prædicta non esse Christi, non erunt
Psalm. 21. & illa in alio Psalmo verba Christi: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Et ibi enim habes, Lõge à salute mea, verba delictorum meorum. Quomodo hic habes, A facie peccatorum meorum, sic & ibi habes, Verba delictorum meorum. Et si est Christus vtique sine peccato, & sine delicto, incipimus non putare verba illa Psalmi, illius esse. Et valde durum & contrarium est, vt ille Psalmus non pertineat ad Christum, vbi habemus statim tam apertam passionem eius, tanquã ex Euangelio recitetur. Ibi enim habemus, Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meũ miserunt sortem. Quid, quód ipse Dominus in cruce pendẽs, primum versum Psalmi ipsius, ore suo protulit, & dixit; Deus meus, Deus meus, vt quid me
Matth. 27. dereliquisti? Quid enim voluit intelligi, nisi illum Psalmum totum ad se pertinere, quia caput ipsius, ipse pronunciauit? Vbi autem sequitur & dicit, Verba delictorum meorum, non est dubium, quia vox Christi est. Vnde ergo peccata, nisi de corpore, quod est Ecclesia? Quia loquitur corpus Christi, & caput. Quare tanquam vnus loquitur? Quia erunt duo, inquit,
Genes. 2. in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ait Apostolus:
Ephes. 5. ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. Vnde etiam cùm ipse loqueretur in Euangelio, respondens eis qui quæstionem
Matth 19. intulerunt de vxore dimittenda, ait; Non legistis quod scriptum est, quòd Deus ab initio masculũ & feminam fecit eos: &, Relinquet homo patrem & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna? Igitur iam nõ duo, sed vna est caro. Si ergo ipse dixit, Iam non duo, sed vna est caro; quid mirum, si vna caro, vna lingua, eadem verba, tanquam vnius carnis, capitis & corporis? Sic audiamus tanquam vnum: sed tamen caput tanquam caput, & corpus tanquam corpus. Non diuiduntur personæ, sed distinguitur dignitas: quia caput saluat, saluatur corpus. Caput exhibeat misericordiam, corpus defleat miseriam. Caput est ad purganda peccata; corpus ad confitenda peccata, vna tamen vox: vbi non scriptum est, quando dicat corpus, quando caput, sed nos in audiẽdo distinguimus: ille autem
Matth. 25. tanquam vnus loquitur. Quare enim non dicat, Peccatorum meorum; qui dixit, Esuriui, & non dedistis mihi manducare? sitiui, & nõ dedistis mihi potũ? hospes fui, & nõ recepistis me? infirmus fui, & in carcere, & non visitastis me? Certè Dominus

non

non fuit in carcere. Quare non hoc diceret, cui cùm dictum esset, Quando te vidimus esurientem & sitientem, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? respondit sic, & ex persona corporis sui, indicans se dixisse, Cùm vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis? Quare non dicat, A facie peccatorum meorum; qui dixit Saulo: Saule, Saule, quid me persequeris? qui vtique in cælo. iam neminem persecutorem patiebatur? Sed quomodo ibi caput loquebatur pro corpore: sic & hîc caput dicit voces corporis, cùm & capitis voces audis. Sed neque cùm corporis voces audieris, separes caput: neq. cùm capitis voces audieris, separes corpus; quia iam non duo, sed vna caro. Act. 9.

CAP. IX.

Christus quomodo fuerit pauper & quomodo diues.

HVc *pertinent & illa verba in Psalmo centesimo primo*, [1] Quia cinerem tanquam panem mâducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Ecce enim vnus ibi pauper orat, & non orat in silentio. Licet ergo audire eum, & videre quisnam sit: ne fortè ille sit, de quo dicit Apostolus, quòd propter nos pauper factus est, cùm diues esset, vt illius paupertate nos ditaremur. Si ergo ipse est; quomodo pauper? Nam quomodo diues, quis non videt? Vnde enim homines sunt diuites? Puto, auro, argento, familia, terra: sed omnia per ipsum facta sunt. Quid ergo illo ditius, per quem factæ sunt diuitiæ, illæ etiam, quæ non sunt veræ diuitiæ? Per illum enim & illæ diuitiæ, ingenium, memoria, motus, vita, ipsius corporis sanitas, sensus, confirmatioque membrorum. Etenim cùm hæc salua sunt, & pauperes diuites sunt. Per illum & illæ maiores diuitiæ, fides, pietas, iustitia, charitas, castitas, mores boni. Nemo enim & has habet, nisi per eum qui iustificat impium. Ecce quàm diues. Quis enim magis diues, qui habet quod vult alio faciente, an qui facit quod vult & alio habente? Puto quia ditior ille, qui fecit quod habes. Quia quod ille habet, tu non habes. Ecce quàm diues. In hoc tam diuite vnde agnituri sumus hæc verba pauperis, in Psalmo dicêtis, Cinerem sicut panem manducaui, & potum meum cum fletu miscebam? Vnde? Hùcne illæ tantę diuitiæ peruenerunt? Multum illud excelsum; multum hoc abiectum. Quid faciemus? Quemadmodum ista ima illis summis

[1] In Psal. 101. in initio. — 2. Corinth. 8. — Psalm. 101.

ſummis comparabimus? Nimis ab inuicem longè ſunt. Nondum agnoſco iſtum pauperem. Alius eſt fortaſſe. Sed adhuc quæramus. Vnde enim nobis non videtur ipſe? Miraris ſi interrogas, & non expaueſcas diuitias, Ioan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deu. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Qui iſta dixit, cùm diceret, diues erat: quanto magis ille, de quo dicebat, In principio erat Verbum? Et non qualecunque verbum, ſed Verbum Deus: & non vbicunque; ſed apud Deum: & non vacans; ſed omnia per ipſum facta ſunt. Quid tandem? Cinerem tamen ſicut panem manducauit, & potum ſuum cum fletu commiſcuit. Metuendum eſt, ne tantis diuitiis noſtra paupertas faciat iniuriam. Quære adhuc tamen, ne ipſe ſit pauper iſte: quoniam Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Pſalm. 115. Reſpice & illam vocem: Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Attende ancillam illam caſtam, & virginem & matrem. Ibi enim accepit paupertatem noſtram, vbi ſerui Philip. 2. formam indutus eſt, ſemetipſum exinaniens: ne diuitias eius expaueſceres, & ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Ibi accepit, inquam, formam ſerui. Ibi noſtram indutus eſt paupertatem. Ibi ſe pauperauit. Ibi nos ditauit. Iam ergo propinquamus de illo hæc intelligere. Verumtamen adhuc Daniel. 2. temerè non eſt pronunciandum. Partus virginis eſt, lapis ſine manibus, de mõte præciſus, vbi nullus hominum operatus eſt, nulla transfuſa concupiſcentia, ſed ſola fides accenſa, & Verbi Luc. 2. caro concepta. Deinde proceſſit ex vtero: Locuti ſunt cæli; an- Matth. 2. geli paſtoribus nunciauerunt; ſtella ad adorandum regem Ma- Luc. 2. gos traxit; Simeon impletus Spiritu ſancto, infantem Deum in matris manibus agnouit. Acceſſit ætas, non diuinitati, ſed carni. Horrent, miranturque ſapientiam Dei pueri duodennis, imperiti ſenes. Aut etiam ſi periti ſenes; quid illorum peritia ad Verbum Dei? Quid illorum peritia ad Sapientiã Dei? Nónne & periti, niſi illo ſubueniente, vtique perituri? Creſcit adhuc ætate corporis, venit ad fluuium baptizandus. Baptizator Deum agnoſcit, indignum ſe ſoluendæ calciamenti corrigiæ confitetur. Iam inde, cæci illuminãtur, ſurdis aperitur auditus, loquuntur muti, mundantur leproſi, ſtringuntur paralytici, conualeſcunt languidi, reſurgunt mortui. Iam quidem in Verbi illius, per quod facta ſunt omnia, comparatione diuitiarum, agnoſco paupertatem, ſed quàm longè adhuc à cinere &

fletu

fletu cum potu? Adhuc timeo dicere, Ipse est ille pauper; & tamen *dicere* volo. Sunt enim hîc, quæ me cogāt velle; & rursus quædam quæ me cogunt timere. Ipse est, & non est ipse. Iam in forma serui est, iam mortalem fragilemque carnem portat, iam infirmus & moriturus aduenit: & tamen nondum intelligitur in hac egestate, Cinerem sicut panem manducaui, & potum meum cū fletu miscebam. Addat ergo paupertatem paupertati, & transfiguret in se corpus humilitatis nostræ. Sit caput nostrum; simus membra eius: sint duo in carne vna. Iam enim primitus vt pauper esset, formam serui accipiens, dimisit patrem. Qui autem de virgine natus est, dimittat & matrem, & adhæreat vxori suæ, & sint duo in carne vna. Ita enim erunt duo & in voce vna, & in illa vna voce non mirabimur nostram vocem: Cinerem sicut panem manducaui, & potum meū cum fletu miscebam. Dignatus est enim habere nos membra. Sunt & pœnitentes in membris eius. Non enim exclusi & separati sunt ab Ecclesia eius. Nec omnino sibi adiungeret coniugem, nisi illa voce, Agite pœnitentiam; appropinquabit enim regnum cælorum.

Psalm. 101. Matth. 4.

CAP. X.

Infirmus factus est Christus; & eius infirmitas nostra est fortitudo.

1 Aliquid etiam me dicere admonet in hoc loco, Capitis ipsius nostri sublimitas, *hoc est, Christi*: quoniam infirmatus est vsque ad mortem, & assumpsit infirmitatis carnem, vt pullos Hierusalem colligeret sub alas suas, tanquam gallina infirmata cum paruulis. Non enim in aliqua aue hoc aliquando conspeximus, earum etiam quæ nidificant ante oculos nostros, sicut *sunt* parietum passeres, sicut hirūdines tanquam animę nostræ hospites; sicut ciconiæ, sicut aliæ atque aliæ aues, quæ ante oculos nostros nidificāt, & ouis insidūt, pullos alunt; sicut ipsæ columbæ, quas quotidie videmus; aliquando autem infirmari cum paruulis non cognouimus, non aspeximus, non vidimus. Gallina quomodo hoc habet? Certè notam rem dico, quæ in conspectu nostro quotidie versatur; quomodo raucescit vox, quomodo fit hispidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ. Et vides circa pullos nescio quid ægrotum, & ea est materna charitas, quæ inuenitur infirmitas. Quare ergo Dominus, nisi propter hoc, gallina esse voluit, in sancta Scri-

1 In Psal 58. post initium.

Vide in Psal. 90. conc. 1. in medio. & To. 4 li. 1. quæst. Euang. ca 36.

ptura dicens; Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, tanquã gallina pullos suos sub alas, & noluisti? Congregauit autem omnes gẽtes tanquam gallina pullos suos, qui infirmatus est propter nos, accipiens carnem à nobis, id est, à genere humano, crucifixus, contemptus, alapis cæsus, flagellatus, ligno suspensus, lancea vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis est, non amissæ maiestatis. Cùm talis ergo esset Christus, & tamen carnem sine peccato suscepisset, factus est particeps nostræ infirmitatis, non iniquitatis: vt ex eo, quod nobiscum communicauit infirmitatem, solueret nostram iniquitatem. Quid ergo? Secundum id quod Deus est, non est agnoscendus; & illud solum in eo cõsiderandum est, quod propter nos factus est, non illud, quod nos fecit? Planè etiam illud considerandum est: quia magnum pietatis indicium est, nosse quis pro te quid sustinuit. Non quicunque paruus pro magno, sed pro te infirmo ille summus. Quid? Suprà audi, Qui cũ in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est, esse se æqualem Deo. Ergo æqualis Deo semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo: & ita exinaniuit, vt assumeret quod non erat; non vt amitteret quod erat. Quomodo ergo se exinaniuit? Quia tibi talis apparuit: quia tibi dignitatem, quam apud Patrem habet, non demonstrauit: quia tibi nunc obtulit infirmitatem. 2 Infirmum eum vis nosse? Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Fortitudo Christi te creauit, infirmitas Christi te recreauit. Fortitudo Christi fecit, vt quod non erat, esset: infirmitas Christi fecit, vt quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine sua; quæsiuit nos infirmitate sua. Nutrit ergo ipse infirmus infirmos, tanquam gallina pullos suos: huic enim se similem fecit. Sic ergo infirmus Iesus. Infirmus in carne; sed noli tu spiritu infirmari. In illius infirmitate tu fortis esto: quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Sub hac rerum imagine, Adam qui erat forma futuri, præbuit nobis magnum indicium sacramẽti: imò Deus in illo præbuit. Nam & dormiens meruit accipere vxorem; & de costa eius facta est ei vxor, quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia. De latere eius, de latere scilicet dormientis: quia & de latere in cruce pendentis, lancea percusso, sacramenta Ecclesiæ profluxerunt. Sed quare hoc dicere volui? Quia infirmitas Christi nos facit fortes. Magna ibi imago præcessit. Potuit Deus

Philip 2.

2 To.9. Tract. 15 in Ioan. ante med.

Vide Ser. 29. de verb. Dom. in fine. 1. Cor. 1. Rom. 5.

Gen. 2.

Ioan. 19.

Deus carnem detrahere homini, vnde faceret feminam; & magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim sexus infirmior & magis de carne infirmitas fieri debuit, quàm de osse: ossa enim in carne infirmiora sunt. Nō detraxit carnem, vnde faceret mulierem; sed detraxit os: & detracto osse formata est mulier, & in locum ossis caro adimpleta est. Poterat pro osse os reddere, poterat ad faciendam mulierem non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significauit? Facta est mulier in costa tanquam fortis: factus est Adam in carne tanquam infirmus: Christus est, & Ecclesia. Illius infirmitas, nostra est fortitudo; [3] si modò agnoscamus infirmitatem nostram, vt quasi pulli infirmi fugiamus sub alas matris, ne à miluo rapiamur. Fugiamus sub alas matris sapientiæ: quia & ipsa sapientia infirmata est propter nos, quia Verbum caro factū est. Sicut ergo infirmatur gallina cum pullis suis, vt protegat eos alis suis: sic Dominus noster Iesus Christus, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; vt infirmaretur nobiscum, & alis suis protegeret nos, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus est, & habitu inuentus vt homo.

Nota.

3 In Psal. 90. conc. 2. post princip.

Cap. XI.

Christus, quo mysterio dicatur vel legatur esse pelicanus, nycticorax, & passer.

P*Raeterea, cùm ad eandem mysterij rationem pertinere videatur,* [1] quod dicitur vel etiam legitur de pelicano; non hoc taceamus: non aliquid affirmantes temerè, sed tamen non taceamus, quod, qui scripserūt, & legi & dici voluerunt. Dicuntur hæ aues tanquā colaphis rostrorum occidere paruulos filios suos, eosdemque in nido occisos à se, lugere per triduum. Postremò dicunt matrem seipsam grauiter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi reuiuiscunt. Fortasse hoc verum, fortasse falsum sit: tamen si verum est, quemadmodū illi congruat, qui nos viuificauit sanguine suo, videamus. Congruit illi, quód matris caro viuificat sanguine suo filios suos? Satis congruit. Nam & ipse, *vt suprà dictum est,* gallinam se dicit super pullos suos. Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, tanquam gallina pullos suos sub alas, & noluisti? Habet enim paternam authoritatem, habet

1 In Psal. 101. cōc. 1. in med.

Matth. 23.

1. Corinth. 4. habet maternum affectū: sicut & Paulus & pater est, & mater est; non per seipsum, sed per Euangelium. Pater est, vbi dicit, Et si habeatis multos pædagogos in Christo, sed non multos patres: in Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui: Galat. 4. Mater autem, vbi ait, Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Habet ergo hæc auis, si verè ita est, magnam similitudinem carnis Christi, cuius sanguine viuificati sumus. Sed quomodo congruit Christo, quòd ipsa occidit filios suos? An & illi non congruit, Ego occidam, & ego Deuter. 32. viuificabo? ego percutiam, & ego sanabo? An verò Saulus persecutor moreretur, nisi in cælo percuteretur? Aut prædicator excitaretur, nisi illius sanguine viuificaretur? Sed hoc viderint, qui scripserunt; non in incerto intellectum nostrum constituere nos debemus. Hanc autem potius in solitudine cognoscamus. Hoc enim inde Psalmus voluit ponere *in versiculo quo* Psalm. 101. *dicitur*, Similis factus sum pelicano, qui habitat in solitudine: factus sum sicut nycticorax, quæ habitat in parietinis, & factus 2 Ibidem sup. sum sicut passer singularis in tecto. 2 Ecce tres aues, & tria loca, *in hoc versu comprehensa*, quid sibi velint, donet Dominus ☞ vt dicamus. Quæ tres aues? Pelicanus, nycticorax, & passer: & tria loca, solitudo, parietina, & tectum. Pelicanus in solitudine, nycticorax in parietinis, passer in tecto. Primò quid sit pelicanus, dicendum est. In ea quippe regione nascitur, vt nobis ignota hæc auis sit. Nascitur in solitudinibus, maximè Nili fluminis, in Aegypto. Qualibet hæc auis sit, quod de illa Psalmus dicere voluit, hoc intueamur. Habitat, inquit, in solitudine. Quid quæris formam eius, membra eius, vocem eius? Quantum tibi Psalmus dicit, auis est in solitudine habitans. Nycticorax auis est amans noctem. Parietinæ dicuntur, quas vulgo dicimus ruinas, vbi parietes stant sine tecto, sine habitantibus: ibi habitat nycticorax. Iam verò passer, & tectum, quid sit, nouimus. Inuenio ergo aliquem de corpore Christi, prædicatorem verbi, compatientem infirmis, quærentem lucra Matth 25. Christi, reminiscentem Domini sui venturi, ne dicat, Serue nequam & piger, dare debueras pecuniam meā nummulariis. Ex huius dispensatoris officio videamus hæc tria. Venerit inter aliquos, vbi Christiani non sunt; pelicanus est in solitudine. Venerit ad eos qui fuerunt, & ceciderunt: nycticorax est in parietinis. Non enim deserit tenebras eorum qui habitant in nocte: & ipsos lucrari vult. Venerit ad eos qui Christiani sunt quidem,

quidem, habitantes in domo, non quasi qui non crediderint, aut, quod crediderint, dimiserunt, sed in eo quod credunt, trepidè ambulantes; clamat ad eos tanquam passer. Non in solitudine, quia Christiani sunt; nec in parietinis, quia non ceciderunt; sed tamen in tecto sunt, vel sub tecto potiùs, quia sub carne sunt. Ille super carnem clamat passer, qui præcepta Dei non tacet, nec fit carnalis, vt subiiciatur tecto. Sed quid de his plurimum? Ipsum Dominum iterum videamus, ne fortè ipse sit, & melius ipse agnoscatur, & pelicanus *natus* in solitudine, & nycticorax in parietinis, & passer singularis in tecto. *Quasi enim* 3 in solitudine natus est, quia solus de virgine natus. Post nativitatem ventum est ad passionē. A quibus crucifigebatur? Nunquid à stantibus? Nunquid à lucentibus? Ergo tanquam in nocte ignorantiæ ipsorum, & tanquam in parietinis, ruinis ipsorū. Ecce nycticorax, & in parietinis amat & noctem. Nam nisi amaret, vnde diceret, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Deinde natus in solitudine, quia solus ita natus; passus in tenebris Iudæorum, tanquam in nocte, in prævaricatione tanquam in ruinis. Quid postea? Ascendit in cælum, factus est sicut passer volando, id est, ascendendo singularis in tecto, id est, in cælo. Ergo pelicanus nascendo, nycticorax moriendo, passer resurgēdo. Ibi in solitudine velut solus? hîc in parietinis velut ab eis occisus, qui stare non potuerunt in ædificio; hîc verò iam vigilans & volans singularis in tecto: ibi interpellat pro nobis. Caput enim nostrum passer est; corpus illius, turtur. Etenim passer inuenit sibi domum. Quam domum? In cælo est, interpellat pro nobis. Et turtur nidum sibi: Ecclesia Dei nidum de ligno crucis ipsius, vbi ponat pullos suos, paruulos suos. 4 Non enim abiicit eos vbicunque; sed inuenit sibi nidū, vbi eos ponat, *donec pennis pleni adolescant, & perfecti ad volandum fiant.* 5 Hoc est enim quod Apostolus dicit Paulus, Vt vltra iam non simus paruuli, iactati & circumdati omni vento doctrinæ. Superius autem dixerat, Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in agnitionem filij Dei, in virū perfectum, in mensurā ætatis plenitudinis Christi. Plenitudo ergo Christi, caput & membra. Quid est, caput & membra? Christus & Ecclesia. Arrogaremus enim nobis hoc superbè, nisi ipse dignetur hoc promittere, qui per Apostolum eundem dicit, Vos autem estis corpus Christi, & membra. 6 Loquitur enim paruulis paruus, sed ipse ita paruus, vt & magnus: nos autem parui, sed

3 Ibidem inf.
Luc. 23.
Vide Ho. 33. inter quinquag.
Psal. 83.
4 In Psal. 83. in medio.
5 To. 9 Tract. 21. in Ioan. in medio.
Ephes. 4.
1. Corinth. 12.
6 Ibidem sup.

sed in illo magni. Loquitur tanquam mater fouens & nutriens
7 To. 3. lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 18. lactentes, & amando crescentes. 7 Neque enim ad hoc ipsa Dei sapientia, nostra infirmitate suscepta, *missa a Patre* venit ad colligendos sub alas suas filios Hierusalem, quemadmodum gallina pullos suos; vt semper paruuli, sed vt malitia infantes, mente pueri esse desinamus.

Cap. XII.

Infirmitas Christi, paruulis lac est: eius diuinitas maioribus solidus cibus.

1 To. 9 Tract. 3. in epist. Ioã. in initio. 1 QVisquis ergo nouit natum esse se, *& in carne sua natum & infirmatum esse filium Dei intelligit*; audiat quia puer est, & infans, auidè inhiet vberibus matris, & citò crescat. Est autem mater Ecclesia: & vbera eius duo testamenta Scripturarum diuinarum. Hinc sugatur lac omnium sacramentorum, temporaliter pro æterna salute nostra gestorum: vt nutritus atque roboratus perueniat ad manducandum cibum, quod est, In (Ioan. 1.) principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Lac nostrum Christus humilis est: cibus noster, idē ipse Christus æqualis Patri. Lacte te nutrit, vt pane pascat.
2 In Psal. 130. in medio. 2 Ecce panis paratus est tibi: sed prius cresce de lacte, vt ad panem peruenias. Et quomodo, inquis, cresco de lacte? Quod tibi factus est Christus ad infirmitatem tuam, hoc prius crede, & fortiter tene. Quo modo ergo mater, cùm viderit filium minus idoneum ad capiendum cibum, ipsos cibos ei dat, sed (Vide Ser 32. de ver. Dom. in fine.) traiectos per carnem suam: (Nam ipse est panis, de quo infans pascitur, quo & mater eius pascitur, sed ad mensam infans minus idoneus est, ad mamillam idoneus est: panis ergo de mensa traiicitur per matris mamillam, vt sic perueniat idem alimentum ad paruum infantem:) Sic Dominus noster Iesus Christus cùm esset Verbum apud Patrem, per quod facta sunt (Philip. 2.) omnia, qui cùm in forma Dei esset, nō rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, qualem caperent pro modo suo angeli, & vnde in cælo potestates & virtutes intellectuales pascerentur: homo autem infirmus & carne inuolutus iaceret in terra, nec posset ad eum peruenire panis cælestis, vt panem angelorum (Psalm. 77.) mãducaret homo, & manna descēderet ad veriorem populum (Ioan. 1.) Israel: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quapropter ipsis infirmis Paulus Apostolus hoc dicit, quos dicit

ani-

animales & carnales: Nunquid dixi me scire aliquid in vobis, 1 Cor. 2.
nisi Iesum Christum,& hunc crucifixum? Nam Christus erat
& non crucifixus: In principio erat Verbum, & Verbum erat
apud Deum,& Deus erat Verbum. Et quia ipsum Verbum caro
factum est, & ipsum Verbum crucifixum est: sed non est mutatum in hominem,homo in illo mutatus est. Mutatus est homo in illo, vt melior fieret quàm erat; non vt ipsa substantia Verbi conuerteretur. Per id ergo quod homo erat,mortuus est Deus: & per id quod Deus erat, excitatus est homo, & resurrexit,& ascendit in cælum. Quicquid passus est homo, non potest dici, non passus est Deus, quia Deus erat hominem assumendo,sed non est mutatus in hominem: quomodo non potes dicere, non te passum iniuriam, si vestis tua conscindatur. Et quando quereris vel amicis, vel in iudicio, hoc dicis iudici, Conscidit me. Non dicis,conscidit birrhum meum; sed,conscidit me. Si potuit & meruit vestis tua dici tu, quæ non est tu, sed vestis tua; quanto potiùs meruit audire caro Christi, templum Verbi, vnitū cum Verbo; vt quicquid in carne pateretur, Deus ipse pateretur? quamuis Verbum nec mori potuerit, nec corrumpi, nec mutari, nec occidi: sed quicquid horum passum est,in carne passum est. Et noli mirari,quia Verbum nihil passum est: nec anima hominis potest pati aliquid, occisa carne, dicente ipso Domino, Nolite timere eos qui corpus occidunt, Matth. 10.
animam autem non possunt occidere. Si anima non potest occidi, Verbum Dei poterat occidi? Et tamē quid dicit? Flagellauit me, colaphizauit me, percussit me, dilaniauit me: totum hoc non fit in anima; & tamen non dicit nisi me, propter vnitatem consortij ipsius. Dominus ergo noster Iesus Christus panis, se fecit nobis lac, incarnatus,& apparens mortalis. Hinc crescamus; ipso lacte nutriamur: antequam validi simus ad capiendum Verbum, non recedamus à fide lactis nostri. 3 Et 3 Ser. 38. de verb. Domini in fine.
verè dictum est lac. Lac enim dat paruulis, vt cibum sapientiæ det maioribus. Lactare patienter, vt auidè *cibo* pascaris. 4 Sed 4 In Psal. 119. in medio.
dicturus es mihi, Ille quidem cibus est, sed ego infans sum, lactandus sum, vt idoneus fieri possim ad manducandum cibum. Ergo quia tu lacte nutriendus es, ille autem cibus est: ipse cibus per carnē tibi traiectus est ad fauces. Quomodo ergo cibum mater comedit, vt per carnē traijciat ad infantē lactētem, Vide in Psal. 30. conc. 2. in medio.
lac factum: sic cibus angelorum Dominus, Verbū caro factum est,& factus est lac. Et dicit Apostolus, Lac vobis potum dedi, 1. Cor. 3.

non

non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc modo potestis. Ergo dando lac, descendit ad paruulos: & quia descendit, descendentem dedit. Ait enim, Nunquid dixi me aliquid inter vos scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum? Quia si diceret tantùm, Iesum Christum (est enim Iesus Christus etiam secundum diuinitatem, secundùm id quod erat Verbum apud Deum Filius Dei, Iesus Christus:) hunc, id est, hoc modo dictum paruuli non capiunt. Quomodo ergo capiunt, qui lac capiunt? Iesum Christum, inquit, & hunc crucifixum. Suge quod pro te factus est, & cresces ad id quod est.

CAP. XIII.

Soluitur quæstio; An aliter paruuli in fide, aliter perfecti de Christo Deo sint instruendi.

1. To 9. Tract. 98 in Ioan. in initio.

1 Est autem quæstio, vtrum spiritales homines, *qui perfecto cibo pascuntur*, habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant, & spiritalibus dicant. Quia si dixerimus, non habent; respondebitur nobis, Quid est ergo quod dicebat Apostolus, scribens ad Corinthios, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus? Quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales? Si autem dixerimus, habent: timendum, & cauendum est, ne sub hac occasione, in occultis nefaria doceantur, & spiritalium nomine, velut ea quæ carnales capere non possunt, non solùm excusatione dealbanda, verùm etiam prædicatione laudanda videantur. Primùm ergo scire debemus, quòd ipse Christus est crucifixus: quo velut lacte paruulos aluisse se dicit Apostolus. Ipsa verò caro eius, in qua facta est vera mors eius, & vulnera vera crucifixi, sanguisque percussi, non eo modo à carnalibus, quo ab spiritalibus cogitantur: & illis est lac, istis cibus: quia etsi non audiunt amplius, intelligunt amplius. Non enim æqualiter mēte percipitur, etiam quod in fide pariter ab vtrisque recipitur. Ita fit, vt prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus, & Iudæis esset scandalum, & Gentibus stultitia, & ipsis vocatis Iudæis & Græcis, Dei virtus, & Dei sapientia: sed carnalibus paruulis id tantùm credendo tenentibus, spiritalibus autē capacioribus id etiam intelligendo cernentibus. Illis ergo tanquam lacteus potus, istis tanquam solidus cibus; non quia hoc

1. Cor. 3.

1. Cor. 1.

hoc illi aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognouerunt: sed quod eodem modo vtrique, cùm palam diceretur, audiebant, pro suo modo quique capiebant. Cùm enim Christus propterea sit crucifixus, vt in remissionem peccatorum sanguinem funderet, qua eius vnigeniti passione diuina gratia commendatur, vt nemo in homine gloriaretur: quomodo intelligebant Christum crucifixum, qui adhuc dicebãt, Ego sum Pauli? Nunquid quo modo ipse Paulus, qui dicebat, Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi? De ipso itaque Christo crucifixo & ipse cibum pro sua capacitate sumebat, & illos lacte pro eorum infirmitate nutriebat. Denique illa quę scripsit ad Corinthios aliter vrique ab ipsis paruulis, aliter à capacioribus posse intelligi sciens, ait, Si quis est inter vos Propheta, aut spiritalis, agnoscat quæ scribo vobis; quia Domini est mandatum. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Solidam profectò voluit esse scientiam spiritalium, vbi non sola fides accommodaretur, sed certa cognitio teneretur: ac per hoc illi ea ipsa credebant, quæ spiritales insuper agnoscebant. Ignorabitur autem, ait, qui ignorat; quia nõdum ei reuelatum est, vt quod credit, sciat. Quod cùm fit in hominis mente, ipse dicitur cognosci à Deo, quia Deus illum cognoscentem facit. Hoc igitur primitus cognito, quod ipsa, quæ simul audiunt spiritales atque carnales, pro suo quique modulo capiunt; illi vt paruuli, isti vt maiores; illi vt lactis alimentum, isti vt cibi solidamentum; nulla videtur esse necessitas, vt aliqua secreta doctrinæ taceantur & abscõdantur fidelibus paruulis, seorsum dicenda maioribus, hoc est, intelligentioribus: & hoc ideo faciendum putetur, quia dixit Apostolus, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Hoc ipsum enim, quod nõ iudicauit se scire in eis, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quia id sicut spiritales capere non volebant. Animalis enim homo, id est, qui secundum hominem sapit, (animalis dictus ab anima, carnalis à carne: quia ex anima & carne constat totus homo) non percipit quæ sunt spiritus Dei, id est, quid gratiæ credentibus crux conferat Christi: & putat hoc illa cruce actum esse tantummodo, vt nobis vsque ad mortem pro veritate certantibus imitandum præberetur exemplum. Nam si scirent huiusmodi homines, qui nolunt esse nisi homines, quemadmodum Christus crucifixus, factus sit nobis sapientia

1 Cor. 1.
Galat. 6.
1 Corint. 14.
1 Corint. 3.
1 Corint. 2.

1 Cor. 1. à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur: procul dubio non gloriarentur in homine, nec carnaliter dicerent, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: sed spiritaliter, Ego sum Christi.

2 Cor. 10.

1 Cor. 3.

Cap. XIIII.

Cibus perfectorum, non est contrarius lacti paruulorum: quia & panis hominum, factus est Dominus angelorum.

1 Ibidem. immediatè. Hebr. 5.

1 Verum illud adhuc quæstionem facit, quod in Epistola ad Hebræos legitur, Cùm iam deberetis tempore ipso esse doctores, iterum doctrina indigetis, quæ sint elemēta sermonum Dei; & facti estis opus habentes lacte, non solido cibo. Omnis enim qui lactet, inexpertus est verborum iustitiæ: infans est enim. Perfectorum est autem solidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus, ad separandum bonum à malo. Hic enim videmus tanquam definitum esse, quem perfectorum dicit solidum cibum; & hoc esse illud, quod ad Corinthios scriptū est, Sapientiam loquimur inter perfectos. Quos autem perfectos voluerit hoc loco intelligi, subiecit, atque ait, Qui per habitum exercitatos habent sensus ad separandum bonum à malo. 2 Quod autem in lactis commemoratione posuit & doctrinam, ipsa est, quæ per symbolum traditur, & orationem Dominicam. Sed huic lacti absit vt sit contrarius cibus rerum spiritualium, firma intelligētia capiendus. Nam & in ipsis, quæ sumimus, alimentis, vsqueadeo non est lacti contrarius solidus cibus, vt ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis peruenit carnem, sicut fecit etiam mater ipsa sapientia; quæ cùm sit in excelsis angelorum cibus, dignata est quodammodo lactescere paruulis, cùm Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Sed ipse homo Christus, qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione sincerum lac dicitur paruulorum; cùm bene ab spiritalibus capitur, inuenitur Dominus Angelorum. Proinde nec sic paruuli sunt lactandi, vt semper non intelligant Deum Christum: nec sic ablactandi, vt deserant hominem Christum. Quod alio modo id ipsum ita dici potest. Nec sic lactandi sunt, vt creatorem nunquam intelligāt Christum: nec sic lactandi, vt mediatorem vnquam deserant Christum. In hoc quippe non conuenit huic rei similitudo materni lactis & so-

1 Cor. 2.

2 Ibidem sup.

Ioan. 1.

& solidi cibi; sed potius fundamenti: quia & puer, quando ablactatur, vt ab alimentis infantiæ iam recedat, inter solidos cibos non reperit vbera quæ sugebat. Christus autem crucifixus, & lac sugentibus,& cibus est proficientibus. Fundamēti verò ideo est aptior similitudo; quia vt perficiatur quod struitur, additur ædificiū, non subtrahitur fundamētum. Quæ cùm ita sint, ô quicunque estis, qui sine dubio multi estis, paruuli in Christo, proficite ad solidum cibum mentis, non ventris. Proficite ad separandum bonum à malo, & magis magisque inhærete mediatori, per quem liberamini à malo. [3] Talem quippe Deus se præbuit hominibus, vt etiam panem de cælo miserit, & filium suum æqualem, qui hoc est quod ipse, dederit hominem faciendum, & pro hominibus occidendum: vt per hoc quod tu es, gustes quod nō es. Multum enim ad te erat gustare suauitatem Dei, quia remota illa erat, & nimis alta: tu autem nimis abiectus, & in imo iacens. In magna ista separatione missus est mediator. Non poteras ad Deum homo: Deus factus est homo, vt, quoniam homo potes ad hominem, qui nō posses ad Deum, per hominem venires ad Deum: & factus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Sed si homo solum esset; hoc sequendo quod es, nunquam peruenires. Si Deus solùm esset, non comprehendendo quod non es, nunquam peruenires. Deus factus est homo, vt hominem sequendo, quod potes; ad Deum peruenias, quod non poteras. Ipse est mediator, inde *sicut Psalmus habet*, factus est suauis Dominus. Quid suauius pane angelorum? Quomodo ergo non est suauis Dominus, quando panem angelorum manducauit homo? Non enim aliunde viuit homo, & aliunde viuit angelus. Ipsa est virtus, ipsa est sapientia, ipsa est veritas Dei: sed quo modo ea perfruuntur angeli, tu nō potes. Illi enim quomodo perfruuntur? Sicuti est, In principio erat Verbū, & Verbū erat apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia. Tu autem quomodo contingis? Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vt autem panem angelorū manducaret homo, creator angelorum factus est homo. [4] Ecce cibus sempiternus: sed *hunc semper* manducant angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus: & manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportet ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret.

[3] In Psal. 134 in medio.

Psalm. 71.

Ioan. 1.

[4] In Psal. 33. concione 1. in media.

niret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur, ☞ nisi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem mamillæ & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. (Ioan. 1.) Vide ergo humilitatem: quia panem angelorum manducauit homo, vt scriptū est, Panem cæli dedit eis: panem angelorum (Psalm. 77.) manducauit homo, id est, Verbum illud, quo pascūtur angeli, sempiternum, quod est æquale patri, manducauit homo: quia cùm in forma Dei esset, nō rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. (Philip. 2.) Saginantur ergo illo angeli. Sed semetipsum exinaniuit, vt manducaret panem angelorum homo; formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: vt iam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini, nouum sacrificium, *& magnum sacramentum, quod in prophetiis & figuris ab antiquis temporibus fuit occultatum, & iam ad salutem omnium gentium dispensatum est.*

CAP. XV.

Christus & Ecclesia præfigurati sunt in Adam, & eius vxore Eua.

(1 To 9 Tract. 9. in Ioan. in medio.) 1 AD solum quidem populum Israel missus est Moyses, & ei soli populo per eum lex data est, & ipsi prophetæ ex illo populo fuerunt: & ipsa distributio temporum secundum eundem populum distincta est. Sed tamen quod illa prophetia etiam cæteris gentibus annunciabatur, manifestum est: quandoquidem Christus in ea occultus erat, in quo benedicuntur omnes gentes, sicut promissum est Abrahæ, dicente Domino; In semine tuo benedicentur omnes gentes. (Gen. 12. & 26.) Ergo omnibus gentibus dispensabatur prophetia. Quod vt emineat iocundius, pro tempore quædam commemoremus. In ipso exordio, Adam & Eua parentes omnium gentium erant, non tantummodo Iudæorum: & quicquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes vtique gentes pertinebat, quibus salus erat in Christo. Illud ergo

vnum,

vnum, quantum mysterium de Christo continet, quod commemorat Apostolus dicens: Et erunt duo in carne vna; Sacramentum hoc magnum est? Et ne quis istam magnitudinem sacramenti in singulis quibusque hominibus vxores habentibus, intelligeret; Ego autem, inquit, dico, in Christo & in Ecclesia. Quod est hoc sacramentum magnum, Erunt duo in carne vna? Cùm de Adam & Eua scriptura Genesios loqueretur, vnde ventum est ad hæc verba? *Vnde*? Propterea, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Si ergo Christus adhæsit Ecclesiæ, vt essent duo in carne vna: quomodo reliquit patrem? quomodo matrem reliquit? Patrem; quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Hoc est enim, Reliquit patrem; nõ quia deseruit, & recessit à patre: sed quia nõ in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri. Quomodo reliquit matrem? Relinquendo Synagogam Iudæorum, de qua secundum carnem natus est; & inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregauit. Et quia illuminauit nos per Apostolum Dominus, vt ostẽderet nobis quid ibi quæreremus in ipsa vna sententia, Erunt duo in carne vna, Sacramentum magnum in Christo & in Ecclesia; iam licet nobis vbique Christum quærere. Dormit Adam, vt fiat Eua: moritur Christus, vt fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eua de latere: mortuo Christo, lancea percutitur latus, vt profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Cui non appareat, quia in illis tunc factis futura figurata sunt; quandoquidem dicit Apostolus ipsum Adam formam futuri esse? Qui est, inquit, forma futuri. Præfigurabantur omnia mysticè. Neque enim verè non poterat Deus vigilanti costam educere, feminamque formare. An fortè ne doleret latus, quando costa detracta est, propter hoc oportebat vt ille dormiret? Quis est, qui sic dormiat, vt ei ossa, non euigilanti, euellantur? An quia Deus euellebat, propterea homo non sentiebat? Poterat ergo & vigilãti sine dolore euellere, qui poterat dormienti: sed proculdubio prophetia illius temporis, de futuro illo tẽpore dispensabatur.[2] Si ergo Adam forma futuri: quomodo de latere dormientis Eua facta est; sic ex latere Domini dormientis, id est, in passione morientis, & in cruce percussi de lancea, manauerunt sacramenta, quibus formaretur Ecclesia. Nam de futura eadẽ passione sua sic dicit

Ephes. 5.
Genes. 2.
Philip. 2.
Genes. 2.
Ioan. 19.
Roma. 5.
2 In Psal. 138. in initio.
Vide To. 1. li. 2 contra Manichæos, de Genes. ca 24.

Psalm. 3. in Psalmo, Ego dormiui,& somnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Ergo dormitio intelligitur passio. Eua de latere dormientis, Ecclesia de latere patientis. 3 Ecclesia enim coniunx Domini facta est de latere, quomodo Eua facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere *viri* dormientis: sic ista non est facta, nisi de latere *sponsi sui* morientis.

3 In Psal. 126. in medio.

Cap. XVI.

Ecclesia, Christi vxor est, & sponsa, & filij, & sorores, & fratres, & mater.

4 In Psal. 127. vltra mediū. 4 Porro in istis carnalibus nuptiis & coniugiis, alia vxor, & alij filij: in Ecclesia, quæ vxor, ipsi filij. Ad Ecclesiam enim pertinebant Apostoli, & in membris Ecclesiæ erant. Ergo in coniuge ipsius sponsi erant, & coniunx erant, secundū portionem suam, quam in membris obtinebant. Quare & de illis dicitur, Cùm recesserit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt filij sponsi. Ergo ipsa cōiunx, & ipsa filij. In verbis autem Domini inuenimus Ecclesiam & fratres ipsius esse, & sorores ipsius esse, & matrem ipsius esse. Nam cùm ei nūciaretur mater eius, & fratres foris stantes: quia foris stabant, typū gerebant. Quis typus matris? Synagoga. Quis typus fratrum carnalium? Iudæi foris stantes: & foris stat Synagoga. Nam Maria, & cognati eius ex virginis Mariæ consanguinitate venientes, in eum crediderunt: nō inquantum carnali consanguinitate iuncti erant; sed inquantum verbum Dei audiebāt, & faciebant. Hoc enim respondit Dominus, & ait: Quæ mihi mater, aut qui fratres? Vnde tentauerunt quidam dicere, quia Christus matrem non habuit, quia dixit; Quæ mihi mater? Quare? Ergo Petrus & Ioannes & Iacobus, & alij Apostoli patres non habuerunt in terra? Et tamen quid eis dicit? Nolite vobis dicere patres super terram; vnus est enim pater vester, qui in cælis est. Quod ergo in patre docebat discipulos, hoc in matre ipse demonstrauit. Vult enim Dominus vt consanguinitatibus terrenis præponamus Deum. Defer patri, quia pater est: defer Deo, quia Deus est. Generauit te pater accommodando carnem suam: creauit te Deus adhibendo potentiam suam. Ne irascatur pater, cùm Deus illi præponitur: imo gaudeat sibi tantum deferri, vt ille inuentus esset, qui ei deberet præponi. Ergo quid dicam? Dominus quid ait? Quæ mihi mater, aut qui fratres? Et extendit, inquit

Marc. 2.

Matth. 12.

Vide To. 6. li. de fide contra Manich. ca. 25

Matth. 23.

Nota.

inquit Euangelista, manus super discipulos suos, & ait: Ecce Marc. 3.
mater mea,& fratres mei. Fratres erant; mater quomodo erant?
Addit. Et qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est,
ipse mihi frater, & soror,& mater est. Puta frater,propter sexū
virilem, quem habet Ecclesia, quos hîc in mēbris habet Christus. Mater quomodo, nisi quia ipse Christus est in Christianis, quos Christianos per baptismum quotidie parit Ecclesia?
2 Item mater eius omnis anima pia, faciens voluntatem patris eius fœcundissima charitate, in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est; spiritaliter autem & soror & mater. Ac per hoc illa vna femina nō solum spiritu, verum etiam corpore, & mater est, & virgo. Et mater quidem spiritu, non Capitis nostri, quod est ipse Saluator, ex quo illâ magis spiritaliter nata est; quia omnes, qui in eum crediderunt; in quibus & ipsa est, rectè filij sponsi appellantur: sed planè mater membrorum eius, quod nos sumus; quia cooperata est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt. Corpore verò mater ipsius capitis, quam [3] elegit sibi hic thalamum castum, vbi coniungeretur sponsus sponsæ. Verbum caro factum est ex ea: vt fieret caput Ecclesię. Verbū enim ipsum non est pars Ecclesiæ, sed vt esset caput Ecclesię, carnem *ex Maria matre* assumpsit.

2 To 6. li. de Virg cap. 5. Vide etiam epist. 38. To. 2.

Ibidem de Virg. cap. 6.

3 In Psal. 14. ante medium

CAP. XVII.

Quomodo Ecclesia, cùm esset fœda, à pulchro sponso suo Christo sit amata.

1 HAbet ergo *Dominus noster Iesus Christus* hîc sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit Spiritum sanctum. Eruit eam de mancipatu diaboli: mortuus est propter delicta eius, resurrexit propter iustificationem eius. Quis offerat tanta sponsæ suæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentū, lapides preciosos, equos, mancipia, fundos, prædia; nunquid aliquis offeret sanguinem suum? Si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat vxorem. Dominus autem securus moriens, dedit sanguinem suum pro ea, quam resurgens haberet, quam sibi iam coniunxerat in vtero Virginis. Verbum enim spōsus, & sponsa caro humana. Ecce nuptię. 2 Ergo si gaudeamus in his nuptiis, & nos erimus cū iis, qui fiunt nuptiæ, qui inuitātur ad nuptias:

1 To. 9. Tract. 5. in Ioan. ante medium Rom. 4.

2 In Psal. 44. in princip.

& ipsi inuitati, sponsa est. Etenim sponsa Ecclesia est, sponsus Christus. Solent dici à scholasticis carmina quædam, vxores ducentibus & nubentibus, quæ vocantur epithalamia; quicquid ibi cantatur, ad honorem cantatur sponsi & sponsæ. An fortè & in nuptiis istis, quo inuitati sumus, thalamus non est?
Psalm. 18. Et vnde dicit Psalmus, In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo? Coniunctio certè nuptialis, Verbum & caro. Huius coniunctionis thalamus, Virginis vterus. Etenim caro ipsa Verbo est coniuncta.
Genes. 2. Vnde etiam dicitur, Iam non duo, sed vna caro. Assumpta est Ecclesia ex genere humano, vt caput esset Ecclesiæ ipsa caro, Verbo coniuncta; & cæteri credentes membra essent illius capitis. Nam vis videre quis venerit ad nuptias?
Ioan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Gaudeat sponsa amata à Deo. Quando amata? Dum
Rom. 3. adhuc esset fœda. Omnes enim peccauerunt, ait Apostolus, &
Ibidem 5. egent gloria Dei. Et iterum, Etenim Christus pro impiis mortuus est. Amata est fœda, ne remaneret fœda. Non enim verè fœda amata est: quia nō fœditas amata est. Nam si hoc amaret, hoc seruaret. Euertit fœditatem, seruauit pulchritudinem. Ad qualem venit, & qualem fecit? Veniat iam ipse in verbis propheticis. Ecce ipse sponsus procedat nobis. Amemus illum; aut si inuenerimus in eo aliquid fœdi, non amemus. Ecce ipse inuenit multa fœda, & amauit nos. Si aliquid fœdi inuenerimus in eo, non amemus: quia & hoc ipsum quod carnem in-
Esaiæ 63. dutus est (vt de illo etiam diceretur, Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem) si consideres misericordiam qua factus est; & ibi pulcher est. Quare ergo non habuit spe-
1 Cor. 1. ciem, neque decorem? Quia Christus crucifixus, Iudæis quidem scandalum, gentibus stultitia. Quare autem & in cruce habuit decorem? Quia quod stultum est Dei, sapientius est quàm homines. Nobis ergo iam credentibus vbique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum: pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum: quia & cùm esset
Lucæ 2. Matth. 2. infans, cùm sugeret, cùm manibus portaretur; cæli locuti sunt, angeli laudes dixerūt, Magos stella direxit, adoratus in præsepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pul-
cher

cher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in *affectu*, pulcher in intellectu. Neque oculos tuos à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa, & vera pulchritudo, iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehēderis iniustum. Si vbique iustus, vbique decorus. 3 Vt autem videretur oculis carneis, qui solem vident, ipsum tabernaculum suum in sole posuit, id est, carnem suam in manifestatione huius lucis ostendit: & illius sponsi thalamus fuit (*vt dictum est*) vterus Virginis: quia in illo vtero virginali coniūcti sunt duo, sponsus & sponsa. Sponsus Verbum, & sponsa caro: quia sic scriptum est, Et erunt duo in carne vna. Et Dominus in Euangelio, Igitur iam non duo, sed vna caro. Et Esaias optimè meminit vnum esse, ipsos duos. Loquitur enim ex ipsa persona Christi, & dicit, Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento. Vnus videtur loqui; & sponsum se fecit, & sponsam; quia nō duo, sed vna caro. Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: illi carni adiungitur Ecclesia, & fit Christus totus, caput & corpus. 4 Et vt noueris, quia vnus dicitur Christus caput & corpus suum; ipse dicit cùm de coniugio loqueretur, Erūt duo in carne vna; igitur iam non duo, sed vna caro. Sed fortè hoc dicit de quocumque coniugio. Audi Apostolum Paulum: Et erunt duo, inquit, in carne vna. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia. Fit ergo tanquam ex duobus vna quædam persona, ex capite & corpore, ex spōso & sponsa. Nam vnitatem personæ huius miram & excellentem commendauit ita (*vt audisti*) Esaias propheta, 5 vt dubitari non possit, Christum esse caput & corpus; sponsum & sponsam; filium Dei & Ecclesiam; filium Dei factum filium hominis propter nos, vt filios hominum faceret filios Dei; atque ita essent duo in carne vna, in sacramento magno, qui agnoscuntur frequenter in Prophetis duo, in voce vna.

3 To. 9. Tract. 1. in epist. Ioā. in initio. Genes. 2. Matth. 19. Vide in Psal. 101. Esaiæ 61. 4 In Psal. 30. con. 1 à princ. Matth. 19. Ephes. 5. 5 In Psal. 30. côc. 2. in med.

CAP. XVIII.

Ecclesia incepta ab Hierusalem, quomodo incrementa sua acceperit.

1 IPsa autem Ecclesia quomodo accepit *sua* incrementa? successus? profectionem? Quomodo destinatur ad finem quendā immortalitatis? Quibus præconiis prædicatur? quibus

1 In Psal 103. con. 3. in fine.

mysteriis cõmendatur? quibus sacramentis occultatur? qua prędicatione reuelatur? In primis [a] nemo dubitabit de Ecclesia, quia per omnes gentes est: nemo dubitat, quia ab Hierusalem cœpit. Agnoscimus agrum, vbi vitis plantata est: cùm autem creuerit, non agnoscimus, quia totum occupauit? Vnde cœpit? Ab Hierusalem. Quò peruenit? Ad omnes gentes. Paucæ *in India* remanserunt, omnes tenebit. Interea dum omnes tenet, aliqua sarmenta inutilia visa sunt agricolæ præcidenda, *quæ in diuersis locis ac temporibus* fecerunt hæreses & schismata. Non autem nos inducant ad hoc præcisa, vt præcidamur: hortemur magis, quæ præcisa sunt, vt iterum inserantur. Manifestum est enim, Christum passum, resurrexisse, ascendisse in cælum: manifestata est & Ecclesia, *eiúsque sacramenta*, quia prædicatur in nomine Christi pœnitẽtia, & remissio peccatorum per omnes gentes. Vnde inquam cœpit? Incipiens ab Hierusalem. Audit stultus vanus, *& hanc Ecclesiam* non credit. Et quid amplius dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? quia contra lucernam in candelabro positam, oculos claudunt, *& in Christum offendunt*. Occiderunt Iudæi, quem inuenerunt in terra; exufflant isti eum qui sedet in cælo. Qui sunt peiores, qui contempserunt, quia hominem putabant; an qui sacramenta eius exufflant, quem iam Deum confitentur? Denique [3] vbi inchoata est Ecclesia, nisi vbi venit de cælo Spiritus sanctus, & impleuit vno loco sedentes centum viginti? [4] Impleti autem Spiritu sancto, loquebantur repentè linguis omnium gentium, arguebant fidenter errores, prædicabant saluberrimam veritatem, exhortabantur ad pœnitentiam præteritæ culpabilis vitæ, indulgentiam de diuina gratia pollicebantur: prædicationem pietatis, veræque religionis signa congruentia & miracula consequebantur. Excitabatur aduersus eos sæua infidelitas, tolerabãt mala prędicta, sperabãt promissa, docebant præcepta; numero exigui per mundum disseminabantur, populos facilitate mirabili cõuertebant, inter inimicos augebantur, persecutionibus crescebant, per afflictionum angustias vsque in terrarum extrema dilatabãtur. Ex imperitissimis, ex abiectissimis, ex paucissimis illuminabantur, nobilitabantur, multiplicabantur præclarissima ingenia, cultissima eloquia: mirabilesque peritias acutorum, facundorum, atque doctorum subiugabant Christo, & ad prædicandum viam pietatis salutisq́; conuertebant. Alternis aduersitatibus & prosperitatibus

[a] To. 9 Tract. 2. in epist. Ioã. in principio.
Marc 4.
[3] Ibidẽ infra.
[4] To. 2. epi. 3.

tatibus rerum, patientiam & temperantiam vigilanter exercebant: mundo declinante in extrema, fessisque rebus ætatem ultimam protestante, multo fidentius (quia & hoc prædictum est) æternam ciuitatis cælestis felicitatem expectabant. Atque inter hæc omnia, contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremuit: euicit illa patiendo, & inconcussam fidem inter obsistentium sæuitiam profitendo: reuelatæ veritatis, quæ diu promissis mysticis velabatur sacrificio succedente: illa sacrificia, quibus præfigurabatur, templi ipsius euersione sublata sunt: reproba per infidelitatem gens ipsa Iudæorum, à sedibus extirpata, per mundum vsquequaque dispergitur, vt vbique portet codices sanctos, ac si propheticæ testimonium, qua Christus & Ecclesia prænunciata est, ne ad tempus à nobis fictum existimaretur, ab ipsis aduersariis proferatur.

Cap. XIX.

Ecclesia quare in persona Petri præfigurata; quam qui non amat matrem, Deum offendit Patrem.

1 HVius autem Ecclesiæ, Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatū, gerebat figurata generalitate personā. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat; gratia vnus Christianus, abūdantiori gratia vnus idemq́. Primus Apostolus. Sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum; &, Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis: vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diuersis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit; quoniam fundata est supra petram, vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: quia dixerat Petrus; Tu es Christus filius Dei viui. Super hāc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, soluendique peccata: quod

1 To. 9 Tract. 124. in Ioan. in medio. Vide Ser. 108. inter diuers. in edit. Plāt. cap. 2. Matth. 16. Vide Ser. 13. de verb. Dom. secundū Mat. 1 Cor. 10. Ibidem 3.

quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra: qua significatione intelligitur Christus petra; Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia, quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, amando & sequendo Christum, liberatur à malis, *liberatur à periculis.*
3 In Psal. 54. post princip. 3 Christus in mari ambulabat intrepidus: & Petrus voluit ambulare. Ille tanquam caput: Petrus tanquam corpus: quia super hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam. Iussus est ambulare; & ambulabat gratia iubentis, non viribus suis.
4 In Psal. 93. vltra medium 4 Non enim ausus est Petrus per seipsum ambulare super aquas. Sed quid ait? Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. Ille potestate sua; Petrus in iussu illius. Iube, inquit, tu venire me ad te. Respondit ille: Veni. Sed quia Ecclesia habet infirmitatem humanam, titubauit Petrus in mari, & exclamauit: Domine, pereo. Porrexit manum Iesus, dicēs, Modicæ fidei, vt quid dubitasti? Mirum est, quomodo probat Deus homines: ipsa pericula nostra *ad maiorem spem nos vrgent*, & dulciorem nobis faciūt libertatem.
5 In Psal. 33. in fine. 5 Non enim de se debet Christianus sperare, sed de Christo: si vult esse firmus, vapore materno nutriatur. Ille est enim gallina colligens pullos suos, de qua improperatur illi ciuitati, infideli Hierusalem: Quotiens volui *colligere* filios tuos, tanquā gallina pullos suos sub alis; & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. (Luc. 19.) Quia ergo illi noluerunt contegi sub alis gallinæ huius, & tale exemplum dederunt, quo timere debeamus à volaticis spiritibus immundis, quærentibus quotidie quod rapiant; intremus sub alas gallinæ huius diuinæ sapientiæ: quoniam propter pullos suos *&* *ipsa* infirmata est vsque ad mortem. Amemus Dominū Deum nostrum; amemus Ecclesiam eius: illum sicut patrem, istam sicut matrem: illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam eius, quia filij ancillæ ipsius sumus. (Psalm. 115.) Sed matrimonium hoc magna
 charitate compaginatur. Nemo offendet vnum, & promeretur alterum. Nemo dicat: Ad idola quidem vado, arreptitios quidem & sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo; Catholicus sum. Tenens matrem, offendis Patrem. Alius item dicit, Absit à me, non consulo sortilegum, non quæro arreptitium, non quæro dininationes sortilegas, nec eo ad adoranda dæmonia, non seruio lapidibus: sed tamē in parte Donati sum: *in parte Lutheri sum; in parte Caluini sum.* Quid tibi prodest, non offensus Pater, qui offensam vindicat matrem?

Quid

id prodeſt, ſi Dominum confiteris; & blaſphemas Eccle- Nota.
n eius? Non te corrigunt exempla humani coniugij? Si
eres aliquem patronum, cui quotidie obſequereris, cuius
ina ſeruiendo contereres; quem quotidie non dico ſaluta-
ſed & adorares, cui impenderes fidelia obſequia: ſi vnum
men de eius coniuge diceres, nũquid domum eius intrares?
ende ergo: tene Deum Patrem, & matrem Eccleſiam; *&*
oſce etiam qualem quantamq; poteſtatem in ea exercendam
epit Petrus à Christo Dei filio, & Catholica Eccleſiæ ſponſo.

Cap. xx.

Refellitur opinio illorum, qui dicunt nunc non eam eſſe Eccleſiam, quæ olim fuit.

Ed exiſtunt qui dicant: Illa Eccleſia, quæ fuit omniũ gen- 1 In Pſal. 91. cóc. 2. in med.
tium, iam non eſt; periit. Hoc dicunt, qui in illa non ſunt.
impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illa non es?
de ne tu ideo non ſis: nam illa erit, etſi tu non ſis. Hanc vo-
n abominabilem, & deteſtabilem, præſumptionis & falſi-
is plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illumina-
n, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem,
niciosãm, præuidit ſpiritus Dei. 2 Nolo mihi credatur, ſed 2 In Pſal. 47. in medio.
tibi: Chriſto credatur, Spiritui Dei per Prophetas credatur,
i Moyſi credatur. Quid dixit Moyſes de futuris his tem- Gen. 12. & 26.
ribus? Ad Abraham dictum eſt, In ſemine tuo benedicentur
nes gentes. An dubitas quid ſit ſemen Abrahæ? Puto quia
n Apoſtolus dixerit, non dubitabis. Quid dicit Apoſtolus?
rahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dixit, Et Galat. 3.
ninibus, tanquam in multis, ſed tanquam in vno; Et ſemini
, quod eſt Chriſtus. Ecce ante milia annorum dictum eſt
rahæ, In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes. Quod ante
lia annorum dictum eſt, & ab vno creditum eſt; modò iam
lemus impletum. Hoc legimus, hoc intuemur; & tu reſiſtis
ranſuerſo veniens? Quid dicturus? Noli credere. Cui? Spi-
ui Dei? Deo loquenti ad Abraham? Et cui credo? Tibi? Non
c dico, inquies. Non hoc dicis? Nõ dicis, Mihi potius crede, Vide To. 9. li. de Paſt. ca. 14.
ã ſpiritui Dei, & Deo loquẽti ad Abraham? Quid ergo mihi
is? Ille dedit, & ille tradidit. De Euangelio recitas hoc, de
oſtolo, de Prophetis? Diſcute omnes ſcripturas, lege mihi
c ex eis quibus credo: tibi enim nõ credo. Vnde lecturus es?

Hoc

Hoc mihi pater meus ait, hoc mihi auus meus, hoc mihi frater meus, hoc mihi Episcopus meus. Sed hoc Abrahæ Deus, In semine tuo benedicētur omnes gētes. Audit vnº homo, & credit, & fit in multis post multa tempora. Quādo dictū est, creditur: quando impletur, dubitatur? 3 Quis numerat testimonia de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa? quis numerat? Non sunt tot in orbe hæreses cōtra Ecclesiam, quot sunt testimonia legis pro Ecclesia. Quæ pagina non hoc sonat? Quis versus non hoc loquitur? Omnia clamant pro vnitate dominica; quia posuit fines Hierusalem pacem. Tu contra ista latras, hæretice? Vnde meritò dicitur in illa ciuitate, quod scriptum est in Apocalypsi, Canes foras. Tu contra ista latras. Vnde iudicasti de orbe terrarum? Quo tribunali? Præsumptione videlicet cordis tui. Altum tribunal, sed ruinosum.

3 Ibidē infra. Psalm. 147.

Psalm. 147.

Apoc. 22.

Cap. XXI.

Confirmatur ex Euangelio, quod ea sit Ecclesia, quæ toto orbe diffusa est.

1 Ibidem inf. Psalm. 147.

1 QVid pluribus immorer? Iam aperiatur Euangelium, legatur quod factum est, tanquam fiat. Ponantur ante oculos nostros gesta præterita, propter cauenda futura. Ecce Christus surgens à mortuis, ostēdit se discipulis suis. Nuptiæ ipsius. Ipse sponsus, Ecclesia sponsa. Ecce sponsus, qui dicebatur mortuus, absumptus, finitus; ecce integer resurrexit, ecce ostenditur oculis discipulorum, ecce præbetur contrectantibus manibus, ecce tetigerunt cicatrices, quæ desperatæ, sunt vulnera. 2 Et cùm putarent spiritum esse, dixit: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet; sicut me videtis habere. Et cùm adhuc præ gaudio trepidarēt, Habetis hic, ait, quod manducetur? Accepit, benedixit, mādcauit, & dedit eis. Expressa est veritas corporis, ablata est omnis suspicio falsitatis. Quid deinde? Non sciebatis quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me? Et quia illi credebant Moysi & Prophetis (verum enim erat, quod dixit Abraham, Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent:) quia ergo credebant Moysi & Prophetis, & non erant de ipsis quos reprehendebat Abrahā; audierunt quod ait Dominus, Nō sciebatis quia oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis,

2 Ibidem inf. Luc. 24.

Luc. 16.

phetis, & Psalmis de me? Ecce qui crediderunt Moysi & Prophetis, vides quemadmodum ex ipsorum testimonio credunt ei qui surrexit à mortuis. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & à mortuis resurgere tertia die. Habes iam sponsum Ecclesiæ. Sed nescio qui existũt, &, (quia non erramus in sponso, & ipsi videntur ea, quæ & nos, credere de sponso) vt à membris sponsi nos auocent; dicunt nobis: Ipse est quidem sponsus, quem creditis, quẽ & nos credimus; sed sponsa non est ipsa Ecclesia, quam tenetis. Et quæ illa est? Pars Donati, ***pars Caluini, pars Martini***. Et hoc quod tu dicis; hoc tu dicis, an sponsus? Tu dicis, an Deus per Moysen, Ecce Ecclesiam teneo? Dictum est à Moyse, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Genes. 12.
Tu dicis, an spiritus Dei per Prophetas, Ecclesiam teneo? Dictum est per Prophetam, Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Psalm. 21.
Ecce iam teneo testimonium legis, & testimonium Prophetarum: audiamus & eum qui surrexit à mortuis. Sequatur Propheta, & dicat: O Domine, video iam sponsum Christum: factum est, ne quis me auocet à membris sponsæ tuæ; & non sis mihi caput, si ego in membris eius non fuero; dic mihi de Ecclesia aliquid, qui iam de sponso eius non dubito. Audi & de Ecclesia: sequitur & dicit, Prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Luc. 24.
Sed hoc vbi? Alij enim dicunt, Ecce hîc; alij, ecce illic. Et quid ipse? Nolite credere. Exurgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dicent; Ecce hic; &, ecce illic. Math. 24.
Non enim de ipso Capite dicunt, Ecce hic; &, ecce illic: (notum est enim quod Christus in cælis est) sed de Ecclesia, vbi Christus est, qui ait, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Ibidem 28.
Quid est istud hæretice? Certè cùm recitarem Moysen, cùm recitarem Prophetas, distulisti, ad eum qui resurrecturus erat à mortuis. Ecce resurrexit, ecce dixit. Tam nullam habet dubitationem Ecclesia Christi, & vxor Christi; quàm nullam habet dubitationem corpus Christi, demonstratũ oculis, contrectatũ manibus discipulorum. Ecce qui resurrexit à mortuis, vtrumque ostendit: ostendit caput, ostendit membra: ostendit sponsum, ostendit sponsàm. Aut vtrumque mecum crede: aut illud in damnationẽ tuam credis. Audi illum loquẽtem, in quem credis. Prædicabitur in nomine eius pœnitentia, & remissio peccatorum. Luc. 24.
Vbi? Per latas terras.
Quid

Quid vis amplius? Remissio peccatorum in Christi nomine prædicatur. Vbi prædicatur? Per omnes gentes. Vnde? Incipiens ab Hierusalem. Communica huic Ecclesiæ. Quare litigamus? Cœpit enim hæc Ecclesia ab Hierusalem ista terrena, vt gaudeat de Deo in illa Hierusalem cælesti. Ab hac enim incipit, ad illam terminat. In illa, tota Ecclesia erit: ab ista, exordium fidei sumpsi.

Cap. XXII.

Quæ sit vesania hæreticorum, qui totum amittunt, vt partem teneant: domum Dei relinquunt, vt dealbatum sibi parietem erigant.

1 In Psal. 56. vltra medium — 1 QValem verò vesaniam patiuntur hæretici, quæso vt attendas. Illi præcisi à compagine Ecclesiæ Christi, & partem tenentes, & totum amittentes; nolunt communicare orbi terrarum, quo diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terra sumus, *in omni terra habitamus*: quia omni terræ communicamus, quacumque gloria Christi, *per domesticos Christi*, diffusa est. [2] Omnis quippe terra est domus eius. Si ergo omnis terra est domus eius; qui non hæret omni terræ, ruina est, non domus: ruina illa vetus, cuius vmbram habebat templum illud vetus. Ibi enim diruebatur vetustas, vt nouitas ædificaretur, *in qua ædificatione* vnus lapis, sunt omnes lapides. Ne mireris, hoc facit canticum nouum, id est, hoc facit innouatio charitatis. Ad ipsam structuram *domus Dei*, nos compingit Apostolus, *qui Dei gloriam, non suam annunciat*, & in illa vnitate nos constrictos compaginat, dicens: Sufferentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis. Vbi vnitas spiritus, ibi vnus est lapis: sed vnus de multis factus. Quomodo de multis vnus factus? Sufferendo inuicem in dilectione, *& honore inuicem præueniendo*. Ideo qui *non Dei, sed* gloriam suam *& honorem* annunciare venerunt, *quales omnes hæretici sunt*; noluerunt esse in ista domo: & propterea non cantant canticum nouum *charitatis* cum omni terra. Non enim communicant vniuerso orbi terrarum: & ideo non sunt ædificantes in domo, sed parietem dealbatum erexerunt. Quanta minatur Deus parieti dealbato? Sunt testimonia Prophetarum innumera. Quid est paries dealbatus, nisi hypocrisis, id est, simulatio? Foris lucet, intus lutum est.

2 In Psal. 50. à principio.

Ephes. 4.

Rom. 12.

Nota.

Quidam

Quidam de isto pariete dealbato cũ diceret, hoc ait: Quomodo in pariete nõ coniũcto aliis parietibus, sed singulariter erecto, si ostium facias; quisquis intrauerit, foris est: sic in illa parte, quæ noluit cantare cum Domino canticum nouum, sed partem voluit struere, & hanc dealbatam, non solidatam; quid valet, quod habet ianuam? Si intraueris, foris inueniris. Quia enim ipsi non per ianuam introierunt: & ianua ipsos non intromittit. Dominus enim dicit: Ego sum ianua; per me intratur. Qui sunt qui intrant per ianuam? Qui gloriam Domini quærunt, non suam. Qui intrant per ianuam? Qui faciunt, quod *in Psalmis dictum est*, Bene nũciate in gentibus gloriam eius. Qui intrat per ianuam, pastor ouium est; ait Dominus: qui autem per aliam partem ascendit, ille fur est, & latro. Qui per ianuam intrat, humilis est, qui per aliam partem ascendit, superbus est. Ideo illum dixit intrare, illum ascendere. Sed ille intrando recipitur: ille ascendendo *foras* præcipitatur, *quia de numero est illorum, de quibus dicitur: Et pauci facti sunt, & vexati sunt. Vt enim pauci fierent, ex nobis exierunt.*

Credo fuisse Optatũ episc.

Ioan. 10.

Psalm. 95.

Serm. 166.

CAP. XXIII.

Qua ratione, quoue fructu, Deus permittit hæreticos exire extra Ecclesiam; eamq; ab illis oppugnari.

1 TAles ergo vt minuantur, vt pauci fiant; *non intrant in Ecclesiam, sed* ab Ecclesia exeunt. A multitudine vnitatis omnes hæretici exierunt, sicut dictum est de illis, Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum. Sed si fortè nostri sunt in occulta præscientia Dei, necesse est vt redeant. Quàm multi non nostri adhuc quasi intus sunt? & quàm multi nostri adhuc quasi foris? Nouit Dominus, qui sunt eius. Et illi non nostri, qui intus sunt, quando occasiones inuenerint, exeunt; & illi nostri, qui foris sunt, quando occasiones inuenerint; redeunt. Potuit illos Deus pati intus semper: sed nos de illis non proficeremus. Cùm autem separati sunt, & per quæstiones malignas inquietant nos; propositum est nobis ex illis, & inquisitionis studium, & timoris exemplum. Vnusquisque tremit, cùm alterum videt exisse, tanquam ex illius exitu dicatur illi: Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. Prosunt ergo quia exeunt. Nam si intus essent, & tam mali essent,

1 In Psal. 106. prope finem.

1. Ioan. 2.

2. Timo. 2.

Nota.

1 Cor. 10.

nihil de illis prodesset. Quid de illis dictum est, in quodam
Psalm. 67. Vide in Psal. 54. non. procul à fine. Psalmo? Congregatio taurorum, id est, ceruicatorum & superborum, inter vaccas populorum. Vaccas dicit seductiles animas, quæ facilè consentiunt seductoribus tauris, *hoc est, hæreticis.* Sed quare hoc? Vt excludantur hi, qui probati sunt argēto. Quid, vt excludantur? Vt appareant, & emineant illi, qui sunt probati in eloquio Dei. Cùm enim respondeatur hæreticis ex necessitate, ædificantur catholici ex vtilitate. Hanc sententiam planè Paulus expressit. Oportet enim, inquit, hæreses
1. Cor. 11. esse, vt probati manifesti fiant in vobis. Oportet & tauros seducentes esse, vt qui probati sunt argento, manifesti fint, hoc est,
Psalm. 11. excludantur. Quid est argento probati? Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Quicunque sunt probati in hoc argento, id est, in eloquio Domini, nō possunt exercere hoc argentum, nisi
a In Psal 7. non longè à fine. quæstionibus inquietati hæreticorum. [a] Nam & ipsi ex eodem *argento*, id est, ex eisdem scripturis in animas nō charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt: quod non contingit, nisi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam ista dispositio tribuenda est; non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat, cùm peccauerint. Malo enim voto per peccatum, scripturam legentes, vel audientes, male coguntur intelligere, vt ipsa sit pœna peccati: quorū tamen morte filij catholicæ Ecclesiæ tanquam quibusdam spinis à somno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant scriptu-
3 In Psal. 54. prope finem. rarum. 1 Multa enim prius latebant in Scripturis, sed cùm præcisi essent hæretici, quæstionibus agitauerunt Ecclesiam Dei. Aperta sunt quæ latebant, & intellecta est voluntas Dei.
Psalm. 67. Inde ergo dicitur illud in Psalmo: Cōgregatio taurorum inter vaccas populorum, vt excludantur hi, qui probati sunt argento. Excludantur enim dixit, emineant, eant, appareant. Vnde dicuntur & in arte argentaria exclusores, id est, ex quadam confusione massæ, suæ formæ expressores. Ergo multi, qui optimè poterant scripturas dignoscere, & pertractare; latebant in populo Dei: nec asserebant solutionem quæstionum difficiliū, cùm calumniator hæreticus nullus instaret. Nunquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? Nunquid perfectè de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Nouatiani? Sic non perfectè de baptismate

tra-

tractatum est, antequã contradicerent foris positi rebaptizatores: Nec de ipsa vnitate Christi enucleatè dicta erãt, quæ dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa vrgere cœpit fratres infirmos, vt iam illi, qui nouerant hæc tractare atque dissoluere, ne perirent infirmi solicitati quæstionibus impiorum; sermonibus & disputationibus suis obscura legis in publicum deducerent. 4 Quædam etiam in Scripturis dura videbantur, cùm obscura essent: exposita, mollita sunt. Nam & prima hæresis in discipulis Christi, velut ad duritiem sermonis ipsius, facta est. Cùm enim diceret, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam in se: illi non intelligentes, dixerunt ad inuicem: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Dicentes, quia durus est sermo hic, separauerũt se ab illo. 5 Denique, quàm multi scripturarum sanctarum sensus de Christo Deo asserti sunt cõtra Photinum? quàm multi de homine Christo contra Manichæum? quàm multi de Trinitate contra Sabellium? quàm multi de vnitate Trinitatis contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos? quàm multi de catholica Ecclesia toto orbe diffusa, & de malorum cõmixtione vsque in finem sæculi, quod bonis in sacramentorum eius societate non obstat, aduersus Donatistas & Luciferianos, aliosque, si qui sunt, qui simili errore à veritate dissentiunt? quàm multi contra *Caluinistas, Martinistas, Sacramẽtarios, & Anabaptistas, cæterosque hæreticos*, quos enumerare vel commemorare nimis longum est, & præsenti operi nõ necessarium. Quorum tamen sensuum probati assertores, aut prorsus laterent, aut non ita eminerent, vt eos eminere fecerunt superborum contradictiones, qui [6] id, quod peruersè ac prauè opinati sunt, animositate acerrima, & peruicaci arrogantia defensitantes, multa perniciosa dogmata, conscissa communionis vnitate, pepererunt.

Vide To. 10. in edit. Plant. Ser. 63 ca. 7. de diuers. 15. ca.

4 Ibidem inf.

Ioan. 6.

5 In Psal. 67. non procul à fine.

Vide Tract 36 in Ioan.

6 To. 4 lib. de Catechiz. ca. 8 Vide in Psal. 130. in medio.

CAP. XXIIII.

Piis in Ecclesia omnia proficiunt ad vtilitatem & consolationem, quæcunque machinantur hæretici.

1 SEd hæc in vsum cedunt proficientium, iuxta illud Apostoli: Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis. Vnde etiam scriptum est: Filius eruditus sapiens erit:

1 To. 5. li 16. de ci. Dei. ca. 3

1. Cor. 11.

 impru-

imprudente autem ministro vtetur. Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint; & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur: & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio. 2 Ita per multiplicem gratiam Saluatoris, etiam quod inimicus machinatur in perniciem, Deus conuertit in adiutorium: quoniam diligētibus Deum omnia cooperantur in bonum. 3 Qui ergo in Ecclesia Christi morbidū aliquid prauumque sapiunt, si correpti, vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt,  sed defensare persistunt; hæretici fiunt, & foras exeūtes habētur in exercentibus inimicis. Etiam sic quippe veris illis Catholicis membris Christi, malo suo prosunt, dum Deus vtitur & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperātur in bonum. Inimici enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauentur; si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: si tantummodo malè sentiendo aduersantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam, siue suasibili doctrina cum eis agatur, siue terribili disciplina. Ac per hoc diabolus princeps impiæ ciuitatis, aduersus peregrinantem in hoc mundo ciuitatem Dei, vasa propria commouendo, nihil ei nocere permittitur. Cui proculdubio & rebus prosperis consolatio, vt non frangatur aduersis; & rebus aduersis exercitatio, vt non corrumpatur prosperis, per diuinam prouidentiam procuratur: atque ita tēperatur vtrumque ab alterutro, vt in Psalmo illam vocem non aliundè agnoscamus exortam: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuę iucundauerūt animam meam. Hinc est & illud Apostoli: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Nam & id quod ait idem doctor; Quicunque volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur; nullis putandum est deesse posse temporibus: quia & cùm ab eis, qui foris sunt, non sæuientibus videtur esse tranquillitas, & reuera est, plurimumque consolationis adfert, maximè infirmis; non tamen desunt, immo multi sunt intus, qui corda piè viuentium, suis perditis moribus cruciant: quoniam per eos blasphematur Christianum & Catholicum nomen. Quod quanto charius est eis qui volunt piè viuere in Christo, tanto magis dolent, quod per

[Margin notes: 2 To. 4 epist. 105. in fine. — Rom. 8. — 3 To. 5. li. 18. de ci. Dei, c. 51 — Rom. 8. — Nota. — Psalm 93. — Rom. 12. — 2. Tim. 3.]

per malos intus positos fit, vt minus quàm piorum mentes desiderant, diligatur. Ipsi quoque hæretici, cùm Christianum cogitantur habere nomen, & sacramenta Christiana, & Scripturas, & professionem; magnum dolorem faciunt in cordibus piorum: quia & multi volentes esse Christiani, propter eorum dissensiones, hæsitare coguntur; & multi maledici etiam in his inueniunt materiam blasphemandi Christianum nomen: quia & ipsi quoquo modo Christiani appellantur. His atque huiusmodi prauis moribus & erroribus hominum, persecutionem patiuntur qui volunt in Christo piè viuere, etiã nullo infestante, neque vexante corpus illorum. Patiuntur quippe hanc persecutionem non in corporibus, sed in cordibus. Vnde illa vox est: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo. Nõ enim ait, in corpore meo. Sed rursus, quoniam cogitantur immutabilia diuina promissa, & quod ait Apostolus, Nouit Dominus, qui sunt eius: quos enim præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui; ex iis perire nullus potest. Ideo sequitur in Psalmo, Consolationes tuæ iucundauerunt animam meam. Dolor autem ipse, qui fit in cordibus ipsorum, quos persequuntur mores Christianorum malorum, siue falsorum, *hoc est, hæreticorum*; prodest dolentibus: quoniam de charitate descendit, qua eos perire nolunt, nec impedire salutem aliorum. Denique magnæ consolationes fiunt etiam de correctionibus eorũ, quæ piorum animas tanta iucunditate perfundunt, quantis doloribus de sua perditione cruciauerant. Sic in hoc sæculo, in his diebus malis, non solum à tempore corporalis præsentiæ Christi, & Apostolorum eius; sed ab ipso Abel, quem primum iustum impius frater occidit; & deinceps vsque ad huius sæculi finem, inter persecutiones mundi, & consolationes Dei, peregrinando, *& gemendo*, procurrit Ecclesia.

Psal. 93.
2. Tim. 2.
Rom. 8.

Cap. xxv.

Mirum est multos nescire, quæ Christi Ecclesia sit; cùm alioqui omnia de illa prædicta, clarissima sint.

1 ILlud itaque est quàm maximè gemendum; illud, *inquam*, omnino intolerabile, quia multi, qui viderunt, qui cognouerunt, quid esset Ecclesia, exierunt foras, & hæreses & schis-

1 In Psal. 30. con. 2. in med.

mata contra Ecclesiam fecerunt. Hodie hominem inuenis (verbi gratia) natum in parte Donati; *Martini vel Caluini*: nescit quid sit Ecclesia: vbi natus est, hoc tenet: non illi euellis consuetudinem, quam suxit cum lacte nutricis. Illum da, qui voluitur quotidie in scripturis, qui legit, qui prædicat. Itáne
Psalm. 2. tandem non ibi videt: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Non ibi
Psalm. 21. videt, Commemorabuntur, & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium? Si vides ibi totius orbis vnitatem, quid foras fugis, vt non solũ ipse patiaris, verũ & aliis facias cæcitatẽ? Putas enim quia illi omnes, qui fecerũt hæreses per loca & partes, non nouerãt in Scripturis Dei, quia Ecclesia non est prædicata, nisi toto terrarũ orbe diffusa? Certè omnes Christiani sumus, vel Christiani omnes dicimur, & omnes Christi signo signamur. Obscuriùs dixerunt Prophetæ de Christo, quàm de Ecclesia: puto propterea, quia videbant in spiritu, contra Ecclesiam facturos homines esse particulas; & de Christo non tantam litem habituros: de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo illud, vnde maiores lites futuræ erant, planius prædictum, & apertius prophetatum est, vt ad iudiciũ illis valeat, qui viderunt, & foras fugerunt. Exempli gratia, vnũ commemorabo. Abraham pater noster fuit, non propter propaginem carnis, sed propter imitationem fidei. Iustus & placens Deo, per fidem suscepit filium sibi promissum Isaac de Sara sterili,
Genes. 22. vxore sua in senectute sua: iussus est immolare Deo eundem filium; nec dubitauit, nec disceptauit, nec de iussu Dei disputauit, nec malum putauit, quod iubere optimus potuit. Duxit filium suum ad immolandum; imposuit ei ligna sacrificij; peruenit ad locum; erexit dexteram, vt percuteret: eo prohibente deposuit, quo iubente leuauerat. Qui obtemperauerat, vt feriret; obtemperauit, vt parceret: vbique obediens, nusquam timidus. Vt tamen impleretur sacrificium, & sine sanguine non discederetur, inuentus est aries hærens in vepre cornibus: ipse immolatus est, peractũ est sacrificium. Quære quid sit. Figura est Christi, inuoluta sacramentis. Isaac tanquam filius vnicus dilectus, figuram habens filij Dei, portat ligna sibi, quomodo Christus crucem portauit. Ille postremò ipse aries, Christum
Nota. significauit. Quid est enim hærere cornibus, nisi quodámodo

crucifigi? Figura est ista de Christo. Continuò prædicanda erat Ecclesia. Prænunciato capite, prænunciandum erat & corpus. Cœpit Spiritus Dei; cœpit Deus ad Abraham prædicare velle Ecclesiam, & tulit figuram. Christum figuratè prædicabat, Ecclesiam apertè prędicauit. Ait enim ad Abraham. Quoniam obaudisti vocem meam, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me, benedicens benedicam te, & implēdo implebo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam maris; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Et penè vbique Christus in aliquo inuoluto sacramento prædicatus est à Prophetis; Ecclesia apertè: vt viderent illam, & qui futuri erant contra illam; vt impleretur in eis ista nequitia, quam prædixit Psalmus; Qui Psalm. 30 videbant me, foras fugerunt à me. Ex nobis exierunt, sed non 1 Ioan. 2. erant ex nobis. Hoc Apostolus Ioannes de illis dixit.

CAP. XXVI.

Qui foras extra Ecclesiam exeunt, Antichristi sunt.

QVàm ergo nobis plangendum sit damnum illorum, qui, quæ est Ecclesia Catholica viderunt & cognouerunt; & tamen contra eam per superbiam se erexerunt: quis pius & intelligens est, qui non consideret? quis, qui inde dolorem non sentiat? Sed audiamus, & aliquam consolationem in isto planctu, in isto dolore percipiamus. Ex nobis, inquit Ioannes, exierunt: sed non erant ex 1. Ioan. 2. *nobis.* [1] Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierūt, [1] Tract. 3. in epist. Ioan. post initium. id est, ex Ecclesia exeunt: sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis: multi intus sunt, qui non exierunt: & tamen Antichristi sunt. Audemus vtique hoc dicere. Ad quid? nisi vt vnusquisque, cùm intus est, non sit Antichristus? Antichristus enim est, qui latinè dicitur Contrarius Christo. Non quomodo nonnulli intelligunt Antichristum ideo dictum, quod ante Christum venturus sit, id est, post eum venturus sit Christus. Non sic dicitur, non sic scribitur: sed Antichristus, id est contrarius Christo. Iam quis sit contrarius Christo, nunc aduertamus, ipso exponente, & intelligamus non posse exire foras, nisi Antichristos: eos autem qui non sunt Christo contrarij, foras exire nullo modo posse. Qui enim non est Christo contrarius; in corpore ipsius hæret, & membrum computatur.

Nunquam ſibi ſunt membra contraria. Corporis integritas, vniuerſis membris conſtat. Et quid de membrorum concordia
1 Cor. 12. dicit Apoſtolus? Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & ſi glorificatur vnũ membrum, congaudent omnia membra. Si ergo in glorificatione membri, cætera membra congaudent; & in paſſione omnia membra patiuntur: concordia membrorum non habet Antichriſtum. Et ſunt, qui intus ſic ſunt in corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti (quandoquidem adhuc curatur corpus ipſius, & ſanitas perfecta non erit, niſi in reſurrectione mortuorum) ſic, *inquam*, ſunt in corpore Chriſti, quomodo humores mali. Quando euomuntur, tunc releuatur corpus: ſic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia releuatur. Et dicit, quando eos euomit atque proiicit corpus, Ex me exierunt humores iſti: ſed non erant ex me. Quid eſt, Non erant ex me? Non de carne mea præciſi ſunt, ſed pectus mihi premebant, cùm ineſſent: *erant in me, ſed tanquam ſordes carni adhærebant*. Ex nobis itaque exierunt; ſed (nolimus nimis eſſe triſtes) non erant ex nobis. Vnde probamus? Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Hinc ergo videmus, quia multi, qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum ſacramenta, accipiunt nobiſcum baptiſmum, accipiunt nobiſcum, quod norunt fideles ſe accipere, benedictionem, *hoc eſt*, euchariſtiam, & quicquid in ſacramentis ſanctis eſt. Ipſius itaque ſacri altaris cõmunicationem accipiunt nobiſcum; & non ſunt ex nobis. Tentatio probat, quia nõ ſunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occaſione venti volant foras: quia grana non erant. Omnes autem tunc volabunt, cùm area dominica cœperit ventilari in die iudicij. Qui autem non ſunt Antichriſti, non poteſt fieri, vt remaneant foris. Sed de voluntate ſua vnuſquiſque aut Antichriſtus, aut in Chriſto eſt. Aut enim in membris ſumus; aut in humoribus malis. Qui ſe in melius commutat, in corpore membrum eſt: qui autem in malitia permanet, humor malus eſt: & quando exierit, releuabuntur *boni, qui per eum premebantur. Hæc eſt ratio alicuius conſolationis in nobis, qui damnum illorum plangimus, qui ſe contra Chriſtum, eiuſque Eccleſiam erigunt.*

CAP.

CAP. XXVII.

Catholici pacem & vnitatem quærunt: hæretici dissensionem & separationem.

SEd aliquid aliud etiam hic considerandum occurrit, quod ex similitudine harmoniæ nostri corporis acceptum, non minus ad piorum consolationem & confirmationem facit, quam quod prædictum est. Sicut enim in humano corpore licet ab humoribus malis eius sanitas multum prematur, & diutius infestetur; nō propterea inter se inueniuntur discordare aliqua membra: sic in Christi corpore, quod est Ecclesia, quantumuis eius sana & sancta membra multa patiantur à malis, qui intus sunt: nunquam tamen videmus quod ipsa inter se religionis pacem & fidei vnitatem disrumpunt. Quin etiam ipsos suos perturbatores & aduersarios qui pacem oderunt, qui vnitatem violant; ad fraternam & Christianam concordiam omni diligētia & contentione, quantum in ipsis est, semper reuocare & reparare conantur. Hinc est & illa vox in Psalmis, quæ sine dubio etiam ad Christi corpus pertinet, vbi dicitur, Cum his qui oderūt pacem, eram pacificus. [1] Quid enim aliud dicimus istis nostris hæreticis, nisi, cognoscite pacem, amate pacem? Iustos vos *ex sola fide, aut reformatos* dicitis. Sed si iusti *aut reformati* essetis: inter paleā grana gemeretis. Nam quia sunt grana in Ecclesia, & vera grana sunt: ideo tolerant paleam, donec ventiletur area. Hæc loquimur illis, qui oderūt pacem, & dicimus: Cum his, qui oderunt pacem, erā pacificus. Qui sunt qui oderunt pacem? Qui conscindunt vnitatem. Si enim pacem non odissent, in vnitate mansissent. Sed propterea se separauerunt, vt quasi iusti *& reformati* essent, vt non haberent mixtos iniustos; *dissolutos scilicet sacerdotes, & monachos.* Sed Catholica vox dicit, Non est propter malos dimittēda vnitas; non est præcidenda Ecclesia Dei. Iudicabit Deus de malis & bonis postea. Si nunc mali à bonis separari non possunt, ferendi sunt ad tempus mali. In area nobiscum esse possunt, in horreo nō possunt. Et fortè, hodie qui mali apparent, cras boni erunt: & qui de bonitate hodie superbiūt, cras mali inuenientur. Quisquis ergo humiliter malos ad tempus fert, ipse perueniet ad requiem sempiternam. Hæc vox Catholica est. Hæreticorum autem vox qualis est, non intelligentium, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant? Ne tangas immūdum,

[1] In Psal. 119. in fine.

ne honores sacerdotium, ne venereris sacramentum, ne agnoscas altaris sacrificium. Separemus nos, *reformemus nos*, ne commisceamur malis *Papistis*. Et nos illis dicimus, Amate pacem, diligite vnitatem. Nescitis, à quàm multis bonis separemini, dum quasi malis nobis calumniamini. Furunt, sæuiunt, quando ista dicimus: nam quærunt & mortificare nos. Apparuerunt sæpe impetus eorum; apparuerunt insidiæ. Quibus autem dicimus, Amate pacem, Christum amate: nunquid dicimus, Amate *& honorate* nos? Nos nolumus *honorari: sed Christum; eiusque volumus & agnoscere, & agnosci cum omni veneratione diuinum sacramētum & sacrificium.* Nam quod ad nos attinet, quid nos sumus ad Apostolum Paulum? Quid tamen ille dicebat illis paruulis, quos *mali humores inficere, quos* mali homines & mali suasores præcidere ab vnitate in schismata volebāt?
1.Cor.1. Quid eis dicebat ille? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Hoc & nos dicimus, Amate pacem, amate Christum. Qui enim amant pacem, &
Ephes.2. Christum amant. Quare? Quia de Christo ait Apostolus: Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Si ergo Christus ideo pax, quia fecit vtraque vnum: quare vos hæretici de vno fecistis duo? Quomodo ergo pacifici estis, vt, cum Christus
z In Psal. 33. conc. 2. post initium. faciat vnum de duobus; vos faciatis de vno duo? z Ille vnus est: quare duos populos vultis facere Deo? Quare vultis dissipare corpus Christi? Venit enim persecutor, & non fregit crura Christi: venit Donatus & dirupit Ecclesiam Christi? *venit Lutherus, & in multas partes diuisit corpus Christi: venit postremò Caluinus, & dilacerauit, comminuitque membra Christi.* Integrum corpus Christi in cruce inter manus militum persecutorum est: & inter manus *falsorum monachorum & sacerdotum hæreticorum,* non est integrum corpus Ecclesiæ.

CAP. XXVIII.

Hæretici sunt quasi magni montes, sed mali: prædicatores verò veritatis, boni montes sunt, à quibus illuminat altißimus.

a In Psal. 124. post princip. 1 NOn autem putemus, quia potuerunt fieri hæreses per aliquas paruas animas. Non fecerūt hæreses nisi magni homines, *qui etiam propterea in Scripturis insinuantur mōtibus esse similes.* Sed quantum magni, tantum mali montes. Non enim

enim montes erant tales, qui *eam, de qua diximus*, pacem susciperent, vt colles susciperent iustitiam: sed illi dissensionem susceperunt à diabolo patre suo. Montes ergo erant: ad tales montes, caue, ne fugias. Venturi enim sunt homines, & dicturi tibi, Magnus ille vir, & magnus ille homo. Qualis fuit ille Donatus? qualis est Maximinianus? & nescis, Photinus qualis fuit? & ille Arius qualis fuit? *& Martinus Lutherus & Ioannes Caluinus, quales fuerunt?* Omnes istos montes nominauimus, sed naufragosos. Vides *quidem* quia lucet de illis aliqua flamma sermonis, & aliquis de ipsis ignis accēditur. Si nauigas in ligno, & noctem pateris, id est, caliginem huius vitæ: non te fallant, & *non* dirigas illuc nauim. Vbi sunt saxa; ibi naufragia magna fiunt. Cùm ergo tibi laudati fuerint isti mōtes, & cœperit quis tibi suadere, vt venias ad ipsos montes, quasi ad auxilium, & ibi requiescas: responde, In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Bonum est enim tibi, vt in illos montes leues oculos tuos, vnde tibi auxilium à Domino sit, vt euadas sicut passer de muscipula venantium; non vt transmigres in montes. Passer enim instabilis res est: citò mouetur, cito volat hinc & inde. Sed tu confide in Domino, & eris sicut mons Sion; non moueberis in æternum, & non transmigrabis in montes, sicut passer. Montes *proinde* tales ama; in quibus Dominus est, cui in Psalmo dicitur: [2] Illuminans tu admirabiliter à montibus æternis. Qui verò sunt montes æterni? Quos ipse fecit æternos. Qui sunt montes magni, qui sancti? Prædicatores veritatis. Primi magni montes excipiunt lucem diei: & à luce diei, quam suscipiunt montes, vestitur & terra. Sed illi magni montes Apostoli, tanquam orientis luminis primordia exceperunt. Nunquid quod acceperunt, apud se retinuerunt? Non: ne diceretur & illis, Serue nequam & piger, dares pecuniam meam nummulariis. Si ergo quod susceperunt, non apud se retinuerunt, sed omni orbi terrarum prædicauerunt: quis per ipsos hoc effecit, nisi, qui illuminat admirabiliter à montibus æternis? Quós enim æternos fecit; per illos vitam æternam & cæteris promisit. Illuminans tu, inquit, à montibus æternis. Magnificè cum pondere dictum est, Tu: ne putet aliquis quod eum montes illuminent. Multi enim putantes, quod ab ipsis montibus illuminarentur; fecerunt sibi partes de montibus: & ipsos montes conciderunt, & ipsi

Vide in Psal. 35. post init.

Psalm. 10.

[2] In Psal. 75. post initium.

Matth. 25.

& ipsi confracti sunt. Nescio qui sibi partem fecerunt illum Donatum: nescio qui sibi partem fecerunt Maximinianum: *nescio qui sibi partes fecerunt illũ Lutherum, & istum Caluinum.* Quare computant salutem suam in hominibus esse, non in Deo? O homo, venit ad te lux per montes: sed Deus te, *si Catholicus es*, illuminat, non montes. Si remanes in montibus; vide quid agas. Est aliquid super montes? Super montes est,
Psalm. 120. quem tremunt montes. Leuaui, inquit, oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Sed quid sequitur? Auxilium meum, inquit, à Domino, qui fecit cælum & terram. In montes quidem leuaui oculos meos; quia per montes mihi sunt scripturæ monstratæ: sed ego cor habeo in illo qui illuminat omnes montes.

Cap. XXIX.

Confirmatur quod dictum est; & hoc exemplo beatissimi Apostoli Pauli.

Ibidem immed. ISta ergo *à nobis* ad hoc dicta sunt, ne quisquam velit spem suam ponere in homine. Tamdiu quippe est aliquid homo, quamdiu hæret illi, à quo factus est homo. Nam recedens ab illo, nihil homo est: & cùm hæret illi; tu sic accipe consilium per hominem, vt illum consideres, qui illuminat hominem. Etenim & tu potes accedere ad illũ, qui tibi per hominem loquitur. Nõ enim fecit illũ accedere ad se, & te repellit. Et qui verè sic accessit ad Deum, vt in illo habitet Deus; displicent illi omnes, qui in illo ponunt spem suam. Propterea datum est quoddam exemplum, cum ipsos Apostolos sibi diuiserunt,
1 Cor. 1. & in schismata ierunt, qui dicebant, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, id est, Petri. Hos plangit Apostolus, & dicit eis, Diuisus est Christus? Et se elegit, quem apud ipsos contemneret. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Vide bonum montem quærentem gloriam non sibi, sed illi, à quo montes illuminantur. Nolebat de se præsumi, sed de illo, de quo ipse præsumpserat. Quisquis ergo ita se commendare voluerit populis, vt si fortè contigerit ei aliquis tumultus, frangat post se populos, & diuidat Ecclesiam Catholicam propter se: non est de illis montibus, quos illuminat altissimus. Sed quis est iste? Contenebratus à se, non illuminatus à Domino. Vnde autem probantur isti montes?

tes? Si fortè contigerit aliquis tumultus aduersus montes in Ecclesia, aut per populares seditiones carnalium, aut per aliquas falsas suspiciones hominum; bonus mons repellit à se omnes qui propter ipsum volunt ab vnitate recedere. Sic enim ipse remanebit in vnitate, si propter ipsum, non diuisa fuerit ipsa vnitas. Illi autem diuisi sunt: quando recessit populus ab orbe terrarum, & secutus est nomen ipsorum, gauisi sunt, elati sunt, & deiecti sunt. Humiliarentur & exaltarētur, quomodo humiliatus est Apostolus, dicens, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Et alio loco: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementū dat Deus. Tales montes in se humiles sunt, in Deo excelsi sunt. Qui autem in seipsis excelsi sunt, à Deo humiliantur: quoniam qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Ideo tales, quia superbias suas attendunt, inamaricant *Catholicis* hominibus in Ecclesia: illi volunt copulare pacem: isti inter se miscent dissensionem. *Quare? quia charitatem non habent. Quomodo eam non habent? Quia ab vnitate recedunt. Charitas enim Christiana, nisi in vnitate Ecclesiæ, non potest custodiri.*

1. Cor. 1.
Ibidem 3.
Matth. 23.

CAP. XXX.

Scriptura sacra, quam habet Ecclesia, cælum dicitur; & quare pelli comparetur, ostenditur.

DE *charitatis autem præstantia, quæ per omnes Scripturas, virtutibus & donis omnibus supereminere ostenditur, etiam hoc loco aliquid dicere, non videtur importunum. Illud tamen prius insinuandum est; quod, quemadmodum prædicatores veritatis, per figuratam locutionem montes, à quibus illuminat Dominus, dicti sicut in Scriptura sacra: ita & ipsam scripturam, quæ per illos montes, lucem suam vsquequaque in Ecclesia diffundit; figuratè cælum dici inuentamus. Huc enim pertinet illud in Psalmo, vbi Deo dicitur,* Extendens cælum, *sicut pellem: quod vtique per Spiritum sanctum ita positum est, vt intelligamus cælum, sanctam Scripturam.* [a] Nam hanc authoritatem primò posuit Deus in Ecclesia sua: inde cœpit exequi cætera. Posuit cælum, & extendit sicut pellem: & non frustra sicut pellem. Pellis enim mortalitatem significat. Propterea & illi duo homines

[a] In Psal. 103. conc. 1. ante medium.

homines primi parentes nostri, authores peccati generis humani, Adam & Eua; cùm in paradiso, contempto Dei præcepto, ad suggestionem, suasionemque serpentis, trãsgressi essent, quod iusserat Deus; facti mortales dimissi sunt de paradiso. Vt autem significaretur ipsa mortalitas eorum, induti sunt tunicis pelliceis. De pellibus enim tunicas factas acceperunt: pelles autem detrahi non solent, nisi de animalibus mortuis. Ergo pellium nomine, mortalitas illa figurata est. Quid ergo hic, si diuina scriptura significatur pellis nomine? Quomodò de pel-
Psalm. 103. le fecit Deus cælum, & extendit cælum, sicut pellem? Quia per quos nobis Scriptura prædicata est, mortales fuerunt. Illud quidem verbum Dei, semper idem, semperque incommuta-
Ioan. 1. bile atque indeficiens: ecce, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbũ. Nunquid erat, & modo non est? Et est, & semper erit. Si ergo est verbum Dei, Deus apud Deum, lege, si potes. Sed quid dicis: quia sursum est, &
Sapient. 8. ideo legere non potes? Vbique est verbum Dei. Pertendit à fine vsque ad finem fortiter; & attingit omnia propter suam munditiã. In hoc mũdo immundo erat, & mundus per ipsum factus est: & cũ huc venit, hic erat. Venit enim in carne, nunquam absens diuinitate. Quare ergo legere non poteras? Quia in sapientia Dei non cognouit mũdus per sapientiam Deũ, ibi constitutus in sapientia Dei. Ibi & tu constitutus non poteras cognoscere per sapientiam Deum: ergo necessarium erat, quod
1 Cor. 1. sequitur, Placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes. Si per stultitiam prædicationis salui futuri erãt credentes; elegit Deus quædam mortalia, hoc est, elegit homines mortales & morituros, adhibita lingua mortali, adhibuit sonos mortales: adhibita dispensatione mortalium, adhibuit instrumenta mortalia: & in eo tibi factum est cælum, vt in re mortali cognosceres verbum immortale, & fieres tu quoque
Deut. 32. eiusdem verbi participatione, immortalis. Vixit Moyses, & mortuus est: ait enim illi Deus, Ascende in montem, & morere. Mortuus est Hieremias, & tot Prophetæ mortui sunt: & mortuorum dicta quia non eorum, sed per eos illius erant, qui extendit cælum, sicut pellem; manent vsque ad posteritatem nostram. Ecce Apostolus solutus de hac vita, qui dixit,
Philip. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo, multo magis esse optimum; viuit nunc cum Christo, sicut illi Prophetæ omnes viuunt

uunt cum Christo. Sed per quid nobis dispensauit id, quod legimus? Per id quod moriturum erat, per os, per linguam, dentes, manus. Omnia ista, quibus operatus est Apostolus, totum quod legimus, corporis officia sunt; sed iubente anima, cui hoc iubebat Deus. propterea extensum est cælū, sicut pellis. Nos sub cælo, tanquam sub pelle diuinarum scripturarum legimus modò cùm tenditur. Etenim postea cælum plicabitur, vt liber. Non autem frustra hîc vt pellis: ibi, vt liber. Figuratum ibi nobis est, quod ad Scripturam diuinam attinet, quod ea aliquando cessabit, & nunc tenditur, sicut pellis; & tenditur sermo mortuorum. Ergo ideo tenditur cælum, sicut pellis; & multo magis tenditur, quia illi mortui sunt. Nam post mortem plus innotuerūt Prophetæ & Apostoli: non erant tam noti, cùm viuerent. Prophetas viuos sola Iudæa habuit: mortuos omnes gentes. Cùm enim viuerent, nondum erat extensa pellis; nōdum erat extensum cælum, vt tegeret orbem terrarum. Ergo extendit Deus cælum, sicut pellem.

CAP. XXXI.

De præstantia & eminentia charitatis, quam solam cum bonis non communicant mali in Ecclesia.

QVoniam igitur pellem adumbraticè dictā & intellectā ostendimus ex Psalmo Scripturam sanctam, atque authoritatem diuini verbi dispensatā nobis per mortales; quibus mortuis eiusdē dispensationis fama extendi visa fuit: restat considerare, quomodo ex eodem Psalmo, etiam secundum figuram significata intelligi possit charitatis efficacia & præstantia, de qua nos locuturos esse, ante promisimus. Quid igitur amplius habet ille Psalmus? Audiamus, videamus, & intelligamus. Cùm enim dixisset sanctus Propheta Deo, Extendens cælum, sicut pellem; subiunxit statim, Qui tegis aquis superiora eius. [1] Cuius superiora? Cæli vtique. Et quid est cælum? Iam diximus; Sancta scriptura. Quæ sunt superiora sanctæ scripturæ? Quid inuenimus in Scripturis sanctis superius? Paulum interroga. Supereminentiorem, inquit, viam vobis demonstro. Quam dicit supereminentiorem viam? Si linguis hominum loquar & angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noue-

[1] In Psal 103. cōc. 1 in med.
1. Cor 12.
Ibidem 13.

nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero: nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest. Si ergo nihil eminentius in scriptura sancta inueniri potest, quam charitas: superiora cæli quomodo aquis teguntur, si superiora scripturæ præcepta charitatis sunt? Audi, quemadmodum. Charitas, inquit Apostolus, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Iam nomine diffusionis intellige aquas in charitate spiritus sancti. Hæ sunt aquæ, de quibus dicitur in quadam Scriptura, Et in plateis tuis discurrant aquæ tuæ: nemo alienus communicet tibi. Alieni enim sunt omnes à via veritatis, siue pagani, siue Iudæi, siue hæretici, & mali quique Christiani. Habere multi multa, & diuersa dona possunt; charitatem non possunt. Hoc ipsum quale donum est; vt non loquamur de donis aliis foris quæ dona Dei habent omnes homines, qui solem suum facit oriri super bonos & malos: dona Dei sunt, & nō tantum bonis & malis communia, sed etiam bestiis & pecoribus. Ipsum esse, viuere, sentire, audire, & cæteris fungi sensuum muneribus, dona Dei sunt. Sed vide, cum qualibus, & quam multis communia; & cum iis, quos nolis imitari. Ipsum ingenium acutum habent & pessimi homines; solertem artium industriam habent & turpissimi scenici: diuitias habent & latrones: coniugia, filios multi mali habent. Pulchra dona Dei omnia hæc esse, nemo negat: sed vide, cum quibus habeantur communia. Respice etiam ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus sacramentorum in baptismo, & in cæteris sanctis sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est & Simon magus. Prophetia, quale munus est? Prophetauit & Saul malus rex: & tunc prophetauit, cùm Dauid sanctum persequeretur. Intende, non dixi, cùm persecutus fuisset: fortasse enim eo persecuto pœnitentiam gessit, & dignus fuit spiritu prophetandi. Non persecutus, neque persecuturus, sed persequens prophetauit. Misit ad comprehendendum Dauid, ministros suos. Dauid eo tempore inter prophetas erat, vbi erat & sanctus Samuel. Impleti sunt spiritu prophetiæ, qui missi sunt, & prophetauerunt. Sed fortè bono illi animo venerant, vel ob necessitatem officij

Rom. 5. Prouerb. 5. Matth. 5. 1. Reg. 10. Ibidem 19.

sui, vel non facturi, quod erat iussum. Misit & alios: hoc & in eis factum est, & eorum hoc modo animum interpretemur. Cùm illi tardarent; venit ipse furens, anhelans cædem, sanguinem sitiens innocentis sancti, cui etiam ingratus erat: & ipse impletus est spiritu prophetandi, & prophetauit. *Denique Eucharistiæ perceptio, quale in Ecclesia munus est? De hac in Christi cœna, in Christi mensa, de Christi manu, ex Christi dispensatione communicauit & Iudas, qui fuit fur, proditor, diabolus, filius perditionis.* Non ergo se iactent, qui fortè sine charitate habuerint hoc vel illud munus Dei sanctum, sicut & sanctum baptismum: sed videant, qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sanctè vtuntur. Ex his erunt qui dicturi sunt, In nomine tuo prophetauimus. Non illis dicetur, Mentimini: sed dicetur, Non noui vos. Recedite à me, qui operamini iniquitatem. Quia si habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Prophetauit autem, *vt diximus*, & Saul, sed operabatur iniquitatem. Quis operatur iniquitatem, nisi qui non habuerit charitatem? Plenitudo enim legis charitas. Ergo in omnibus scripturis supereminentissimam viam, supereminentissimum locum charitas obtinet. Non ad eam aspirent, nisi boni: hanc nobiscum non communicant mali. Possunt, *vt ostendimus*, cõmunicare baptismum; possunt communicare cætera sacramenta; possunt communicare orationem; *possunt communicare templorum parietes, & istam vitæ, in qua sumus, coniunctionem*: charitatem verò nobiscum non communicant. Ipse est enim fons proprius bonorum, proprius sanctorum, de quo dicitur: Nemo alienus communicet tibi. Qui sunt alieni? Omnes qui audiunt, Non noui vos. Si enim non cognoscuntur, vtique alieni sunt, quibus dicitur, Non noui vos. Supereminens enim via charitatis tenet eos, qui propriè pertinent ad regnum cælorum, *quibus dicitur, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.*

1. Reg 19. Matth. 7. 1 Cor. 13. Rom. 13. Prouer. 5. Ioan. 15.

CAP. XXXII.

Latius hîc explicatur quod dictum est de charitate, quæ etiam aquis comparatur.

ERgo præceptum charitatis super cælos, super omnes libros est. Ei enim subduntur libri, ei militant omnes linguæ sanctorum, & omnes motus dispensatorum Dei, & animæ & corporis. Supereminens est enim via: & merito regit Ibidẽ immed.

Deus aquis superiora cæli, quia nihil inuenis eminentius charitate in diuinis libris. Sed adhuc euidentius audi quid in scripturis aqua sit. Diximus enim quòd charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Diximus etiam, In plateis discurrant aquæ tuæ. Et ait mihi aliquis, Non ibi expresse dictum est, vtrum charitatem intelligere debeam. Quid si alius aliud aliquid intelligat? Tantum tu memento quod ait Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Vnde? Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Audiamus & Dominum, magistrum Apostolorum: Si quis, inquit, sitit, veniat & bibat. Dicat adhuc, Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Quid est hoc? Exponit Euangelista: Hoc autem dicebat, inquit, de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ergo si propterea nondum spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus: glorificato Iesu, & ascendente in cælos, missus est Spiritus sanctus, & charitate impleti sunt Apostoli; diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis: quia superiora cæli aquis teguntur. Et bene, quia Dominus in cælos ascendit, vt superior esset cælis, & inde mitteret charitatem. Non enim sic Deus tegit, vt quasi subleuetur ab eo quem tegit. Subleuat quem tegit; non onerat. Ita ergo cælos aquis tegit, vt magis illi diuino Spiritu subleuentur. Qui subleuat, sursum est: quod subleuatur, infra est: illud suspendit, hoc pendet. Si ergo illud suspendit, hoc pendet; audi, quia hoc cælum scripturarum ex charitate pendet. Duo sunt nempe illa notissima præcepta dilectionis: In his duobus mandatis, tota lex pendet & prophetæ.

Rom. 5. Prouer. 5. Ioan. 7. Matth. 22.

Cap. XXXIII.

Comparatur & oleo charitas, quā propterea rectè vocauit Apostolus Viam supereminentiorem.

Denique ad charitatis commendationem & illud pertinet, quòd inter eam & oleum nonnulla similitudo inueniatur. 1 Quomodo enim oleū à nullo humore premitur, sed diruptis omnibus exilit, & supereminet: sic & charitas non potest premi in ima; necesse est vt ad superna emineat. Et propterea hoc de illa dixit Apostolus, Adhuc supereminētiorem viam vobis demon-

1 To. 9. Tract. 6. in Ioan. ante finem. 1. Corint. 12.

demonstro. Quia autem diximus de oleo, quia supereminet (ne forte non de charitate dixerit Apostolus, Supereminentiorem vobis viam demonstro) audiamus quid sequitur: Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum tanquam æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. I nunc Donate, *I nunc Martine, I nunc Caluine;* & clama, Disertus sum, doctus sum. Quantum disertus? quantum doctus? Nunquid linguis angelorum vnquam locutus es? Et tamen si linguis angelorum loquereris, charitatem non habens, sed vnitatem disrumpens: audirem æra sonantia, & cymbala tinnientia. Sed inquies, Habeo sacramentum. Verum dicis. Sacramentum diuinum est; habes baptisma, & ego confiteor. Sed quid dicit idem Apostolus? Si sciero omnia sacramenta, & habuero prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam: ne forte & hoc diceres, Credidi, sufficit mihi. Sed quid dicit Iacobus? Et dæmones credunt, & contremiscent. Iacobi 2. Magna est fides: sed nihil prodest, si non habeat charitatem. Confitebantur & dæmones Christum. Ergo credendo, sed non diligendo dicebant, Quid nobis & tibi, fili Dei? Fidem habebant, charitatem non habebant: ideo dæmones erant. Noli de fide gloriari, adhuc dæmonibus comparandus es. *Noli superbire de lampade sine oleo; stultis virginibus nō dissimilis es.* Sed iactas te aliquando, quia eleemosynas multas facis; quia das pauperibus. Audi quid deinceps dicat Apostolus: Si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ecce quod non habes. Si tradidero, inquit, corpus meum vt ardeam, & vtique pro nomine Christi. Sed quia sunt multi qui iactanter illud faciunt, non cum charitate: ideo si tradidero corpus meum, vt ardeam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Charitate fecerunt martyres illi, qui in tempore persecutionis propter Christum passi sunt. Charitate fecerunt. Isti autem, *qui per suas hæreses pacem & fidem Ecclesiæ violant, aut per schismata vnitatem relinquunt; & propterea patiuntur*: de tumore & de superbia faciunt, *non de charitate, siquando sua corpora ad comburendum quasi gaudentes tradūt. Ergo talium vasa interiora, non oleo charitatis referta, sed vento inanitatis distenta sunt.*

CAP. XXXIIII.

Conclusio huius Libri.

Beda In Catena lib de Baptis.

VIdeant proinde, (*vt tandem ista absoluamus*) ab vnitate Ecclesiæ separati, quàm multa, & quàm magna nihil prosint, si vnum quiddã defuerit: & videant quid sit ipsum vnum. Nec me in hoc audiãt, sed Apostolum. Quid ergo eis prodest, si & linguam in sacris mysteriis habeant angelicam, & prophetiam, quemadmodum Caiphas & Saul; vt aliquando prophetent, quos fuisse damnabiles sancta scriptura testatur? si sacramenta non tantùm sciant, sed habeant, sicut habuit Simon Magus? si fidem, sicut dæmonia cõfessa sunt Christum? (neque enim non credebãt, cùm dicerent, Quid nobis & tibi, fili Dei? scimus qui sis) si dispertiant etiam ipsi substantiam suam pauperibus: sicut multi, non solùm in Catholica, sed in diuersis hæresibus faciunt? si aliqua ingruente persecutione, tradant ad flammas nobiscum corpus suum pro fide quam pariter confitentur: tamen quia separati hæc agunt, non sufferentes inuicem in dilectione, neque studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, charitatem vtique non habendo, etiam cum illis omnibus, quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem peruenire non possunt. *Sed hæc iam, quæ de hæreticis & schismaticis, non in Christi corpore existentibus, dicta sunt, sufficiant, vt isto libro tali fine concluso, ad alterius principium veniamus.*

Matth. 8.

Ephes. 4.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM SECVNDI LIBRI DE CHRISTO, EIVSQVE CORPORE, &c.

Proœmium. CAP. I.

Ecclesia, quæ incepta est ab Abel, semper iniquos pertulit.

2. *Eua & Rebecca præfigurarũt Ecclesiã, quæ parturit bonos & malos.*

3. *Solutio cuiusdã obiectionis, quæ homini aliquãdo occurrit de salute speranda malorum omnium.*

4. *Alia iustorum, alia iniquorum intentio: illi hos lucrari, hi istos perdere volunt.*

5. *Per scãdala huius tẽporis exercemur ad præmia æternæ felicitatis.*

6. *Qui sunt qui patiuntur scãdala, & quibus nihil obsint.*

7. *Versiculus iste exponitur: Sedens aduersus fratrem tuũ loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.*

8. *Quomodo fiat scandalum, siue quid sit scandalum.*

9. *Quomodo pij exagitentur à malis, quorũ subsannationibus etiã aliquãdo à studio pietatis abstrahũtur.*

10. *Lingua subdola hominum pietati aduersantiũ quomodo obsistat bene proficientibus in Ecclesia.*

11. *Hic bonis inter malos viuendũ est; & inter omnes Ecclesiæ inimicos nulli eam magis persequuntur quàm mali Christiani.*

12. *Ecclesia area est: in ea à bonis perferẽdi sunt mali, donec veniat tempus ventilationis.*

13. *Inter malos qui in Ecclesia sunt, gemunt boni.*

14. *Qui bonus est, non se omnino separet à malis, sed studeat prodesse & malis; & à seipso expellat omne malum.*

15. *Vnaquæque professio, quæ in Ecclesia est, & cautè debet laudari propter malos qui illic sunt: & non temerè vituperari propter bonos.*

16. *Ista Scriptura exponitur: Duo erũt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur, &c.*

17. *In omni congregatione & boni sunt, & mali: si boni malos corrigere non possunt, tolerent necesse est.*

18. *Qui videt se nihil prodesse aliis, vult auolare: & quia non potest, infirmus esurit: vult manducare, & non habet.*

19. *Ecclesia esuriens, vult multos manducare; & paucos inueniens quos manducet, rogat Deum, vt causam suam diiudicet.*

20. *Quod duo sunt iudicia Dei: alterũ occultum, alterum manifestum.*

21. *Iudicium futurũ, in quo vnicuiq; reddetur secundum opera sua, est pertimescendum.*

22. *In eo quod Deus nunc misericors est, & pòst iustus erit in iudicio, debet homo iustus ipsum imitari.*

23. *Deus quomodo nunc exhibeat nobis misericordiam suam, antequam iudicium veniat.*

24. *Iustitia nostra fides est, quæ per dilectionem bene operatur, & per rectam intentionem.*

25. *In bonis operibus quem finem nobis constituamus spectãdum est, & non in nobis gloriandum.*

26. *Superbia quàm sit timenda ex Dei donis exemplo Pauli ostẽditur, qui à Sathana colaphizatus fuit, ne extolleretur.*

27. *Christus discipulos suos gaudere nolebat quia faciebant miracula,*

sed quia nomina ipsorum scripta erant in cælis.

28. *Qui in corpore Christi est, quod non potest in se, hoc potest in altero: sicut oculus hominis audit in aure, & auris videt in oculo.*

29. *Nemo quærat magnus esse in Ecclesia sed humilis, ne tentet Deum.*

30. *Aliter scelerati, aliter sancti miracula faciunt.*

31. *Epilogus præcedentium.*

32. *Qui potens esse vult, aut magnus; se peccatorem attendat; Deoque non sibi placeat.*

33. *Superbiam inuidia sequitur, qua lapsus diabolus, etiam homines ad eam incitat.*

34. *Superbiæ vitium etiam in docendo cauendum est: & tutius est audire quàm loqui.*

35. *Superbiæ vitiũ homo vincit vltimum, quo primum lapsus est: à quo vt curaretur homo, factus est humilis Deus.*

36. *Christus declarauit se humilem in sua natiuitate, & in electione discipulorum suorum; vt etiam homines faceret humiles.*

37. *Quales sint qui malè fortes sunt, siue quos fortes Deus confundat.*

38. *Epilogus præcedentium.*

39. *Fortitudo, quæ tribuitur dilectioni, commẽdatur, cum dicitur: Fortis est sicut mors dilectio.*

40. *Quid efficiat in hominibus fortis dilectio.*

41. *Vir spiritalis qua potissimùm ratione sit commendandus, & quo affectu probetur erga proximum.*

42. *Quomodo alter alterius onera portare debeamus, ostenditur ceruorum exemplo.*

43. *Quomodo sit intelligendum, quòd vnusquisque onus suum portabit, cùm dicat etiam Apostolus, Alter alterius onera portate.*

44. *Lex Christi de dilectione, etiam se extendit ad inimicos: quos vult vt nos portemus, qui membra corporis eius sumus.*

45. *Ecclesia in dorso suo quomodo portet malos: & quam longè hi separati sint à bonis.*

46. *Mali, quos portat Ecclesia, pertinent ad Antichristum: & quomodo contra hos sit orandum; & quomodo cauendi & corrigendi sint, ostẽditur.*

47. *Non mali, sed boni qui gemũt inter malos, ad Christi corpus pertinent: in quibus malis odio habenda est malitia, diligenda natura.*

48. *Ioannes Apostolus, etsi fraternam dilectionem in epistola sua quasi solam commendet, non tamen tacuit de dilectione inimici.*

49. *Ad quid diligẽdi sint inimici, medicorum exemplo ostenditur.*

50. *Christi membrũ, si apertũ inimicũ patiatur, nõ illũ odisse debet; sed se cõuertere ad orationẽ, ne amittat dilectionẽ, qua occultus vincitur inimicus.*

51. *Ecclesiæ inimici non sunt soli homines, sed & spiritus, mũdi rectores tenebrarum harum.*

52. *Qua ratione securi esse possimus cõtra diabolũ, qui dicitur leo & draco.*

53. *Serpẽtis caput quomodo calcandũ, quando nostro calcaneo insidiatur.*

54. *Sanctus Iob calcauit & superauit caput serpentis.*

55. *Diaboli muscipula quæ sit, à qua educitur corpꝰ Christi, hoc est, Ecclesia.*

56. *Christi membra proficiunt, dum tentãtur: quorum tentationem præfigurauit Christus in sua tẽtatione.*

57. *Etsi tentatur Ecclesia, nõ propterea deficiet: perseuerabit, & vincet hostem, non sua, sed Christi virtute.*

58. *Conclusio huius libri, continens exhortationem.*

DE CHRISTO, EIVSQVE CORPORE, QVOD EST ECCLESIA,

LIBER SECVNDVS:

In quo tractatur potißimùm de vnitate societatus, quæ bonos in Ecclesia inter se coniungit; & de differentia voluntatis & operationis, quæ à bonis malos secernit.

PROOEMIVM.



QVANTVM *Dominus donare dignatus fuit, in præcedenti libro explicuimus, quomodo sit accipiendus Christus totus cum capite & corpore, tanquam quidam perfectus vir.* 1 Quod testimoniis etiam scripturarum, (sicut nobis videtur) satis idoneis, luculentisq́ue firmauimus: ita vt omnino dubitari non possit, Christum esse caput & corpus; sponsum & sponsam, filium Dei & Ecclesiam: filium Dei, factum filium hominis propter nos, vt filios hominum faceret filios Dei: atque ita essent duo in carne vna, in sacramento magno, qui agnoscũtur in Prophetis duo, in voce vna. *Huic denique explicationi de isto Christi corpore, quod ipsum Christum & Ecclesiam esse, iam manifestissimum est: subiunximus (sicut ipse materiæ huius contextus exigere videbatur) declarationem vesaniæ atque superbiæ hæreticorum atque schismaticorum; quomodo videlicet ipsi, dum charitate destituti, & extra Ecclesiam Catholicam foras egressi, seipsos à corpore Christi separarunt; partesq́ue multas, & sectas dissectas inter se fecerunt: etiam hanc nostram vnicam sanctamque Ecclesiam, quam contumaciter deseruerunt, crudeliter dilacerare conati sint. Hæc itaque, & quæ his affinia sunt tractauimus libro superiori. Iam verò in isto aperiemus, Dei nos gratia adiuuante; primum, quomodo inter illos, qui non foris, sed intus in ipsa Ecclesia Christi sunt, & diuinorũ sacramentorum vniformiter participes fiunt; & quidam boni inueniantur, & quidam mali: & pauciores quidem boni, quàm mali: quamq́ue diuersa inter se illorum bonorum & horum malorum, & operatio & intentio sit; etiam hic ante oculos legentium veluti in quadam depicta tabula deliniare decreuimus. Deinde paucula subijciemus de diuersis, quibus foris patitur Ecclesia, hostibus: quorum alij externis persecutionibus; alij internis insidiis eam debellare contendunt.*

1 In Psal. 30. côc. 2. in init.

CAPVT I.

Ecclesia, quæ incepta est ab Abel, semper iniquos pertulit.

a In Psal. 128. in initio.



QVOD multi mali sint, & iniquos *multos* portet Ecclesia vsque in finem, manifestū est;& hi sunt, quibus verbum Dei superfluum est: & aut sic in illos cadit, quomodo semen *quod* in via conculcatur, & à volatilibus colligitur: aut sic in eos cadit, quomodo semen in petrosa loca, vbi non habet terram multam: statim exit, & calefacto sole arescit; quia non habet radicem: aut sicut inter spinas, quod etsi germinet, & conetur in auras surgere; suffocatur tamen multitudine spinarum. Tales autem sunt, qui verbum Dei contemnunt, sicut via: aut qui ad horam gaudent, & facta tribulatione velut ab æstu solis arescunt: aut qui cogitationibus & curis & sollicitudine huius mundi, tanquam spinis auaritiæ suffocant, quod in illis cœperat germinare. Est autem etiam terra bona, quò semen cùm ceciderit, affert fructum; aliud tricenū, aliud sexagenum, aliud centenum. *Verum* siue parum adferat, siue multum: omnes *hi* in horreo erūt, *quia boni sunt, & patienter omnia ferunt. Sed* a qui pertinaces sunt, perseuerantes in malitia, quāuis audiant verbum Dei, scandalis quotidie perturbant Ecclesiam. *Et* de talibus dicit Psalmus, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Ecclesia *enim hîc* loquitur de his quos tolerat. Nunquid *ergo* modò, & non olim est Ecclesia? ex quo vocantur sancti, est Ecclesia in terra. Aliquando in solo Abel Ecclesia erat; & expugnatus est à fratre malo & perdito Cain. Aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis. Aliquando in sola domo Noë Ecclesia erat, & pertulit omnes qui diluuio perierunt: & sola Arca natauit in fluctibus, & euasit ad siccum. Aliquando in solo Abraham Ecclesia erat: & quanta pertulit ab iniquis, nouimus. In solo filio fratris eius, Loth; & in domo eius in Sodomis Ecclesia erat: & pertulit Sodomorum iniquitates & peruersitates, quousque Deus eum de medio ipsorum liberauit. Cœpit esse & in populo Israël Ecclesia; pertulit Pharaonem & Aegyptios. Cœpit & in ipsa Ecclesia, id est, in populo Israël numerus sanctorum: Moyses & cæteri sancti pertulerunt iniquos Iudæos, populum Israël. Ventum est & ad

a Ibidem inf.

Vide in Psal. 118. con. 29. in fine.

ad Dominum nostrum Iesum Christū: prædicatum est Euangelium: dixit in Psalmis, Annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Quid est, super numerum? Non solùm illi, qui *primò* crediderūt, & qui pertinent ad numerum sanctorum: sed & super numerum postea intrarunt multi iusti; sed plures iniqui: & pertulerunt iusti iniquos. Quando? *Vbi?* In Ecclesia.

CAP. II.

Eua & Rebecca præfigurarunt Ecclesiam, quæ parturit bonos & malos.

1 EST itaque quædam mulier, in qua spiritaliter ostenditur quod dictum est Euæ, In gemitu parturies. *Hæc est Ecclesia.* Parit enim Ecclesia filios coniunx Christi: & si parit, parturit. In cuius figura etiam Eua mater viuorum appellata est. In membris parturientis erat ille qui dicebat, Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed non frustra parturiuit, nec frustra peperit. *Sed quales parturiuit? quales peperit? Nunquid solos bonos? Imò & malos, iuxta id quod scriptū est de domesticis quibusdam seruis huius parturientis; quod congregauerunt bonos & malos ad eius nuptias. Et in alio loco exponens Dominus parabolam zizaniorum, interpretatus est semen bonum filios regni esse, zizania verò filios nequam. Sunt ergo hic in mundo, vbi parturit Ecclesia, filij boni & filij mali semen bonum & semen malum.* Erit verò semen bonum & sanctum in resurrectione mortuorum, in qua apparebit partus Ecclesiæ. Eius typum etiam Rebecca gestabat; duo illi gemini *in vtero*, tanquam duo populi *in certo* luctabantur. Vna mater in visceribus suis dissentientes fratres nondum natos continebat. Pulsabant materna viscera discordiis internis: gemebat illa, vim patiebatur: sed pariens discernebat, quos geminos prægnans pertulerat. Sic & modò quamdiu gemitus datus est Ecclesiæ, quamdiu parturit Ecclesia, ipsi sunt intus & boni & mali. 2 Omnes quippe sacramentum baptismi Christi accipientes, *boni & mali*, Christiani vocātur: sed non omnes dignè illo sacramento viuunt. Sunt enim quidam, de quibus dicit Apostolus, habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Tamen propter ipsam speciem pietatis, in populo Dei nominantur. Quomodo ad aream, quamdiu trituratur, non solum grana, sed etiam palea pertinet. Nunquid & ad hor-

1 In Psal. 126. in medio.
Galat. 4.
Matth 22.
Ibidem 13.
Vide in Psal. 46. à princip.
Genes. 25.
2 In Psal. 47. in medio.
2. Timot. 3.

horreum pertinebit? In medio autem populi mali est populus bonus, qui *per sacramenta* suscipit misericordiam Dei. Et quid illi obest, quia in medio populi inobedientis est, donec area ista ventiletur, donec boni à malis separentur? Quid ei obest in medio populi *mali* habitare, si sit liliũ in medio spinarum? Nam & ipsæ spinæ, quoniam ad populum Dei pertinent, vis audire? Ita posita est ipsa similitudo: Sicut lilium, inquit, in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Nunquid dixit, in medio alienarum? Non; sed, in medio filiarum. Sunt ergo filiæ malæ; & inter illas est lilium in medio spinarum. Itaque illi qui sacramenta habent, & mores bonos non habent; & Dei dicuntur, & non Dei: & eius dicuntur, & alieni. Eius, propter ipsius sacramentum: alieni, propter proprium vitium. Ita & filiæ alienæ. Filiæ propter formam pietatis: alienæ, propter amissionem virtutis. Sit ibi lilium, suscipiat misericordiam Dei, teneat radicem boni floris, non sit ingratum pluuiæ dulci, de cælo venienti. Ingratæ sint spinæ, crescant de imbribus: ad ignem crescunt, non ad horreum.

Cant. 2.

CAP. III.

Solutio cuiusdam obiectionis, quæ homini aliquãdo occurrit, de salute speranda malorum omnium.

a Ibidem immediatè.

a IAm hinc occurrit vnicuique cogitanti, Et quid? Iste populus, qui in medio populi Dei suscipit misericordiam Dei, quantum numerum habet? Quàm pauci sunt? Vix inuenitur aliquis. Illisne contentus Deus erit, & perdet *malorum* tantam multitudinem? Dicunt hoc, qui sibi promittunt hoc, quod à Deo promittente non audierunt. Et verè si malè viuamus, si mundi huius deliciis perfruamur, si nostris libidinibus seruiamus, perditurus est nos Deus? Quot enim sunt illi, qui videntur seruare præcepta Dei? Vix inuenitur vnus, vel duo, vel paucissimi. Ipsos solos Deus liberaturus est, & cæteros damnaturus? Absit, inquiunt. Cùm venerit, & videbit tantam multitudinem ad sinistram, miserebitur eius; & dabit ei indulgentiam. Hoc planè etiam serpẽs ille promisit primo homini. Nam minatus erat Deus mortem, si gustaret. Ille autẽ, Absit, inquit, non morte moriemini. Crediderunt serpenti. Inuenerunt verum esse, quod minatus est Deus; falsum, quod promiserat diabolus. Ita & nunc ponamus nobis Ecclesiã ante oculos, adin-

Genes. 3.

ad instar similitudinemque paradisi: non cessat serpens suggerere, quod tunc suggessit. Sed casus primi hominis ad experimentum cauendi debet nobis valere, non ad imitationem peccandi. Ideo ille cecidit, vt nos surgamus. Respondeamus ergo talibus suggestionibus, quod respondit Iob. Nam & ipsum per feminam, tanquam per Euam tentauit; & vicit in stercore, victus in paradiso. Ergo non audiamus tales voces; nec putemus paucos esse iustos: multi sunt, sed inter plures latent. Non possumus enim negare plures esse malos, & tam plures, vt inter eos prorsus boni non appareant: quomodo non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare, quòd palea sola sit. Da hominem non expertum, & putat inaniter fieri, quòd boues mittuntur, quòd ibi homines sub æstu desudant, vt conterant paleam: sed ibi est & massa, vētilatione purganda. Tunc procedit copia frumenti, quæ latebat in copia palearum. Et modò vis inuenire? Bonus esto, & inuenies.

Cap. IIII.

Alia iustorum, alia iniquorum intentio: illi hos lucrari, hi istos perdere volunt.

1 DVo enim genera hominum, iustorum & iniquorum, in hac terra, & in hac vita commixta sunt. Habent singula ista genera proprias intentiones cordis sui. Genus iustorum conatur in sublimia per humilitatem. Genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem. Illud enim deprimit se, vt surgat: hoc se extollit, vt cadat. Ex eo fit, vt vnum genus toleret, alterum toleretur: propositumque sit iustis, ipsos etiam iniquos in vitam æternam lucrari; propositum autem iniquis, reddere mala pro bonis; & eos qui sibi vitam æternam volunt, si fieri potest, etiam vita temporali priuare. Aegrè enim fert & iniustus iustum, & iustus iniustum: oneri sibi sunt. Nemo dubitat quod isti duo alterutrum sibi oneri sunt, sed diuersis intentionibus. Ad hoc enim iustus iniusto oneri est, quia iniustū eum esse non vult; sed eum iustum fieri, & optat votis, & conatur factis. Iniustus autem sic odit iustum, vt nolit eum esse, non vt bonum velit esse. Quanto enim bonus est, tanto magis oneri est iniquitati illius. Et laborat quidem, si fieri potest, vt eum iniustum faciat: si autem non potest, de medio tollat, & à suo tædio, molestiaque remoueat. Sed & si eū fecerit iniustum, nihilo-

1 In Psal. 36. côc. 2. in init.

nihilominus oneri illi erit. Non enim iustus tantùm iniusto oneri est, sed & duo iniusti vix se patiuntur. Et quando se videntur diligere, cõscientiam sibi debent, non amicitiam. Tunc autem secum concordant, quando in perniciem iusti conspirant: non quia se amant, sed quia eum qui amandus erat, simul oderunt. Contra hoc genus hominum indicit nobis Dominus Deus noster tolerantiam, & affectum illum charitatis, quem nouimus in Euangelio, præcipiente nobis Domino, & dicente, diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.
Matth. 5.
Rom. 12.
Sic & Apostolus, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Contẽde cum malo, sed de bonitate. Ipsa est enim vera *& vtilis* contentio, vel potius certamen salubre, vt sis bonus contra malũ, vt *compassione & profectu charitatis* vincas malũ: non vt
2 In Psal. 98. prope finem.
sint duo mali. [2] Ecce *enim* abundet in te charitas, & plus dolebis peccantem. Quanto in te maior charitas est, tanto amplius te torquebit malus, quem toleras; non torquebit tanquam irascentem illi, sed tanquam dolentem pro illo. Vide Paulũ Apostolum, quid patiebatur. Præter illa, inquit, quæ extrinsecus
2. Cor. 11.
sunt. Dixit enim multa, quæ patiebatur, & cœpit dicere interiora, præter illa quæ extrinsecus erãt, quæ patiebatur à malis, persecutoribus Christi: incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Et vide qualis sollicitudo, quàm paterna, quàm materna. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Quanto maior
3 In Psal. 101. in initio.
charitas, tãto maiores plagæ de peccatis alienis. *Ergo* [3] si quisquam patiatur aliquod scandalum, & in anima periclitetur;
al. frigitur.
hocq́. qui bonus est, in eo aduerterit: tantum *hic* * *vritur*, quantum amat. Desit amor, nemo *vritur*: adsit charitas, & si membrum compatitur, patiente vno membro; quomodo *vruntur*, qui portant vniuersa membra?

CAP. V.

Per scandala huius temporis, exercemur ad præmia æternæ felicitatis.

1 To. 2. epist. 136. ad Felicẽ & Hilarium.
VNde *& illud considerandum hic venit, quod* [1] non solùm nobis in se credentibus & sperantibus, & in eius charitate vsque in finem perseuerantibus, polliceri præmia æterna dignatus est Deus; verũ etiam temporalia scandala non defutura prædixit, quibus fidem nostram exerceri & probari oporteret.

2 Quid

2 Quid enim opus erat, vt ipse Dominus Iesus non solum diceret, Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui, quod post sæculi finem futurum est; verumetiam exclamaret, Væ mundo à scandalis: nisi vt nobis non blandiremur, venire nos posse ad sedes felicitatis æternæ, nisi temporalibus malis exerciti, non defecerimus? Quid opus fuit, vt diceret: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum; nisi vt illi, de quibus cõtinuo locutus adiunxit, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit; cùm hac iniquitatis abundantia refrigescentem charitatem viderent, non perturbarentur, nec expauescerent; non quasi rebus insperatis & inopinatis cõtristari deficerent: sed potius videntes accidere, quæ futura prædicta sunt ante finem, patienter perseuerarent vsque in finem, vt securi mererentur regnare post finem, in ea vita quæ non habet finem? 3 Hinc ergo admonemur, ne grauius perturbemur his, quæ etiam inter Ecclesiæ rectores fiunt, scandalis: quæ ideo ventura prædicta sunt, vt, quando venirent, reminisceremur esse prædicta, & non eis valde commoueremur. Nam hæc ipse Dominus in Euangelio ita prædixit: Væ mundo ab scandalis: oportet venire scandala: Væ autem homini illi, per quem scandalum venit. *Caterùm qui sunt ipsi homines, per quos potissimum scandala veniunt*, nisi de quibus dicit Apostolus, Sua quærentes, nõ quæ Iesu Christi? Alij sunt enim qui propterea tenent pastorales cathedras, vt Christi gregibus consulant; alij verò, qui propterea in eis sedent, vt suis honoribus temporalibus, & commodis sæcularibus gaudeant. Ista duo genera pastorum, aliis morientibus, aliis nascentibus, in ipsa Catholica Ecclesia necesse est vsque ad finem sæculi, & vsque ad Domini iudicium perseuerent. Si enim temporibus Apostolorum fuerunt tales, inter quos falsos fratres Apostolus gemeret, & diceret, Periculis in falsis fratribus; nec eos per superbiam separaret, sed per tolerantiam sustineret: quanto magis temporibus nostris necesse est vt sint, cum de tempore huius sæculi, quod propinquat ad finem, apertissimè Dominus dicat, Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum? Sed quod sequitur, nos debet consolari & exhortari, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sicut autem sunt pastores boni & mali; sic etiã in ipsis gregibus sunt boni & mali. Boni, ouium nomine significantur: mali verò hædi appellantur: sed commixti pariter pascũt, donec veniat Princeps pastorũ, qui dictus est

2 Ibidem, epist. 137 ad Clerum Hyp. Eccles.
Matth. 13.
Ibidem 18.
Ibidem 24.
3 To. 2 epist. 209. ad Felicitã virg.
Philip. 2.
2. Corint. 11.
Matth 24.

est vnus pastor, & (quemadmodum ipse promisit) separet sicut
Ibidem 25. pastor oues ab hædis. Nobis enim imperauit cōgregationem;
sibi autem seruauit separationem: quia ille debet separare, qui
nescit errare. Nam qui separare ante tempus, quod sibi Dominus
seruauit, superbi serui facilè ausi sunt, ipsi potius ab
vnitate Catholica separati sunt. Nam schismate immundi,
mundum gregem vnde habere potuerūt? Ergo in vnitate
maneamus, nec offensi scandalis palearum, aream Dominicam
deseramus, sed potius vsque in finem ventilationis, frumenta
perseueremus, comminutam stipulam firmo charitatis pōdere
toleremus, *vt impleatur in nobis, quod B. Ioannes in epistola di-*
1. Ioan. 2. *cit:* Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum
in eo non est.

Cap. VI.

Qui sint, qui patiuntur scandala, & quibus nihil obsint.

1. To. 9. Tract. 1. in epi. Ioā. in medio. 2. Cor. 11. QVi sunt ergo qui patiuntur scandalum, aut faciunt? Qui scandalizantur in Christo, & in Ecclesia; qui non sic vruntur, quomodo ille qui dicebat; Quis scandalizatur, & ego non vror? Qui in Christo scandalizantur, tanquā à sole vruntur: qui in Ecclesia, tanquam à luna. *Etenim in Deo intelligitur figuratè dictus sol: in Ecclesia intelligitur figuratè dicta luna,*
Psalm. 120. *cum* dicit Psalmus, Per diem sol non vret te, neque luna per noctem. *Quid est hoc?* Si tenueris charitatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia: nec Christum relinques, nec Ecclesiam. Qui enim Ecclesiam relinquit, quomodo est in Christo, qui in membris Christi non est? Quomodo est in Christo, qui in corpore Christi non est? Illi ergo patiuntur scandalum, qui relinquunt aut Christum aut Ecclesiam. Vnde *autem* intelligimus, quia inde dixit Psalmus, Per diem sol non vret te, neque luna per noctem: quia ipsam visionem, scandalum vult intelligi? Primò ipsam similitudinem attēde. Quomodo qui vritur, dicit, Non tolero, non fero; & subducit se: sic qui quædā non ferunt in Ecclesia, & subtrahunt se vel nomini Christi, vel Ecclesiæ, scādalum patiuntur. Vide quomodo passi sunt scandalum tāquam à sole illi carnales, quibus prædicabat carnem suam Christus, & dicebat, Qui non manducauerit car-
Ioan. 6. nem filij hominis, & biberit eius sanguinem, non habebit in se vitam. Septuaginta fermè homines dixerunt, Durus est hic
Nota. sermo: & recesserunt ab eo, & remanserunt duodecim. Omnes
illos

illos vssit sol,& recesserunt,non valentes ferre vim verbi. Cùm autem duodecim remansissent,ait illis Dominus; Nunquid & vos vultis ire? Illi autem, quos nō visserat sol,respōderunt voce Petri; Domine,verbum vitæ æternæ habes:quò ibimus? Quos autem vrit Ecclesia,tanquam luna per noctem? Qui schismata fecerunt. Audi ipsum verbum positum in Apostolo: Quis infirmatur,& ego non infirmor? Quis scandalizatur,& ego non vror? Quomodo ergo non est scandalum in eo qui diligit fratrem? Quia qui diligit fratrem, tolerat omnia propter vnitatem: quia in vnitate charitatis est fraterna dilectio. 2 Audi Psalmum quid dicat, Pax multa diligentibus legem tuam,& non est eis scandalum. Pacem multam dixit eis qui diligunt legem Dei, & ideo non eis esse scandalum. Illi ergo qui scandalum patiuntur, pacem perdunt. Et quos dixit non pati scandalum,aut nō facere? Diligentes legem Dei. Ergo *non in schismate, sed* in charitate positi sunt. Sed dicit aliquis, Legem Dei dixit diligentibus,nō fratres. Audi quid Dominus dicat, Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Quid est lex, nisi mandatum? Quomodo autem non patiuntur scandalum, nisi dum sufferunt inuicem? Sicut Paulus dicit, Sufferentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis. Et quia ipsa est lex Christi, eundem audi Apostolum commendantem ipsam legem: Inuicem, inquit, onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi, *non diuidentes vnitatem spiritus corporis Christi.*

2.Cor.11. 2 Ibidē infra. Psalm. 118. Ioan.13. Ephes.4. Galat.6.

CAP. VII.

Versiculus iste exponitur: Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.

1 VT autem nullum scandalum omnino quis patiatur, *qui in corpore Christi est*; non sic homines sanctæ cuiusque professionis *in Ecclesia* attendat, vt fides eius ex eorum moribus pendeat, ne aliquibus cadētibus, quos pro magno habebat, ipse scandalo pereat; sed ipsam Dei legem diligat, & erit ei pax multa, nullumque scandalum. Securus enim diligit eam, in qua etiam si multi peccant, peccare ipsa non nouit. *Hæc illa lex est, cui (iuxta Apostolum Iacobum) detrahit, qui fratri detrahit,*

1 In Psal. 118. conc. 3 in medio. Iacobi 4.

& com-

a In Psal. 49. post medium *& completur in eo quod Psalmus habet*, [a] Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Quis *verò* est filius matris? Nonne frater? Hoc ergo repetere voluit, quod prius dixerat Fratrem tuum. An aliquam distinctionem nobis intelligendam insinuauit? Planè puto esse distinguendum. Frater aduersus fratrem detrahit: Verbi gratia, vt pura quasi firmus, & alicuius iam momenti doctor, & doctus, detrahit fratri suo, fortè bene docenti, & bene ambulanti. Est autem alius infirmus: aduersus illum ponit scandalum, huic detrahendo. Etenim cùm detrahitur bonis ab his qui videntur alicuius momenti esse, & docti esse; in scandalum cadunt infirmi, qui adhuc nesciunt iudicare. Ideo infirmus ille filius matris dictus est, nondum patris; adhuc lacte indigens, & vberibus adhærens. Portatur adhuc sinu matris Ecclesiæ; non valet accedere ad solidum cibum mensæ patris sui: sed de vbere matris victum trahit, ignarus iudicandi, quo-
1. Cor. 2. niam adhuc animalis atque carnalis est. Spiritalis enim omnia diiudicat: animalis autem homo, non percipit ea quæ sunt spi-
Ibidem 3. ritus Dei, quoniam stultitia est illi. Talibus dicit Apostolus, Non potui loqui vobis, quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Neque enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis. Mater
1. Thessal. 2. vobis fui, quomodo dicitur alio loco, Factus sum paruulus in medio vestrûm, tanquã nutrix fouens filios suos. Non nutrix
Vide in edit. Plãt Ser 122. de diuers. nutriens filios alienos, sed nutrix fouens filios suos. Sunt enim matres, quæ cùm pepererint, dant nutricibus. Illæ quæ pepererunt, non fouent filios suos, quia nutriendos dederunt. Illæ autem quæ fouent, non suos fouent, sed alienos. Iste vero ipse pepererat, ipse fouebat; nulli nutrici, quem pepererat, com-
Galat. 4. mittebat: dixerat enim, Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Fouebat ergo, & lactabat. Erant autem qui-
2. Cor. 10. dam quasi docti, & spiritales, qui Paulo detraherent. Epistolæ quidem, aiunt, graues, & fortes sunt: præsentia autem corporis infirma, & sermo cõtemptibilis. Dicit ipse in Epistola sua, quosdam detractores suos ita dixisse. Sedebant illi, & aduersus fratrem suum detrahebant: & aduersus lactandum illum filium matris suæ ponebant scandalum. Meritò fecerunt ipsi matri, vt iterum parturiret: *& , quos peperisset, contra tale scandalum præmuniret*.

CAP.

CAP. VIII.

Quomodo fiat scandalum: siue quid sit scandalum.

SEd iam videndum est nobis, quid sit scandalum. [1] Non enim res aduersæ huius sæculi, vocantur scandala. Scandala ergo quæ sunt, aduerte. Hoc interest inter pressuram & scandalum: in pressura parabas seruare patientiam, tenere constantiam, non relinquere fidem, non consentire peccato: hoc si seruaueris, pressura tibi ruina non erit: sed ad hoc valebit illa pressura, ad quod valet in torculari prælum, non vt oliua opprimatur, sed vt oleum liquetur. Denique si in ista pressura laudes Deo dicas, quàm prælum vtile, vnde iste liquor emanat? Sedebant in pressura Apostoli catenati, & cantabant hymnum Deo. Sedebat sub magna pressura Iob in stercore, sine ope, sine gloria, plenus vulneribus, quod totum pertinet ad exteriorem hominem: sed quia intus Deo plenus erat, & laudabat Deum; non ibi erat scandalum. Vbi ergo scandalum? Quādo accessit vxor, & ait: Dic aliquid in Deum, & morere. Omnibus quippe ablatis à diabolo, exercitato vxor seruata est, non ad cōsolationem, sed ad tentationem. Ecce, vbi scandalum. Exaggerauit miserias eius, & cœpit persuadere blasphemiam; illa scandalum erat, sed non illi: quia mitis erat, quia Deus ex lege sua docuerat eum. Pax multa erat in corde diligentis legem Dei: non erat illi scandalum. Audi quid ei respondit; & disce, quod Iob fuerit mitis. Locuta es, inquit, tanquam vna ex stultis mulieribus. Sed quia hic non est nominatum scandalū, audi Euangelistam. Cùm Dominus de sua passione prædicaret, Petrus cœpit illi suadere ne pateretur: cui respondit, Redi retro satan, scandalum mihi es. Qui paulò antè dixerat, Beatus es Simō Bariona; ostenderat illud membrum esse suum. At vbi cœpit scandalum esse, præcidit membrum, reiecit membrū, sepsuit membrum. Scandalum ergo tibi erit ille qui tibi cœperit aliquid mali suadere. Et fit hoc plerumque non maleuolentia, sed peruersa beneuolentia. Videt te amicus tuus, qui diligit te, pater, vel filius, vel cōiunx tua; videt te in malo, & vult te facere malum. Multa possent esse exempla: quia væ mundo à scandalis. Ecce, verbi gratia, potens aliquis quærit à te propter quædam, *vel fraudem, vel* rapinam, ministerium falsi testimonij; negas tu. Negas falsum, ne neges verum. Ille irascitur, potens est, premit: accedit amicus, qui te non vult esse in pressura. Rogo te,

[1] Serm. super illud, Væ mūdo à scādalis, in Milleloq.

Act. 16.

Iob 2.

Psalm. 118.

Matth. 16.

Nota.

inquit, fac quod tibi dicitur: quid magnum est? Iam iste scandalum tibi est: amicus est, oculus est, manus est: amputa, & proiice abs te. Noli consentire. Auerte illum ab auribus tuis, fortè correctus redibit. Ille fortè, vt excuset, dicit; Omnis homo mendax: & tu contrà, Os quod mentitur, occidit animam. Attende, non est leue quod audisti, Os quod mentitur, occidit animam. Quid mihi facit potens iste qui me premit? Quam ergo misericordiam ponis in me? Nō me vis esse in malo, cùm me vis esse malum? Quid mihi facit? premit: sed corpus premit. Quanto mitius agit mecum ille, quàm ego mecū, si mentitus fuero? Ille fortè occîdit carnem meā: ego occîdo animam meam. Corpus occîdit: moritur, etsi nō occideretur. Animam verò, quam non occîdit iniquitas, in æternum excipit veritas. Serua ergo quod seruare potes. Pereat quod quandoque periturum est. Ecce quæ sunt scandala. Ab hoc tibi dicitur malum faciendum: & si amas, & audis eum, blasphemas Christum. Et dicit hoc amicus tuus, consiliarius tuus. Ergo si oculus tuus, si minister tuus, vel operarius tuus; ergo si manus tua, vel fortè qui te sustentat, qui te ab humilitate terrena subleuat; ergo si pes tuus scandalizat te; amputa, & proiice abs te: *bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, aut duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.*

Psalm. 115. Sapien. 1.

Matth. 18.

CAP. IX.

Quomodo pij exagitentur à malis, quorum subsannationibus etiam aliquando à studio pietatis abstrahuntur.

1 In Psal. 92. vltra medium

1 IN hunc ergo modum, *ô homo, cum multorum infirmorum scandalo*, persuadent tibi multi multa mala; susurrare serpens non desinit, vt facias iniquitatem. Quacumque te conuertens, fortè si profecisti, quæris cum aliquo bene viuere; & vix inuenis. Multi mali te circundant; quia pauca grana multam paleam habent. Hæc area habet grana sua pauca, sed adhuc laborant. Separata ergo à palea, tota massa grandis erit. Pauca grana sunt, sed in comparatione palearum: multa autem in se. Ergo cùm vndique mali perstrepát, & dicant, Quare sic viuis? tu solus Christianus es? quare non facis quod faciunt & alij? quare non spectas, quemadmodum & alij? quare non remedia & ligaturas adhibes? quare nō mathematicos & aruspices consulis, sicut & alij? Tu signas te, & dicis, Christianus sum, vt repellas

repellas istos, nescio quos. Sed aduersarius premit, vrget, & (quod peius est) exemplo Christianorũ, suffocat Christianos. Sudatur, æstuatur, tribulatur anima Christiana; vincere habet tamen. Sed nunquid de se? Ideo vide quid dicat. Respondet enim; Quid mihi prodest, quia modò mihi facio remedia, & lucror paucos dies? Exeo hinc de isto sæculo, & vado ad Dominum meum, & mittet me in ignem: quia præposui paucos dies vitæ futuræ, mittet me in gehẽnas. Quas gehennas? Aeterni iudicij Dei. Verè nisi putas, quia Deus curat quomodo viuant homines? Et hoc fortè non in platea tibi dicit amicus, sed in domo vxor, aut fortè maritus vxori fideli, bonæ, & sanctæ, deceptor ipsius. Si mulier marito, Eua est illi: si vir vxori, diabolus est illi. Aut ipsa tibi Eua est, aut tu illi serpens es. Aliquando vult conuertere pater cogitationẽ suam vel ad filium: inuenit & ipsum malum, nequissimum: æstuat, fluctuat, quærit quomodo vincat; prope sorbetur, prope consentit, *dum hoc timet, ne sibi arguenti, verbis asperis insultet filius.* [2] Dicimus idcirco, quia multi timentes verbum asperum, incidunt in muscipulam venantium. Insultatur homini alicui, quia Christianus est, *quia Catholicus est:* pænitet illum, quia Christianus, *quia Catholicus factus est*, & ab aspero verbo incidit in muscipulam diaboli. Insultatur etiam homini, qui inter multos Christianos melius viuit, & timẽs aspera verba insultatorũ, incidit in laqueos diaboli, vt non sit triticum in area, sed paleam sequatur: [3] maximè si fuerint illi plures, & ceperint illum vnum: quomodo aliquando multa palea est circa vnum granum: tunc non erunt simul cùm fuerit massa ventilata: capitur inter multos iniquos ille, insultatur illi, circumuenitur, superponere se volunt illi, exagitant quasi iustum, & insultant quasi de ipsa iustitia. Magnus, inquiunt, Apostolus; in cælum volasti, quomodo Helias. Faciũt homines ista, ita vt aliquando attendẽs *quis* ad linguam humanam, erubescat esse bonus inter malos. 4 Et plerumque tantum valent irrisionibus suis, vt infirmos etiam de Christi nomine erubescere faciant. Vnde dictum est: Quisquis me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram patre meo. Iam verò quisquis sublimia illa præcepta implere voluerit, vt dispergat, det pauperibus, quo iustitia eius maneat in æternum; omnibusque suis rebus terrenis venditis, & indigentibus erogatis, Christum sequi voluerit, dicens, Nihil intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre

Nota.

2 In Psal. 50. conc. 2. post initium.
Vide ibidem conc. 1. in initio.

3 In Psal. 95. vltra medium.

4 In Psal. 63 in fine.
Lucæ 9.
Psalm. 111.
1. Tim. 6.

quid possumus; victum & tegumentum habentes, his contenti simus: incidit in istorum sacrilegam dicacitatem, & ab eis, qui sanari nolunt, vocatur insanus. Et sæpe ne hoc *nomine* vocetur à desperatis hominibus, trepidat facere, & differt, quod omniũ fidelissimus & potentissimus medicus imperauit.

Cap. x.

Lingua subdola hominum, pietati aduersantium, quomodo obsistat bene proficientibus in Ecclesia.

1 In Psal. 119. in medio. 1 CVm ergo sic homo cœperit disponere se: hoc dico apertius, cùm cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas aduersantium. Quicunque illas nondum passus est, nondum proficit: quicunque illas non patitur, nec conatur proficere. Vult nosse quid dicamus? Incipiat proficere; incipiat velle ascendere, velle contemnere terrena, fragilia, temporalia, felicitatem sæculi pro nihilo habere, Deum solum cogitare, lucris non gaudere, damnis non contabescere, omnia etiam sua velle vendere, & pauperibus tribuere, & sequi Christum: videamus quemadmodum patiatur linguas retrahẽtium, & multa contradicentium; & (quod est grauius) quasi consulendo, à salute auertentium. Qui enim consulit alicui, ad salutem consulit, ad id quod prodest, consulit: ille autem quasi consulens, retrahit à salute. Quia ergo videtur habere pallium consulentis, & habet venenum perimentis; lingua eius dolosa dicta est. Ait enim Propheta, Domine, erue animam meam à labiis iniustis, & à lingua dolosa. Quæ est lingua dolosa? Subdola, habens imaginem consulendi, & perniciem nocendi. Ipsi sunt qui dicunt, Et tu hoc facturus es, quod nemo fecit? & tu solus eris Christianus? Et si ostenderit alios hoc facere, & legerit Euangelium, vbi præcepit Dominus hoc fieri, & legerit Actus Apostolorum; illi quid dicunt in lingua subdola & labiis iniquis? Non poteris hoc implere; multum est quod aggrederis. Alij prohibendo deterrent, alij laudando plus premunt. Quia enim talis est *piorum* vita, quæ iam occupauit mundum, tanta authoritas Christi est, vt reprehẽdere iam Christum nec paganus audeat: legitur ille qui reprehendi non potest, quia dixit; Vade, vẽde omnia quæ habes, & distribue pauperibus, & sequere me. Christo cõtradici non potest; Euãgelio contradici non potest; reprehendi Christus nõ potest: conuertit se lingua dolosa

Psalm. 119

Matth. 19.

dolosa ad laudem prohibentem. Si laudas, hortare. Quare laudando premis? Melius vituperares, quàm dolosè laudares. Quid enim diceres vituperando? Absit: fœda vita est ista, mala vita est. Sed quia nosti, cùm hæc dixeris, premi te posse authoritate Euangelica, conuertis te ad aliud dissuadendi genus, vt laudando falso, me à vera laude prohibeas: imò laudando Christum, à Christo prohibeas, dicens, Quid est hoc? Ecce illi fecerunt, tu non poteris. [2] Lingua certè subdola, nihil sic nouit Ibidem inf.
dicere, quò magis subdola est, nisi, Vide ne non possis implere; multum est ad te hoc aggredi. Incipit autem tibi dicere Deus, Tu nō potes? quare ille potest? quare alter potuit? Nunquid tu delicatior es illo senatore? Nunquid tu infirmior es illo aut illo in valetudine? Nunquid tu infirmior es feminis? Feminæ potuerunt; viri non possunt? Delicati diuites potuerunt; pauperes non possunt? Sed ego, inquit, multùm peccaui, & multùm peccator sum. Numerantur etiam, qui multùm peccauerunt, & eo amplius amauerunt, quo plura illis dimissa sunt peccata. Quomodo dictum est in Euangelio; Cui modicum Lucæ 7.
dimittitur, modicum diligit. Cùm ergo fuerint ista enumerata, & nominatim dicti fuerint homines qui potuerunt; [3] illa 3 In Psal. 123.
blanda & dolosa lingua quid dicit? Ecce illi potuerunt, fortè tu in medio.
non poteris. Si aggrederis, deficies: & melius erat non incipere, quàm cœpisse, & defecisse.

CAP. XI.

Hîc bonis inter malos viuendum est: & inter omnes Ecclesiæ inimicos nulli eam magis persequuntur, quàm mali Christiani.

1 IAm sine dubio, qui repulit linguam istam subdolam, & labia iniqua à se, incepit proficere: sed adhuc viuit inter ma- 1 In Psal. 119. in medio.
los, & inter iniquos: nondum est area ventilata. Puta quia triticum factum est, nunquid iam in horreo est? Adhuc necesse est vt multa palea prematur: & quantum proficit, tantum videt maiora scandala in populo. Nam si nō proficiat, non videt iniquitates: si non sit verè Christianus, nō videt fictos. Etenim & de illa similitudine hoc nos docet Dominus, & de frumētis, & de zizaniis. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, Matth. 13.
tunc apparuerunt & zizania, id est, nulli homini apparēt mali,

[2] In Psal. 98. ante finem. nisi factus fuerit ipse bonus. [2] Cùm enim fueris frumentum, id est, herba bona de semine bono, filius regni, cùm cœperis fructum dare: tunc tibi apparebunt zizania. Cùm cœperint apparere, videbis te inter malos. Velle habes quasi separari à te malos, & separare ab Ecclesia omnes malos: respondebit tibi Domini sententia, Sinite vtraque crescere vsque ad messem; ne fortè cum vultis eradicare zizania, eradicetis simul & triticum. Ex sententia Domini necesse erit parcere zizaniis: ex conditione serui necesse erit viuere inter zizania. Separare ea non potes: tolerare tibi necesse est. Vide quantas plagas in corde patiaris, qui corpore & corde integro, inter malos versaris. Probabitis, quicumque profeceritis; probabitis, quicunque iam proficitis. Toleranda sunt ergo ista. *Tolerabat* [3] Christus traditorem suum, & elegit illum magis ad opus necessarium. Illius malo magnum bonum operatus est: & tamen inter duodecim electus est, ne ipse duodenarius tam exiguus numerus esset sine malo. Hoc ad exemplum nostræ patientiæ; quoniam necesse erat vt inter malos viueremus. Et quia necesse erat vt malos, siue scientes siue nescientes toleraremus: exemplum patiẽtiæ præbuit; ne deficias cum cœperis inter malos viuere. Et quia illa schola Christi in duodecim non defecit: quanto magis nos firmi esse debemus, cùm implentur in Ecclesia magna, quæ de malorũ permixtione prædicta sunt? Neque enim videbat ipsa schola redditũ semini Abrahæ, quod erat promissum, & ipsam arcam, vnde massa, quæ implebit horreum, processura est. Quare igitur nõ, cùm trituratur, in ea dignè palea toleratur, donec vltima ventilatione purgetur? [4] Nam quamdiu hic est Ecclesia; quamdiu gemit triticum inter paleas; quamdiu gemũt vasa misericordiæ inter vasa iræ, facta in contumeliam; quamdiu gemit lilium inter spinas, non deerunt Ecclesiæ inimici. [5] Qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani, Iudæi, *Hæretici*. Omnibus *autem* peius viuunt mali Christiani. Vis videre quàm omnibus peius viuãt mali Christiani? De talibus dicit Propheta Ezechiel, quia comparantur sarmentis inutilibus. Pone Paganos (*vt taceatur de Iudæis & Hæreticis*) ligna esse syluatica extra Ecclesiam: adhuc potest inde fieri aliquid, quomodo de lignis fabrilibus est lignum fabro aptum: & si adhuc nodosum, & curuum, & corticosum, tamen quod doleatur, ascietur, deplanetur, & possit venire ad aliquam fabricam vsus humani. De sarmentis autẽ præcisis, fabri nihil facere possunt: ignis

Marginal notes: Matth. 13. — Nota. — [3] In Psal. 34. conc. 1. in medio. — [4] In Psal. 70. con. 2. in fine. — [5] In Psal. 30. cõc. 2. in med. — Ezech. 15.

ignis ea solus expectat. Attende, cùm syluatico ligno vbique præponatur sarmentum, manens in vite: quia sarmentum dat fructum, illud lignum non dat fructum: præciso tamen sarmento de vite, si comparetur lignum syluaticum, intelligitur esse melius, quia de illo faber aliquid facere potest: hæc autem non quærit, nisi vt foco ministret. *Quid igitur de talibus dicam amplius, nisi quia* [6] illi maximè persequuntur Ecclesiam, qui Christiani nolunt bene viuere? Per hos enim opprobrium habet Ecclesia, & ab his grauissimas inimicitias sustinet: quando corripiuntur, quando malè viuere non permittuntur; quando cùm eis vel *solo* verbo agitur; ipsi mala in suis cordibus meditantur, & erumpendi occasionem requirunt. Et inter multitudinem illorum vix apparent boni, tanquam grana in area, de quibus tunc purgatis horrea replenda sunt Domini. *Postremò*, confusio quædam putatur, cùm omnes, Christiani dicuntur, & qui bene viuunt, & qui male viuunt; omnes vno charactere signantur, omnes ad vnum altare accedunt, omnes eodem baptismo abluuntur, omnes eandẽ orationem Dominicam proferunt, omnes iisdem mysteriis celebrãdis intersunt. Quando discernentur? 7 Cùm venerit ventilator. Ergo modò area in orbe terrarum est: necesse est, vt si proficis, inter iniquos viuas. Ab iniquis recedere non potes; ab iniquitate recede. Recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. *Sed ab ipsa area* [8] nemo se separet, nemo se disiungat: triticum es, ferto paleam, quousque ventiletur. De area vix excutieris, si triticum es. Si triticum esses foris ab area, inuenirent te volatilia, & colligerent te. Adde, quia eo ipso, quo discedis & volas, paleam te esse indicas. Et quia leuis eras, venit ventus, & de sub pedibus boum ablatus es. Qui autem triticum sunt, ferunt trituram: gaudent quia grana sunt: gemunt inter paleam, expectant ventilatorem, quem cognoscunt redemptorem.

6 Ibidẽ cõc. 3. in initio.

7 In Psal. 25. in medio.

2. Tim. 2.

8 In Psal. 148. in initio.

CAP. XII.

Ecclesia area est: in ea à bonis perferendi sunt mali, donec veniat tempus ventilationis.

1 SED VIDEAMVS ista paulo diligentiùs: quia cùm quisque profecerit in Ecclesia, necesse est patiatur malos in Ecclesia. Sed non eos cognoscit, qui talis est; quanquam multi mali murmurent aduersus malos.

1 In Psal. 25. enar. 2 in fine.

Quomodo faciliùs vnus sanus fert duos ægrotos, quàm duo ægroti se inuicem singulos. Itaque hoc præcipimus. Area est Ecclesia huius tẽporis: sæpe diximus, sæpe dicimus; & paleam habet & frumentum. Nemo quærat exire totam paleam, nisi tempore ventilationis. Nemo ante tempus ventilationis deserat aream, quasi non velit pati peccatores; ne præter aream inuentus, prius ab auibus colligatur, quàm ingrediatur in horreum. Quomodo autem hoc dicamus, attende. Grana cùm cœperint triturari, inter paleas iam se non tangunt, ita quasi se non nouerunt, quia intercedit palea. Et quicunque longiùs attendit aream, paleam solam putat: nisi diligentiùs intueatur, nisi manum porrigat, nisi spiritu oris, id est, flatu purgante discernat; difficilè peruenit ad discretionem granorum. Ergo aliquando & ipsa grana ita sunt quasi seiuncta ab inuicem, & non se tangentia, vt putet vnusquisque, cùm profecerit, quod solus sit. Hæc cogitatio Heliam tentauit, tantum virum, & dixit ad Deum (sicut etiam Apostolus cõmemorat:) Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderũt; & ego remansi solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Non dixit ei, Habes alios duos aut tres similes tibi. Noli, inquit, putare te solũ. Alia, inquit, septem milia sunt, & solum te putas? Itaque hoc breuiter præcipimus, vt dicere cœperam, quisquis adhuc malus est, nõ putet neminem bonum esse; quisquis bonus est, non putet se solum bonũ esse. Tenes hoc, ecce repeto, vide quia dico, Quisquis malus est, interrogans conscientiam suam, & malè sibi renuncians, non arbitretur neminem bonum esse. Quisquis bonus est, non arbitretur se solum bonum esse, & non timeat bonus esse in commixtione malorum; quia veniet tempus vt inde segregetur. Ad hoc enim cantamus *in Psalmo*: Ne comperdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitã meam. Quid enim est, Ne comperdas? Ne simul perdas. *Hoc illi dicimus, qui* [a] verè iudex est, non cõcernens, sed discernens. Nouit enim Dominus, qui sunt eius. Etsi grana latent in palea, agricolæ nota sunt. Nemo timeat esse granum etiam inter paleam; non falluntur oculi ventilatoris nostri. Noli timere, ne illa tempestas, de qua in alio Psalmo dicitur, quæ erit in circuitu eius, concernat te cum palea. Certè valida erit tempestas, nullum tamen granum tollet à parte tritici ad paleam: quia non quili-

Nota.

Vide Ser. 221. de temp.

3. Reg 19.
Rom. 11.

Psalm. 25.

a In Psal. 49. in medio.
2. Tim. 2.

Psalm. 49.

quilibet rusticus cum tridente, sed Deus Trinitas iudex erit.
3 Hac tempestate erit illa ventilatio, qua separabitur à sanctis omne immundum, à fidelibus omnis simulatio, à piis & trementibus verbum Dei, omnis contemptor & superbus. Modò enim mixtura quædam iacet à solis ortu vsque ad occasum. 3 Ibidem sup.

CAP. XIII.

Inter malos qui in Ecclesia sunt, gemunt boni.

1 IN ista ergo omni multitudine, id est, in Ecclesia, quæ toto orbe terrarum diffusa est, palea est, & frumentũ. Palea volat, frumentum manet. Quando palea nostra attenditur, quid dicitur? Ecce quomodo viuunt Christiani: ecce quid faciunt Christiani. Et fit quod scriptum est, Quoniam nomen meum (dicit Ecclesia) per vos blasphematur in gentibus. Inique, inuide, aream inspicis, qui totus in palea es; non tibi facilè grana occurrunt. Quære, & inuenies. Vis inuenire? Esto talis. Nam si non fueris talis, difficile est, vt nõ omnes tales tibi videantur, qualis es. *Quid? an excusare volumus eos, qui malè viuunt? Nequaquam. Sed nec hoc tacere possumus, quòd* 2 multi Christiani tolerabiliter peccant: multi flagello à peccato corriguntur, & emendantur, & sanantur: multi omnino auersi, dura ceruice, obnitentes aduersus disciplinam patris, & ipsam omnino Dei hæreditatem recusantes, habentes tamen signum Christi, eunt in tales iniquitates, vt non possint nisi recitari inter eos, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Non tamen propter hos remanebit Christus sine hæreditate: non propter paleam etiam frumenta interibunt: non propter pisces malos, nihil ex illa sagena mittetur in vascula. Nouit Dominus, qui sunt eius. Securus enim promisit, qui nos, antequam essemus, prædestinauit. Quos autem prædestinauit, illos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Peccent quantum volunt desperati: respondeant membra Christi, Si Deus pro nobis, quis contra nos? 3 Sed interim necesse est vt multa perferant frumenta, quæ gemunt inter zizania. Sunt grana inter paleam, sicut est lilium inter spinas. Quid enim audit Ecclesia? Sicut lilium in medio spinarũ, ita proxima mea in medio filiarum. Non dictum est, in medio alienarum, sed, in medio filiarum. O Domine, quomodo consolaris, quomodo confortas? Quomodo terres? Quid est quod dicis, Sicut lilium in medio spi-

1 In Psal. 34. cõc. 2. in med.
Rom. 2.
2 In Psal 28. conc 2 post princip.
Rom. 5.
2. Tim. 2.
Rom. 8.
3 In Psal. 99. in medio.
Cant 2.

narum,ita proxima mea in medio filiarum? Quas dicis spinas? ipsas filias, respondet. Spinæ sunt, propter mores suos: filiæ propter sacramenta mea. Vtinam ergo inter gemitus alienarum gemeretur; minus gemeretur. Ille est maior gemitus,
Psalm. 45. Quoniam si inimicus meus exprobrasset mihi, sustinuissem vtique: & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Quos dulces cibos nobiscum capiunt, qui nobiscum semper futuri non sunt? Quos dulces cibos, nisi, Gustate & videte,
Psalm. 99. quàm dulcis est Dominus? Inter illos necesse est, vt gemamus.

Cap. XIIII.

Qui bonus est, nō se omnino separet à malis; sed studeat prodesse & malis, & à se ipso expellat omne malum.

r Ibidē imme-diatè. r SEd quò se separaturus est Christianus, vt non gemat inter falsos fratres? Quò iturus est? Quid facturus? Solitudines petet? Sequūtur scandala Separatutus est se, qui bene proficit, vt nullum omnino hominem patiatur? Quid si & ipsum, antequam proficeret, nemo vellet pati? Si ergo quia proficit, nullum hominem vult pati; eo ipso, quo non vult aliquem hominem pati, conuincitur quod non profecerit; *nec impleuerit*, Sustinētes inuicem, quod ait Apostolus, in dilectione.
Ephes. 4. Non habes quod in te alius sustineat? Miror si non est. Sed ecce non sit. Eo robustior es ad cæteros sustinendos, quod iam non habes, quod in te alij sustineant. Non sustineris; sustine cæteros. Non possum, inquis. Ergo habes quod in te alij sustineant. Tu deseris res humanas, & segregas te, vt nemo te videat. Cui proderis? Tu ad hoc peruenisses, si nullus tibi profuisset? An quia veloces pedes tibi videris habuisse ad transeundum, præcisurus es pontem? Separabo me, inquit aliquis, cum paucis bonis, cū illis mihi bene erit. Nam nulli prodesse,
Math. 25. impium & crudele est. Nónne hoc docuit Dominus meus? Non enim damnauit seruum, qui interuertit quod accepit: sed qui non erogauit. Intelligatur pœna interuersoris, ex pœna pigri. Serue nequam & piger, ait Dominus damnans: Non ait, Interuertisti pecuniam meam: non ait, Dedi tibi, & nō mihi, quod dedi, integrum reddidisti: quia non creuit, quia non erogasti, inde, inquit, te puniam. Auarus est Deus salutis nostræ.

Ergo

Ergo ſeparabo me, inquit, cum paucis bonis. Quid mihi eſt rationem habere cum turbis? Bene. Pauci ipſi boni, de quibus turbis ſunt eliquati? Si tamen iam ipſi pauci homines boni, (tamẽ bona cogitatio humana laudabilis, eſſe cum talibus, qui elegerunt vitam quietam, remoti à ſtrepitu populari, à turbis inquietis, à magnis fluctibus ſæculi) tanquam in portu ſunt. Iam ergo ibi gaudium illud? Iam ibi iubilatio illa, quæ promittitur? Nondum, ſed adhuc gemitus, adhuc ſolicitudo tentationum. Habet enim alicunde & portus aditum. Si nulla ex parte haberet, nulla in eum nauis intraret. Oportet ergo vt portus ex aliqua parte pateat. Aliquando autem per eam partem, qua patet, ventus irruit, & vbi ſcopuli non ſunt, naues ſe inuicem, colliſæ confringunt. Vbi ergo ſecuritas, ſi nec in portu? Et tamen vtcumque feliciores eſſe in portu, quàm in pelago, fatendum eſt, concedendum eſt, verum eſt: tamen ſi naues in portu bene ſibi applicentur, non ſibi colliduntur. Seruetur tibi parilitas æquabilitatis, cõſtantia charitatis: & quando fortè ventus, ex illa parte, qua patet, irruerit; ſit tibi cauta gubernatio. Nam quid dicturus eſt mihi, quiſquis talibus locis fortè præeſt, imò ſeruit fratribus in his, quæ Monaſteria dicuntur? Quid dicturus eſt? Cautus ero; nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admiſſurus ſum: cum paucis bonis bene mihi erit. Vbi cognoſcis, quem fortè vis excludere? Vt cognoſcatur malus, intus probãdus eſt. Quomodo ergo excludis intraturum, qui poſtea probandus eſt; & probari, niſi intrauerit, non poteſt? Repelles omnes malos? Dicis enim, & noſti inſpicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt, qui intraturi ſunt? Ipſi ſe non nouerunt; quanto minus tu? Multi enim ſibi promiſerunt, quod impleturi eſſent illam vitam ſanctam, in commune habẽtem omnia, vbi nemo dicit aliquid ſuum, quibus eſt vna anima, & cor vnũ in Deum: miſſi ſunt in fornacem, & crepuerunt. Quomodo ergo tu cognoſcis eum, qui ſibi adhuc ignotus eſt? Excludes malos fratres à conuentu bonorum? De corde tuo, quiſquis iſta dicis, omnes malas cogitationes, ſi potes, à te exclude. Non intret in cor tuum vel ſuggeſtio mala. Non conſentio, inquis. Sed intrauit tamen, vt ſuggereretur. Nam omnes munita corda habere volumus, vt nihil intret, quod malè ſuggeratur. Vnde autem intret, quis nouit? Et pugnamus quotidie in vno corde noſtro.

Monaſteria.

Actor. 4.

Vnus

Vnus homo in corde ſuo cum turba luctatur. Suggerit auaritia, ſuggerit libido, ſuggerit voracitas, ſuggerit lætitia iſta popularis. Omnia ſuggeruntur; ab omnibus ſe continet, omnibus reſpondet, & ab omnibus auerſatur: difficile eſt, vt non ab aliquo feriatur. Vbi ergo ſecuritas? Hîc nuſquam, niſi in ſola ſpe promiſſorum Dei.

Cap. xv.

Vnaquæque profeßio, quæ in Eccleſia eſt, & cautè debet laudari, propter malos qui illic ſunt: & non temerè vituperari propter bonos.

1 Ibidē infra. 1 HInc autem falluntur homines, vt vel non ſuſcipiant meliorem vitam, vel temerè aggrediantur: quia & cùm laudare volunt *aliquam profeſſionem*, ſic laudant, vt non ibi dicant mala, quæ mixta ſunt: & qui vituperare volunt, tam inuido animo & peruerſo vituperant, vt claudant oculos aduerſus bona: & ſola mala, quæ ibi vel ſunt, vel eſſe putantur, exaggerent. Inde fit, vt vnaquæque profeſſio malè laudata, id eſt, non cautè laudata, cùm inuitauerit homines laude ſua, *facilè vituperetur*, ſi inueniant illi qui illuc veniunt, aliquos, quales ibi eſſe non credebãt: & offenſi à malis, reſiliant à bónis. Laudatur, vt generaliter dicam, Eccleſia Dei; magni homines Chriſtiani, ſoli Chriſtiani, magna Eccleſia Catholica: diligunt ſe omnes, impendunt ſibi quiſque quod poſſunt: orationibus, ieiuniis, hymnis vacatur per totum orbem terrarum: vna ibi conſenſione pacis laudatur Deus. Audit fortè, qui neſcit tacitum eſſe de commixtis malis; venit *hac* laude inuitatus; inuenit commixtos malos, qui non illi prædicti ſunt, antequam veniret: offenditur à falſis Chriſtianis, refugit à veris Chriſtianis. Rurſus odioſi, maledici, irruunt in *hanc* vituperationem, Quales Chriſtiani? Qui Chriſtiani? Auari, fœneratores. Nónne ipſi ſunt, qui theatra & amphitheatra implent per ludos, & per alia ſpectacula, qui implent Eccleſias per dies feſtos? Ebrioſi, voraces, inuidi, inſectatores alterutrum. Sunt *equidem* tales, ſed non ſoli tales. Et iſte vituperator cæco animo tacet bonos: & ille laudator incauto animo tacet malos. Si autem ſic laudamus in hoc tempore Eccleſiam Dei, quomodo laudant ſcripturæ Dei:
Cant. 2. ecce quomodo nunc dixit, Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic proxima

proxima mea in medio filiarum: audit homo,considerat,placet illi lilium:intrat,adhæret lilio,tolerat spinas. Ita & in clericis. Laudatores clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores,omnium toleratores, viscera sua impēdentes his quos volunt proficere, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Laudant hæc; obliuiscuntur,quia mixta sunt malis. Rursus sunt, qui reprehendunt auaritiam clericorum, improbitates clericorum, lites clericorum,appetentes res alienas, ebriosos,voraces,iactantes. Et tu inuide vituperas,& tu incaute laudas. Tu qui laudas, dic mixtos malos: tu qui vituperas,vide ibi & bonos. Sic & in illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti, quotidie in hymnis, in orationibus,in laudibus Dei: inde viuunt. Cum lectione illis res est. Laborant manibus suis, inde se transigunt; non auarè aliquid petunt. Quicquid eis infertur à piis fratribus,cum sufficientia, & cum charitate vtūtur. Nemo sibi vsurpat aliquid,quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent. Laudat qui nescit quid interius agatur: qui nescit quomodo illo vento intrante,etiam naues in portu colliduntur. Intrat quasi securitatem sperans: neminem, quem toleret,habiturus: inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non possent, nisi admitterentur. Et necesse est vt primò tolerentur,ne fortè corrigantur. Nec excludi facilè possunt,nisi prius fuerint tolerati. Hinc fit ipse intolerandæ patientiæ. Quis me huc quærebat? Ego putabam quia charitas esset hic. Et paucorum hominum molestia irritatus,dum nō perseuerauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Iam verò cùm inde exierit, fit & ipse vituperator, & maledicus: & dicit ea sola, quæ quasi se pati non potuisse asseuerat, & aliquando vera. Sed vera malorum toleranda sunt,propter societatem bonorum. Dicit illa Scriptura, Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Et quod est amplius; ructat indignationes, malorum odorem, vnde absterreat intraturos: quia ipse, cùm intrasset, perdurare non potuit. Quales illi? Inuidi, litigatores, neminem sustinentes, auari. Ille illud ibi fecit; & ille illud ibi fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti, iactas: qui te malum tolerauerunt, taces.

Philip. 2.

Eccle. 2.

CAP.

CAPVT XVI.

Ista scriptura exponitur: Duo erũt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur, &c.

1 In Psal. 36. cóc. 1. in init. 1 IAm verò, quia in quocunque genere vitæ, quod habet aliquam professionem; non omnes inueniuntur probi, non omnes inueniũtur reprobi, ex hoc apparet; quia de quibusdam hominum generibus, quæ per similitudines in Euangelio proposita audiuimus, sic concluditur: Vnus assumetur, & vnus relinquetur. Assumetur bonus, relinquetur malus. Videntur duo in agro: eadem professio est, sed non idem cor. Professionem vident homines: cor nouit Deus. Quodlibet ergo ager significet; vnus assumetur, & vnus relinquetur. Non quasi dimidia pars assumetur, & dimidia relinquetur: sed genera hominum duo. Et si aliud eorum sit in paucis, aliud in multis; vnus assumetur, & vnus relinquetur: hoc est, vnum genus assumetur, & alterum relinquetur. Sic in lecto, sic in molẽdino. Expectas fortasse quid ista sint: vides tecta esse, & similitudinibus quibusdam inuoluta. Potest mihi aliud videri, alteri aliud. Sed neque ego, quod dixero, præscribo alteri ad meliorem intellectum, nec ille mihi: an vtrumque accipiendum sit, si vtrumque cum fide concordat. Videntur enim in agro laborare, qui præsunt Ecclesiis; sicut Apostolus dicit: Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Nam & architectum se dixit, cùm dicit: Vt sapiens architectus fundamentum posui. Et agricolam, cùm dicit: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit. In molendino ergo duas dixit, non duos. Credo quòd hæc figura ad plebes pertineat: quia præpositi regunt, plebes reguntur. Et molendinum puto dictum mundum istum: quia rota quadam temporum voluitur, & amatores suos conterit. Sunt etiam qui de mundi actionibus non recedunt: sed tamen & ibi alij bene operantur, alij malè. Alij sibi faciunt amicos de mammona iniquitatis, à quibus recipiantur in tabernacula æterna, quibus dicetur, Esuriui, & dedistis mihi manducare. Alij ista negligunt, quibus dicetur, Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Proinde quia de his, qui versantur in negotiis & operibus huius mundi, alij diligunt benefacere indigentibus, alij negligunt; tanquam de duabus in molendino, vna assumetur, & vna relinquetur. Lectum autem positum arbitror pro quiete: quia sunt, qui neque actiones mundi pati volunt, sicut

Matth. 24.

1. Cor. 3.

Luc. 16.

Matth. 25.

son-

coniugati homines, habentes domos, familias, filios: neque aliquid in Ecclesia agunt, sicut præpositi, velut in agricultura laborantes: sed velut ad hæc infirmi, secedunt ad otiū, & quieti esse diligunt, veluti memores infirmitatis suæ, non se committentes magnis actionibus, & quodammodo in strato infirmitatis suæ rogantes Deum. Et hæc professio habet bonos, habet fictos. Proinde etiam ex his vnus assumetur, & vnus relinquetur. Ad quamcumque ergo professionem te conuerteris, para te pati fictos: alioquin si te non paraueris, inuenies quod non sperabas; & deficies aut perturbaberis.

Cap. XVII.

In omni congregatione & boni sunt & mali: si boni malos corrigere non possunt, tolerent necesse est.

1 Non tamen dixi omnem hominem esse fictum; sed dico omnem professionē habere fictas personas: sunt Christiani mali, sed sunt & boni. Quasi plures malos vides, quia palea sunt, & te ad grana peruenire non permittunt. Sunt ibi grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium. Inuenis sanctimoniales indisciplinatas. Nunquid ideo sanctimonium reprehendendum est? Multæ non stant in domibus suis, circumeunt domos alienas, curiosè agentes, loquentes quæ non oportet, superbæ, linguatæ, ebriosæ. Et si virgines sunt, quid prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile coniugium, quàm superba virginitas. Si enim nuberet, non haberet nomen, vnde extolleretur: & haberet frenum quo regeretur. Sed nunquid propter virgines malas, damnaturi sumus & sanctas, & corpore, & spiritu? Aut propter istas laudabiles, etiam illas fictas & improbandas laudare cogemur? Vndique vnus assumetur, & vnus relinquetur: 2 quia, *vt dixi*, in omni congregatione multitudinis, necesse est vt inueniantur mali & ficti. Deus enim, qui nouit exercēdos nos, miscet nobis & non perseueraturos; aut certè ita simulatos, vt nec inchoauerint, in quo perseuerare debeant. Nouit enim necessarium esse nobis, vt feramus malos, & proficiat quod boni sumus. Diligamus inimicos, corripiamus, castigemus, excommunicemus, cum dilectione à nobis etiam separemus. Vide enim quid dicat Apostolus: Si quis autē nō obaudit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo. Sed ne subrepat tibi

1 In Psal. 99. prope finem.

Nota.

2 In Psal. 54. ante medium

2 Thess. 3.

tibi ex hoc iracundia, & turbet oculum tuum: Non, inquit, vt inimicum eum existimeris, sed corripite vt fratrē, vt erubescat. A quo indixit separationē, non præcidit dilectionem. 3 Quid enim pater de luxurioso filio facturus es? Non castigabis, non verberabis? Seruum & ipsum tuum si malè viuentem videris; non pœna aliqua, non verberibus refrenabis? Fiat hoc, fiat: hoc admittit Deus; imo reprehendit, si non fiat; sed animo dilectionis fac, non vltionis. Vbi autem potentiores aliquos iniuriosos passus fueris, vbi tibi nec corrigere disciplina licet, nec fortè etiam monere aut præcipere; tolera, securus tolera: audi Euangelium, quomodo in eo lectum est, Beati eritis cùm vos persecuti fuerint homines, & dixerint aduersum vos omne malum, mentientes propter nomen meum. Et ibi addidit propter quid, ne merito tuo accipias maledicta, non causa iustificationum Dei. Non enim qui maledictus fuerit, iustus est; sed qui iustus est, & iniustè maledicitur: & si iniustè maledicitur, præmium illi redditur. Propterea itaque securus extende dilectionem vsque ad inimicos. Qui fortè pertinent ad gubernationem tuam, vindica, coërce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem ęternam, ne, cùm parcis carni, anima pereat. Fac hoc, & multos passurus es, in quos non potes exercere disciplinam; quia non pertinent ad iura gubernationis tuæ.

3 In Psal. 102. in medio.

Matth. 5.

Cap. XVIII.

Qui videt se nihil prodesse alijs, vult auolare: & quia non potest, infirmus esurit: vult manducare, & non habet.

[a] Conatur ergo *aliquis pius, & rectus* homo, plerumque corrigere homines distortos, prauos, pertinentes quidem ad curam suam; sed in quibus deficiat omnis humana industria & vigilantia: si corrigere *& emendare* non potest, pati necesse est. Et qui corrigi non potest, tuus est; aut consortio generis humani, aut plerumque ecclesiastica communione. Intus est, quid facies? quò ibis? Quò te separabis, vt ista non patiaris? Sed adesto, loquere, exhortare, blandire, minare, corripe. Feci, inquis, omnia; quicquid virium habui, impendi, & expressi: nihil me video profecisse: omnis opera insumpta est; dolor remansit. Quomodo ergo requiescet cor meum à talibus, nisi vt dicam, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Columba à molestiis quærit auolationem, sed non

a In Psal. 54. ante medium

Psalm. 54.

non amittit dilectionem. Columba enim pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur. Nihil tam amicum gemitibus, quàm columba; diu noctuque gemit tanquam hîc posita, vbi gemendum est. Quid ergo dicit iste dilector? Conuitia hominum ferre nõ possum, strident, rabie feruntur, accenduntur iracundia, in ira adumbrant me. Prodesse illis non possum: vtinam requiescam alicubi ab eis separatus corpore, nõ amore: ne in me conturbetur ipsa dilectio. Verbis meis & collocutione mea prodesse non possum: orando pro eis forsitan prodero. Dicunt ista homines, sed plerumque ita ligantur, vt volare non possint. Fortè enim non ligantur visco, sed ligantur officio. Si autem ligantur cura & officio, & suos deserere non possunt, dicant cũ Apostolo, Optabam dissolui, & esse cũ Christo. Multo Philip. 1.
enim magis optimum: manere in carne, necessarium propter vos. Columba delicata, religata affectu, non cupiditate, volare non poterat propter implendum officium, nõ propter paruum meritum. *Dicit enim & alibi:* [a] Nunc viuimus, si vos statis in a In Psal. 30. conc. 2. ante medium.
Domino. Quicunque *firmi & perfecti* sunt ex Euangelio, *& abundant* gratia Dei, non hic viuunt, nisi propter alios *in gratia confirmandos*. Nam vita eorum in sæculo eis iam non est 1. Thess. 3.
necessaria. Sed quia dispensatio eorum aliis necessaria est, fit in eis, quod ait idem Apostolus; Concupiscentiam habens dissolui, & esse cum Christo. Multo enim, inquit, magis optimum: Philip. 1.
manere autem in carne necessarium propter vos. *Quamquam & illud fidelium dispensatorum animos non solùm consoletur, sed & corroboret plurimum in laboribus abundantius perferendis, dum sentiunt ex illis alios proficere.* Quando autem videt homo ex dispensatione sua, ex laboribus suis, ex prædicatione sua *& gratia communicata*, non proficere homines; quasi infirmatur in egestate vita hominis *illius*. Verè miserabilis egestas & fames: quandoquidem eos quos Domino lucramur, quodammodo manducat Ecclesia. Quid est mãducat? In corpus suum traiicit. Quicquid enim mãducamus, in corpus nostrum traiicimus. Hoc agit Ecclesia per sanctos. Esurit, quos lucrari vult, Vide Ho. 48. inter Quinqu.
& quos lucrata fuerit aliquo modo, manducat quodammodo. Cuius personam gerebat Petrus, quando ei de cælo submissus Act. 10.
est discus, plenus omnibus, animalibus, quadrupedibus, reptilibus, & volatilibus: quibus generibus omnes gentes significabantur. Præfigurabat Dominus Ecclesiam, quod *ipsa* omnes gentes erat transuoratura, & in corpus suũ conuersura; & ait Vide in Psal. 71. in medio.

Matth. 16. Petro, Macta & manduca. O Ecclesia, hoc est, Petre (quia super hanc petram, ait, ædificabo Ecclesiam meam) macta & manduca. Prius macta, & sic manduca. Occide quod sunt, & fac quod es. 3 Quid est enim mactare, & manducare? Occidere in eis, quod erant, & in sua viscera assumere. Dissuasisti Pagano sacrilegia; occidisti quod erat: dato sacramento Christi, incorporasti Ecclesiæ, manducasti.

3 In Psal. 103. conc. 3. ante medium.

Cap. XIX.

Ecclesia esuriens, vult multos manducare; & paucos inueniens quos manducet, rogat Deum vt causam suam diiudicet.

1 In Psal. 103. in medio.

1 Quomodo ergo Petrus, id est, Ecclesia mactat & manducat, nisi quia in Ecclesiæ corpus nemo intrat, nisi prius occisus? Moritur quod fuit, vt sit quod non fuit. Alioquin qui non occiditur, & non manducatur ab Ecclesia, esse in numero populi potest, qui videtur oculis humanis: in numero autem populi qui cognitus Deo est, de quo dicit Apostolus, Nouit Dominus qui sunt, eius; non potest esse, nisi manducatus. Venit aliquis Paganus, *Mahumetanus vel Indus*: adhuc in illo idololatria viuit; inserendus est membris Christi. Vt inseratur, necesse est manducetur: sed non potest manducari ab Ecclesia, nisi primò mactatus. Renunciet sæculo, tunc mactatur. Credat in Deum, tunc manducatur. *Hoc modo* 2 omnes *credentes* mactat & manducat Petrus: quia Petrus petra, petra Ecclesia. *Nónne de Petro scriptum est, antequam illi diceret Deus, Macta & manduca; quòd, cùm esuriret, voluit gustare? Et ille esuriit,* 3 & esurit Ecclesia, esurit corpus Christi, homo ille vbique diffusus, cuius caput sursum est, membra deorsum. *Sed quanti sunt, qui modò mactantur? qui manducantur? Paucissimos esse* nouerunt omnes, qui proficiunt, & qui cælesti illi ciuitati ingemiscunt, qui peregrinationem suam norunt, qui viam tenent, qui in desiderio terræ illius stabilissimæ spem tanquam ancoram præfixerunt: quia hoc genus hominum, *quod alios studet in Ecclesia manducare, hoc est, corrigere, siue conuertere, & lucrari*; hoc semen bonum, hoc frumentum Christi inter zizania *propterea plurimum* gemit: & hoc donec veniat tempus messis, id est, vsque in finem sæculi. *Quare gemit? Quia esurit; quia rarissimos inuenit quos sæculo mactet, quos Deo manducet,*

2. Tim. 2.

2 In Psal. 103. conc. 3. in init.

3 In Psal. 42. in initio.

Gemens

Gemens ergo *hoc genus hominum, tanquam* frumentum inter zizania, id est, inter malos homines, inter dolosos & seductores, aut ira turbulentos, aut insidiis venenatos, circumspiciens simul cum illis esse se tanquã in vno agro per totum mũdum, vnam pluuiam excipere, pariter perflari; pariterque secum aduersa nutriri, habere simul ista communia dona Dei malis bonisque cõcessa communiter ab illo qui facit solem suum oriri super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos: videns Matth. 5
quoque quanta cum malis, à quibus quandoque separandum est, nunc habeat communia; æqualiter nasci, eandem conditionem generis humani sortiri, pariter mortalia ferre corpora, simul vti luce, fontibus, fructibus, prosperitatibus atque aduersitatibus sæculi, siue fame, siue abundantia, siue pace, siue bello, siue salute, siue peste: vidẽs, inquam, quanta habeat communia cum malis, cum quibus tamen non habet causam communem; *merito* erumpat in hanc *Psalmistæ* vocem: Iudica me Psal. 42.
Deus, & discerne causam meam, de gente nõ sancta. *Tanquam diceret:* Non timebo iudicium tuum, quia noui misericordiam tuam. Nunc interim in hac peregrinatione nondum discernis locum meum; quia simul *cum peccatoribus sum*, cum zizaniis viuo vsque ad tempus messis. Nondum discernis pluuiam meam, nondum discernis lucem meam: discerne causam meam. Distet inter eum qui in te credit, & eum qui in te non credit. Par *vtriusque* infirmitas est, sed dispar conscientia: par labor, sed dispar desiderium. Desiderium impiorum peribit. De desiderio autem nostro nisi certus esset pollicitator, dubitare deberemus. Finis desiderij nostri, ipse promissor. Seipsum dabit, quia seipsum dedit. Seipsum dabit immortalibus immortalem, quia seipsum dedit mortalibus mortalem. *Quando se immortalem dabit? Cùm vltimum iudicium venerit, & ipse impleuerit desiderium corporis sui, dicentis & obsecrantis, Iudica me Deus, & discerne causam meam, de gente non sancta.*

CAP. XX.

Quòd duo sunt iudicia Dei: alterum occultum, alterum manifestum.

1 DVo autem iudicia insinuantur per scripturas, si quis aduertat: vnum occultum, alterum manifestum. Occultum nunc agitur, de quo Apostolus Petrus dicit, Tempus est, ¹In Psal. 9. in initio. ²1. Pet. 4.

vt iudicium incipiat à domo Domini. Occultum itaque iudicium est pœna, qua nunc vnusquisque hominum, aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuersionem: aut, si contempserit vocationem & disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Iudicium autem manifestum est, quo venturus est Dominus iudicare viuos & mortuos, omnibus fatentibus eum esse, à quo & bonis præmia, & malis supplicia tribuentur. Sed tunc illa confessio, non ad remedium malorum, sed ad cumulum damnationis valebit. De his duobus iudiciis, vno occulto, alio manifesto, videtur mihi Dominus dixisse, vbi ait:
Ioan. 5. Qui in me credit, transiet de morte ad vitam; nec in iudicium veniet: in iudicium scilicet manifestum. Nam hoc, quod trãsit de morte ad vitam per nonnullam afflictionem, qua flagellat Dominus omnem filium quem recipit: iudicium occultum
Ioan. 3. est. Qui autem non credit, inquit, iam iudicatus est, id est, isto occulto iudicio iam præparatus est ad illud manifestum. Hæc
Sapient. 12. duo iudicia etiam in Sapientia legimus, vbi scriptum est: Propter hoc tanquã pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. Hi autem hoc iudicio non correcti, dignum Dei iudicium experti sunt. Qui ergo non corriguntur isto occulto iudicio, dignissimè illo manifesto punientur, *ad quod, sicut Psalmus di-*
a In Psal. 49 post princip. *cit*, a Deus manifestus veniet. Qui *enim prius* venit occultus, veniet manifestus *postea*. Venit occultus iudicandus: veniet manifestus iudicaturus. Venit occultus, vt ante iudicem staret: veniet manifestus, vt etiam de iudicibus iudicet. *Ad hoc ergo* veniet manifestus, & non silebit. Quid enim? modò silet? Et vnde hęc sunt, quæ dicimus, *quæ scribimus*? Vnde ista pręcepta? Vnde ista monita? Vnde ista tuba terroris? Nõ silet, & silet. Non silet à monendo, silet à vindicando. Non silet præcepto, silet iudicio. Patitur enim peccatores quotidie mala facientes, Deum non curantes; non in conscientia sua, non in cælo, non in terra. Non eum latent hæc omnia, & vniuersaliter omnes admonet. Et quando aliquos flagellat in terra, admonitio est, nondum damnatio. Silet ergo iudicio: occultus in cælo est, adhuc interpellat pro nobis. Patiẽs est super peccatores, nõ exercens iram, sed expectans pœnitentiam. Dicit *tamen* alio loco, Tacui; nunquid semper tacebo? Quando ergo non tacebit, Deus manifestus veniet. Veniet, non adhuc illudendus, non adhuc alapandus, non adhuc flagellandus, non adhuc in capite calamo percutiendus, nõ adhuc crucifigendus, occidẽdus, sepeliendus: quia

quia hæc omnia occultus Deus pati voluit. Veniet *tandem* manifestus, & non silebit: & ignis ante eum præibit. Timeamus *proinde*, & *modò* mutemur, & *tunc* nō timebimus. Ignem palea timet: auro quid facit? Est autem nunc in tua potestate quid facias: ne illud, quod & te nolente venturum est, non correctus experiaris. Si enim possemus facere, vt dies iudicij non veniret: puto quia nec sic erat malè viuendum. Si non veniret ignis diei iudicij, & sola peccatoribus immineret separatio à facie Dei; in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus eius; in qualibet æternitate & impunitate peccati, plangere se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? Hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ & veritatis vtcumque sentire cœperunt, nouerunt quod dico: quanta pœna est tantummodo à facie Dei separari. Qui autem illam dulcedinem non gustauerunt, si nondum desiderant Dei faciem; timeant vel ignem: supplicia terreant, quem præmia non inuitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur? contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ: non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras. Amplexaris peccata tua, & delicias carnis tuæ, stipulas ad te congeris: veniet ignis. Ignis in conspectu eius exardebit. Non erit iste ignis, sicut focus tuus: quò tamen si manum mittere cogaris, facies quicquid voluerit qui hoc minatur. Si tibi dicat, Scribe contra caput patris tui: scribe contra capita filiorum tuorum: nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum: facies, ne ardeat manus tua; ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leue malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? Ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent: à bono faciendo nec minæ te terrere deberent. Minis enim Dei, minis æterni ignis prohiberis à malo; inuitaris ad bonum. Vnde piger, nisi quia non credis?

CAP. XXI.

Iudicium futurum, in quo vnicuique reddetur secundum opera sua, est pertimescendum.

1 EXcitiat ergo vnusquisque, *qui in corpore Christi est*, cor suum, & videat quid ibi fides teneat. Si credimus futurum iudicium, bene viuamus. Tempus misericordiæ nunc est: 1 Ibidē immediatè.

tempus iudicij tunc erit. [a] Nemo sibi ad impunitatem blandiatur de misericordia Dei. Homines enim quando iudicant, aliquando victi misericordia, faciunt contra iustitiam, & videtur in eis esse misericordia, & non esse iudicium. Aliquando verò rigidè volentes tenere iudicium, perdunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiæ perdit iudicij seueritatem; nec in iudicando cum seueritate, amittit misericordiæ bonitatem. Si ergo per tempora distinguamus hæc duo, fortè inuenimus modò tempus esse misericordiæ; futurum autem tempus iudicij. Quomodo est primò tempus misericordiæ? Primò in Deo cōsidera, vt & tu, quantum ipse tibi donauerit, imiteris patrem. Neque enim arroganter dicimus, patrem nostrum nos debere imitari, quandoquidem Dominus ipse, vnicus Dei filius, ad hoc nos hortatur dicēs, Estote sicut pater vester cælestis: & cùm diceret, Diligite inimicos vestros, orate pro iis, qui vos persequuntur; vt sitis, inquit, filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ecce misericordia. Quando vides iustos & iniquos eundem solem intueri; eandem lucem capere, eosdem fontes bibere, eadem pluuia saginari, iisdem fructibus terræ repleri, similiter aërem istum ducere, habere æqualiter bona mundi; noli putare iniustum esse Deum, qui dat ista æqualiter iustis & iniustis. Misericordiæ tempus est, nondum iudicij. Nisi enim primò Deus per misericordiam parceret, non inueniret quos per iudicium coronaret. Est ergo misericordiæ tempus, quando patientia Dei ad pœnitentiam adducit peccantes. Audi Apostolum dicentem vtrumque tempus; & distingue & tu. Existimas autem, inquit, ô homo, qui iudicas eos, qui faciunt ea, & eadem agis; quoniam tu effugies iudicium Dei? Sed cui hoc dicit? Non enim vni homini dicit, sed generi humano. Talia dicebat se committere multa mala quotidie, & tamen viuere, nihil mali sibi contingere: & putabat aut dormire Deum; aut res humanas non attendere; aut amare facta hominum mala. Tollit istam cogitationem de corde, sed bene intelligentibus. Quid ergo ait? Existimas, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea; quoniam tu effugies iudicium Dei? Et quasi diceret, Quare facio tanta mala quotidie, & nihil mali mihi contigit? secutus ostendit illi tempus misericordiæ. An diuitias benignitatis, & patiētiæ, & longanimitatis eius cōtemnis? Et verè quia hoc cōtemnebat:

[a] In Psal. 100. in initio.

Matth. 5.

Rom. 2.

sed

sed fecit illum solicitum. Ignoras, inquit, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ecce tempus misericordiæ. Ne autem hoc ille semper putaret futurum, quomodo secutus eum terruit? Tu autem, inquit, secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thezaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique secũdum opera sua. Nunquid ideo iudicium Dei tantummodo formidandum est, & non amandum? Formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam. Quia ergo terruit malos Apostolus in hoc testimonio quod commemoraui; audi vbi spem dat bonis de iudicio. Seipsum ponit & dicit, & ostẽdit & ipse in se tempus misericordiæ; quia nisi & ipse inueniret tempus misericordiæ, qualem illum inueniret in iudicio? Blasphemum persecutorem, iniuriosum. Sic enim dicit, & commendat tempus misericordiæ, in quo modò sumus: Qui prius fui, inquit, blasphemus, & persecutor, & iniuriosus: sed misericordiam consecutus sum. Sed fortè ipse solus consecutus est misericordiam. Audi quomodo nos erigat, Vt in me, inquit, ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Quid est, Vt in me ostenderet omnem longanimitatem? Vt vnusquisque peccator aut sceleratus videret quia Paulus accepit veniam; & non de se desperaret. Ecce ostendit se; erexit & alios. Vbi? In tempore misericordiæ. Audi in tempore iudicij quid dicat de bonis. Iterum dicens de se, & de aliis, primò misericordiam consecutus est. Quare? Quia fuit blasphemus, & persecutor, & iniuriosus. Venit Dominus vt donaret Paulo, non vt redderet. Nam si reddere vellet, quid inueniret quod redderet peccatori, nisi pœnã & supplicium? Noluit reddere pœnam, sed donauit gratiam. Audi quia ille cui donauit, tenet Dominum etiam debitorem. Inuenit eum donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorem tempore iudicij. Quomodo hoc dicit, vide. Ego enim iam immolor, dixit, & tempus resolutionis meæ proximum est. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Hoc tempus misericordiæ. Audi de iudicio. De cætero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Non dixit, donabit, sed, reddet. Quando donabat, misericors erat: quando reddet, iudex erit. Sed donando delicta, fecit se debitorem coronæ; ibi misericordiam consecutus sum;

Nota. 1. Tim. 1. 2. Tim. 4.

Misericors ergo Dominus primò; hîc autem reddet mihi coronam iustitiæ. Vnde reddet? Quia iustus iudex est. Quare iustus iudex? Quia bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Ideo iustus non potest nisi coronare ista. Inuenit enim ista, quæ coronaret. Antea verò quid inuenerat? Qui prius fui blasphemus, & persecutor. Ista donauit, illa coronauit. Donauit hæc tempore misericordiæ; coronauit illa tempore iudicij. Sed nunquid solus Paulus hoc meruit? Hoc enim dixeram, quomodo in illo testimonio terruit; sic in isto erexit, cùm dixisset, Reddet mihi in illo die iustus iudex; Non solùm mihi, inquit, sed & omnibus qui diligunt manifestationem & regnum eius. Ergo quoniam habemus tempus misericordiæ, non nobis blandiamur, non nos dimittamus, non dicamus, Semper parcit Deus. Ecce feci heri, & pepercit Deus: facio & hodie; & parcit Deus: faciam & cras; quia parcit Deus. Attendis ad misericordiam; & non times iudicium? Aut qui modò prædicatur vt timeatur, non est venturus vt iudicet? Venturus est, venturus est, inquam: timeamus illum, & sic viuamus, vt ad dexteram illius inueniamur. Venturus est enim vt alios ponat ad sinistram, alios ad dexteram. Et non illud faciet ipse quomodocumque, vt erret fortè in hominibus, vt qui ad dexteram ponendus est, ad sinistram ponatur: aut qui ad sinistram debet stare, errante Deo ad dexteram ponatur. Non enim potest errare, vt ibi ponat malum, vbi ponere debet bonum: nec ibi ponet bonum, vbi debet ponere malum. Si errare non potest, nos erramus, si non timemus: si autem timuerimus modò, quod tunc timeamus, non habebimus.

Cap. XXII.

In eo quod Deus nunc misericors est, & pòst iustus erit in iudicio; debet homo iustus ipsum imitari.

1 In Psal. 32. conc. 1. in fine. 1 Misericordiæ itaque tempus modò est, iudicij tempus post erit. Vnde est misericordiæ tempus? Vocat modò auersos Deus, donat peccata conuersis. Patiens est super peccatores, donec conuertantur. Quandocunque conuersi fuerint; præterita obliuiscitur, futura promittit. Hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuuat dimicantes, neminem deserit laborantem & exclamantem ad se: donat vnde sibi sacrificetur, ipse tribuit vnde placetur. Magnum misericordiæ

 tempus

tempus non nos transeat. Venturum est iudicium. Erit & Sap. 5.
tunc pœnitētia, sed iam infructuosa. Dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Certè ista scripta sunt in libro Sapientiæ: Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam vmbra. Modò dicamus, Transeunt omnia tanquam vmbra. Modò fructuosè dicamus, Transeūt; ne tunc dicamus infructuosè, Omnia transierunt. Hoc est ergo tempus misericordiæ, erit & iudicij. Ne putes autem quia ista à se possunt in Deo aliquo separari modo. Videntur enim sibi aliquando contraria, vt qui misericors est, non seruet iudicium: & qui iudicij tenax est, obliuiscatur misericordiam. Omnipotens est Deus, nec in misericordia amittit iudicium, nec in iudicio misericordiam. Miseretur enim, considerat imaginem suam, fragilitatem nostram, errorem nostrum, cæcitatem nostram, & vocat: & conuersis ad se donat peccata, non conuersis non donat. Misericors est, & iustus. Nunquid autem iudicium amisit, aut non debuit iudicare inter conuersos & non conuersos? An tibi iustum videtur, vt conuersus & non conuersus æqualiter habeantur, vt eo modo suscipiatur confitens & mentiens, humilis & superbus? Ergo habet & iudicium in ipsa misericordia. Rursus in illo iudicio habet misericordiam, in eos vtique quibus dicturus est, Esuriui & dedistis mihi Matth. 25.
manducare. Etenim dicitur in quadam epistola Canonica, Iu- Iacobi 2.
dicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Beati, inquit, misericordes, quoniam ipsorum miserebi- Matth 5.
tur Deus. Ergo in illo iudicio erit & misericordia, sed non sine iudicio. Si enim non in quemlibet, sed in eum erit misericordia, qui prærogauit misericordiam: & ipsa misericordia iusta erit, quia confusa non erit. Misericordia est certè vt dimittantur peccata; misericordia est, vt tribuatur vita æterna. Vide ibi iudicium, Dimittite & dimittetur vobis: date & dabitur vobis. Matth. 6.
Certè dabitur vobis, & dimittetur vobis; misericordia est. Si inde recessisset à iudicio, non diceret, In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Audisti quemadmodum exhibeat Deus misericordiam & iudicium. An fortè ad Deum pertinent ista; ad hominem non pertinent? Si ad hominem non pertinerent, non diceret Dominus Pharisæis, Relinquitis gra- Matth. 23.
uiora legis, misericordiam & iudicium. Ergo pertinent ad te, ô homo, misericordia & iudicium. Ne putes quòd ad te mise-

ricordia pertineat, iudicium autem non ad te pertineat. Aliquando audis causam inter duos, quorum duorum vnus est diues & alius pauper: & contingit, vt pauper habeat causam malam, diues autem bonam. Iam si tu non es eruditus in regno Dei, videris tibi bene facere, si quasi pauperem miseratus, abscondas & contegas iniquitatem illius, & velis eum iustificare, & quasi causam bonam habere videatur. Et si reprehensus fueris, quòd male iudicasti, quasi de misericordia respondes, Noui, & ego scio: sed pauper erat, misericordia ei debebatur. Quomodo tenuisti misericordiam, & perdidisti iudicium? Et quomodo, inquis, si tenerem iudicium, non amitterem misericordiam? Pronunciarem aduersus pauperem, qui, vnde redderet, non haberet? Aut si haberet, cùm reddidisset, vnde postea viueret, non inueniret? Ait tibi Deus, Ne accipias personam
Leuit 19. pauperis in iudicio. Cæterùm facile est, vt admoneamur personam diuitis non accipere. Hoc omnis homo videt, atque vtinam sic omnis homo faceret. Illud est, vbi fallitur, veluti qui vult placere Deo, si personam pauperis in iudicio accipiat; & dicat, Faui pauperi. Imò teneres vtrumque, & misericordiam & iudicium. Primò, qualem misericordiã fecisti in eum, cuius iniquitati fauisti? Ecce, sacello pepercisti, cor percussisti; pauper iste iniquus remansit, & tanto iniquior, quanto te quasi hominem iustum fauere videt iniquitati suæ. A te remansit iniustè adiutus; à Deo recessit iustè damnandus. Qualem misericordiam præbuisti ei, quem iniustum fecisti? Ecce crudelior inueniris, quàm misericordior. Quid ergo, inquis, facerem? Iudicares primò secundum causam: argueres pauperem, flecteres diuitem. Alius est iudicandi, alius petendi locus. Quando te ille diues videret tenuisse iustitiam, non erexisse iniqui pauperis ceruicem, sed pro merito peccati sui obiurgasse te iustè: nónne flecteretur ille potius ad misericordiam petenti, qui lætus redditus erat, te iudicante? *Nónne exultaret, si probaueris & iustitiã diligere, & odisse iniquitatem?* [a] Omnis enim, qui rectè arguit peccatorem, quid aliud, quàm non vult eum esse peccatorem, *sed iustum*? Odit ergo in illo, quod & Deus odit; vt perimatur quod homo fecit, & liberetur quod Deus fecit. Peccatum quippe homo fecit: ipsum autem hominem Deus. Et duo ista nomina, cùm dicimus, homo peccator, non vtique frustra dicuntur. Quia peccator, corripe: & quia homo est, miserere. Nec omnino liberabis hominem, nisi eum

[a] In Epist. ad Galat. 6 cap. Hunc locum citat Beda.

perse-

persecutus fueris peccatorem. Huic officio omnis inuigilat disciplina, sicut cuique regenti apta & accommodata est: non solùm Episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam; diuiti regenti familiam suam; marito regenti coniugem suam; patri regenti prolem suam; iudici regēti prouinciam suam; regi regēti gentem suam. Omnes hi, cùm boni sunt, eis, quos regunt, bene vtrique volunt: & secundum impertitam ab vniuersorum Domino potestatem, qui etiam regentes regit, dant operam, vt iidem ipsi quos regunt, & conseruentur homines, & pereant peccatores. Ita implent, quod scriptum est, Da misericordiam, & ne suscipias peccatores: ne hoc in illo saluum, quod peccator est, velint: Et impiis & peccatoribus redde vindictam; vt hoc ipsum quod impij & peccatores sunt, deleatur in eis. Ita nulli claudenda est misericordia, nulli peccato impunitas relaxanda. Eccles. 12.

Cap. XXIII.

Deus quomodo nunc exhibeat nobis misericordiam suam, antequam iudicium veniat.

1 Qvam misericordiam verò nos omnes expectamus vberiorem à Domino, nisi vt peccata nostra *in isto sæculo* dimittantur? Cùm ergo ea sit magna misericordia Domini, remissio peccatorum, 2 nemo nostrum in accipiendo dormiat, ne ad reddendum malum Deus excitetur. Accipite misericordiam, sic ad nos clamat Deus, tanquam si tempore famis diceretur, Accipite frumentum. Quod cùm audires tempore famis, profectò ipso stimulo necessitatis concitus curreres, versans te huc atque illuc, quærens vnde acciperes, quod dictum est, Accipe. Et cum inuenires, quando te teneres? quam moram interponeres? Sic & nunc dictum est, Accipe misericordiam. Cùm acceperis, bene vtere; vt bonam rationem reddas, cùm iudicium venerit eius qui tibi modò prærogat in ista fame misericordiam. 3 Venturus est enim Dominus & inuenturus peccata tua: quod autem perfecta iustitia vixisti, non est inuenturus; sed homicidia fortè. Grauia sunt enim & valde maiora. Non est inuenturus adulterium? Non est inuenturus furta? Non est inuenturus rapinam? Non est inuenturus maleficia? Non est inuenturus idololatriam? Non est ista inuenturus. Nihil est ergo inuenturus? Audi sermonem Euangelij, Qui dixerit fratri suo, fatue. Ab istis etiam peccatis linguæ minutissi-

1 In Psal. 32. conc. 3. ante medium.
2 Ibidem supr.
3 In Psal. 129. in medio.
Matth. 5.

nutissimis quis abstinet? Sed fortè dicis, Parua sunt. Reus erit, inquit, gehennæ ignis. Si paruum tibi videtur aut modicum, fratri dicere, Fatue: vel gehenna ignis videatur tibi magna. Si contemnebas minus peccatum, vel pœnæ magnitudine deterrêre. Sed dicis, Minora sunt, minuta sunt, sine quibus non potest esse ista vita. Congere minuta, & faciūt ingentem aceruum. Nam & grana minuta sunt, & tamen massam faciunt: & guttæ minutæ sunt, & flumina implent, & moles trahunt. Ideo & ille, *qui in Psalmo loquitur*, considerás quàm multa minuta peccata quotidiana committat homo, si nihil aliud, vel per cogitationes & linguam, attendit quàm multa sunt: & si attendit quàm minuta sint, videt per multa minuta fieri aceruum magnum; & non quasi peccata sua pristina cogitans, sed ipsam fragilitatem humanam, iam ascendens clamat; De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocē meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Vitare possum homicidia, adulteria, rapinas, periuria, maleficia, idololatriam. Nunquid & peccata linguæ? Nunquid & peccata cordis? Scriptum est, Peccatum iniquitas est. Quis ergo sustinebit, si tu iniquitates obseruaueris? Si nobiscum seuerus iudex agere volueris, non misericors pater; quis stabit in iudicio ante oculos tuos? Sed est apud te propitiatio: propter legem tuam sustinui te Domine. Quæ & qualis lex est ista? Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Qui portant inuicem onera sua? Qui fideliter dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debita nostra deleta sunt; sed merces nostra adhuc futura est. Accepimus veniam, sed æternam vitam nondum tenemus. Sed qui dedit veniam, ipse promisit vitam æternam. Si verbū nostrum esset, deberemus timere: quia verbum Dei est, non fallit. Securi ergo speramus in eius verbo, qui fallere non potest. Sed 4 an fortè ideo *magis debemus timere*, quia difficilè purgata vita inuenitur, cùm ille iudicat, qui nouit ad purum & liquidum iudicare? Quia etsi probabilis iam vita est inter homines, ita vt homines, quid iam reprehendant iustè, non habeant: procedit examen ab illius oculis, procedit regula exæquans non fallaciter; & inuenit in homine quædam, quæ reprehendat Deus, quæ homines reprehendēda non videbant; nec ille ipse intus, qui iudicandus est.

Vide libell. nostrum, De flagel. Dei ca. 7. vbi hæc latiùs explicantur.

Psalm. 129.

1 Ioan. 3.

Gal. 6.

Matth. 6.

4 In Psal. 42. in fine.

CAP. XXII.

Iustitia nostra fides est, quæ per dilectionem bene operatur & per rectam intentionem.

OB id tamen [1] nemo dicat, Quis ergo iustus? Noli te abiicere, & desperare de te. Homo es, ad imaginem Dei factus es: qui te hominem fecit, pro te & homo factus est: vt multi filij ad hæreditatem sempiternam adoptarentur, sanguis vnici effusus est. Si tu tibi terrena fragilitate viluisti, ex precio tuo te appende, * quid manduces, quid bibas, quo subscribaris; tamen digna cogita. Nunquid hoc te monemus, vt superbus sis, & tibi perfectionem aliquam audeas arrogare? Sed non iterum ab omni iustitia te putare debes exulem fieri. Nolo enim te interrogare de iustitia tua (fortassis enim nemo mihi audeat respondere, Iustus sum) sed interrogo te de fide tua. Sicut nemo audet dicere, Iustus sum: sic nemo non audet dicere, Fidelis sum. Nondũ quæro quid viuas, sed quæro quid credas. Responsurus es, credere te in Christum. Non audisti Apostolum, Iustus ex fide viuit? Fides tua, iustitia tua. [2] Vnde enim dicit Scriptura iustificatum Abraham? Credidit autem Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ergo ex fide iustificatus est Abraham. Iam qui audit, Nõ ex operibus, sed ex fide; obseruet illam voraginem. Video quia ex fide, non ex operibus iustificatus est Abraham; faciam ergo quicquid volo, quia & si bona opera non habuero, & tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad iustitiam. Si dixit, & decreuit; lapsus, demersus est: si adhuc cogitat, & fluctuat; periclitatur. Scriptura autem Dei, verusque eius intellectus non solùm periclitantem à periculo liberat, sed & demersum à profundo eleuat. Respõdeo ergo tanquam contra Apostolum, & dico de ipso Abraham, quod inuenimus etiam in epistola alterius Apostoli, qui volebat corrigere homines, qui malè intellexerant istum Apostolum. Iacobus enim in epistola sua contra eos qui nolebant bene operari, de sola fide præsumentes, ipsius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem. Et non sunt sibi aduersi Apostoli. Dicit autem Abrahæ opus omnibus notum. Abraham filium suum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis; sed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis: sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil

[1] In Psal. 31. conc. 2. ante medium.
* Loquitur de Sacramento altaris.
Rom. 1.
[2] In Psal. 31. in medio præfationis.
Genes. 15.
Galat 3.
Nota.
Iacobi 2.
Genes. 22.

nihil illi prodeſſet, qualecumque illud opus eſſet. Rurſum ſi ſic teneret fidem Abraham, vt cùm ei Deus imperaret offerre ſibi immolandum filiū ſuum, diceret apud ſemetipſum, Non facio; & tamen credo, quia me etiam contemnentem iuſſa ſua, liberat Deus: fides ſine operibus mortua eſſet, & tanquam radix ſine fructu, ſterilis atque arida remaneret. Quid ergo? debemus nulla opera præponere fidei, id eſt, vt ante fidē quiſquam dicatur bene operatus. Ea enim ipſa opera, quæ dicuntur ante fidē, quamuis videātur hominibus laudabilia; inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat; ſed quid, cùm facit, aſpiciat; quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optimè gubernare nauem, & perdidiſſe quò tendit; quid valet quia autennam optimè tenet, optimè mouet, dat proram fluctibus; cauet ne latera infligantur, tantis eſt viribus vt detorqueat nauim quò velit, atque vnde velit: & dicatur ei, Vſquequo is? & dicat, Neſcio; aut nō dicat, Neſcio, ſed dicat, Ad illum portum eo, nec ducat in portum, ſed in ſaxa feſtinet? Nónne iſte, quanto ſibi videtur in naui gubernanda agilior & efficacior, tanto periculoſius eam ſic gubernat, vt ad naufragium properando perducat? Talis eſt & qui optimè currit, præter viam. Nónne ergo erat melius & tolerabilius, vt eſſet gubernator ille aliquanto inualidior, vt cum labore, & aliqua difficultate gubernacula regeret; & tamen rectum debitumque curſum teneret: rurſumque ille pigrius etiam & imbecillius, tamen viam ambularet, quàm præter viam fortiter curreret? Optimus ergo ille qui & viam tenet, & bene ibi ambulat: ſequentis autem ſpei, qui, etſi aliquantulum claudicat, non omnino errat, aut remanet; ſed progreditur, etſi paulatim. Fortaſſe enim bene ſperandum eſt, eum, quò tendit, etiam tardiùs peruenturum.

Nota.

CAP. XXV.

In bonis operibus quem finem nobis cōſtituamus, ſpectandum eſt; & non in nobis gloriandum.

1 PRoinde magni intereſt, cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe noſtrum non initio, ſed fine eſt penſandum: vt ſcilicet non tantum, ſi bo-

1 In Pſal. 118. conc. 12. in medio.

si bonum est quod facimus; sed præcipuè si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos, quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, auerti poscit Psalmista, ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quam faciat, cùm boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumque laudati in ciuitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam: & propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, iusteque viuentes, ad quam peruenientes, perceperunt mercedem suam vani vanam. Ab hac vanitate volens Dominus auertere oculos suorum, Attendite, inquit, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cælis est. Deinde cùm ipsius iustitiæ quasdam partes exequeretur, præcipiens de eleemosynis, de orationibus, de ieiuniis; vbique id admonuit, ne aliquid eorum propter gloriam hominum fiat; & vbique dicit eos qui propterea faciunt, percepisse mercedem suam, id est, non æternam, quæ sanctis reposita est apud patrem; sed temporalem, quam quærunt, qui contemplantur in suis operibus vanitatem. Non quia ipsa laus humana culpanda sit: (nam quid tam optandum est hominibus, quàm vt eis placeant, quæ debeant imitari?) sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est, vanitatem in suis operibus intueri. Quandoquidē & ipsa ab hominibus laus homini iusto quantacumque prouenerit, non ibi esse debet eius finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè boni: quoniam nec à seipsis, sed ab illo fiunt boni. Denique in eodem sermone Dominus iam dixerat eis, Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est: vbi finem posuit, hoc est, in gloria Dei. Hoc debemus, quando aliquid boni facimus, intueri, si auertantur à vanitate oculi nostri. Non ergo sit finis nostri boni operis in laudibus hominum, sed ipsas laudes hominum corrigamus, & ad Dei laudes omnia referamus, à quo nobis datur, quicquid in nobis sine laudātis errore laudatur. Porrò si vanum est propter hominum laudes bona facere; quanto vanius propter adipiscendam pecuniam, vel augendam, siue retinendam; & si quid huiusmodi est commodi tēporalis, quod nobis accedit extrinsecus; quia omnia vanitas!

Matth. 6.

Matth. 5.

Propter ipsam denique temporalem salutem, non debemus facere bona opera nostra, sed potius propter illam, quam spetamus æternam; vbi bono immutabili perfruamur, quod nobis erit ex Deo, imò quod nobis est ipse Deus. Si enim sancti Dei propter hanc temporalem salutem bona opera facerent, nunquam martyres Christi bonum opus confessionis in eiusdem salutis amissione perficerent. Cùm autem Deus rogatur, vt ea quæ videntur esse in nostra potestate, id est, oculorum auersio à videnda vanitate, ab illo nobis concedatur; quid? nisi eius gratia commendatur? Nonnulli enim hæretici ab ea vanitate non auerterunt oculos suos, quia putauerunt à seipsis se fieri iustos & bonos, & dilexerunt gloriam hominum magis, quàm Dei: quia & ipsi homines sunt, qui sibi nimium placuerunt, & de sui arbitrij viribus præsumpserunt; [2] dicentes gratiam Dei secundum merita nostra dari, vt qui gloriatur; non in Domino, sed in seipso glorietur, hoc est, in homine, non in Domino. Quod prohibet Apostolus dicens, Nemo glorietur in homine. Et alio loco; Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur. Illi verò hæretici seipsos à seipsis iustos fieri arbitrantes, quasi hoc eis non dederit Deus, sed ipsi sibi: non vtique in Domino, sed in semetipsis gloriantur. Talibus enim dicit Apostolus, Quis enim te discernit? Quod ideo dicit, quia de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, vt eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis & inaniter inflatus, cùm audisset, Quis enim te discernit? posset respondere vel voce, vel cogitatione, & dicere: Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea: mox Apostolus occurrit cogitationibus eius, & dixit, Quid enim habes quod nō accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? [3] id est, quid gloriaris quasi à teipso habeas, quod si non accepisses, à teipso habere non posses? Hoc autem dictum est, vt qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur: & qui nondum habet vnde glorietur, non à seipso speret, sed Dominum precetur. Satius est enim minus quemque habere, quod à Deo petat, quā plus habere, quod sibi tribuat: quoniam expedit ab imo surgere, quàm ex alto cadere. Deus enim (scriptum est) superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Ioan 12.
2 To. 2. epist. 45. ad Valent.
1 Cor. 3.
1 Cor. 10.
1 Cor. 4.
Rom 9.
1 Cor. 4.
3 To. 2 epi. 89. ad Hilarium Quæst. 2.
Iaco. 4.
1. Petri 5.

CAP.

CAP. XXVI.

Superbia quàm sit timenda ex Dei donis, exemplo Pauli ostēditur, qui à satana colaphizatus fuit, ne extolleretur.

1 QVàm ergo timenda sit superbia de dono Dei, etiam atque etiam cōmendandum est. Paulus Apostolus, quamuis ex persecutore factus sit prædicator, abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quàm cæteri Apostoli: vt magis Deus ostenderet suum esse quod dat, non hominis. Quomodo solent medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere: sic & Dominus noster Iesus Christus, medicus & saluator noster, in desperato, qui persecutor Ecclesiæ fuit, ostendit magnitudinem artis suæ, vt non solùm eū Christianum faceret, sed & Apostolum: nec tantùm Apostolum, sed, sicut ipse dicit, plus omnibus illis laboraret. Excellētissimæ ergo gratiæ fuit. Et vides quia modò in Ecclesia Pauli Apostoli epistolæ vigent magis quàm coapostolorum eius. Alij enim non *omnes* scripserūt, sed tantùm locuti sunt in Ecclesia. Nam quæ proferuntur ab errantibus nomine ipsorū, quia non sunt ipsorum, improbantur, nec acceptantur ab Ecclesia. Alij autem qui scripserūt, nec tantum, nec tanta gratia scripserunt. Cùm ergo esset magnę gratiæ, & magna dona meruisset à Deo, quid dicit quodam loco? Propter magnitudinem autem reuelationum ne extollar (intende, rem tremendam dico:) propter magnitudinem, inquit, reuelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Quid est hoc? Ne extolleretur tanquam iuuenis, colaphizabatur tanquam puer. Et à quo? Ab angelo satanæ. Quid est hoc? Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehemēter.

1 In Psal. 130. in medio. — 1. Cor. 15. — 2. Cor. 12.

2 Et quia illud quod medicus apposuerat, molestum erat infirmo, rogauit medicum vt auferret. Quomodo cùm medicus apponit visceribus aliquod forte epithema, molestum & ardēs; inde tamen curandus est ille, cuius viscera tumebant: cùm ille ardere cœperit, & cruciari medicamento, rogat medicum vt auferat medicamentum: medicus autem consolatur, monet eum patientiam, quia nouit quàm vtile sit, quod apposuit: ita & Apostolus sequitur & dicit, cū dixisset, Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet (prædixit autem quare, Ne magnitudine reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet)

2 Ibidē infra.

zet) propter quod ter Dominũ rogaui, vt auferret eum à me; hoc est dicere, Rogaui medicum, vt auferret à me molestum epithema, quod mihi apposuerat. Sed audi vocem medici. Et

2. Cor. 12. dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Ego noui quid apposuerim; ego noui vnde ægrotes; ego noui vnde saneris. Si ergo potuit Paulus Apostolus extolli magnitudine reuelationum, *vel fortè etiam miraculorum operatione*, nisi acciperet angelum satanæ, qui se colaphizaret; quis de se possit esse securus? Tutius videtur ambulare, qui minus accepit; sed si non peruersè quærat, quod rectè nõ accepit. Quærat sine quo non potest esse in corpore Christi, aut sine quo malè est illic. Tutior est enim in corpore digitus sanus,

Nota. quàm lippiens oculus. Digitus exigua quædam res est, oculus magnifica, multum potest. Et tamen melius est, digitum esse, & sanum esse: quàm oculum esse, & perturbari, lippire, & excæcari. Non ergo quærat quisque in corpore Christi, nisi *mentis* sanitatem. Secundum sanitatem habeat fidem, & ex fide mundetur cor eius: ex mundatione cordis videbit illam fa-

Matth. 5. ciem, de qua dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Cap. XXVII.

Christus discipulos suos gaudere nolebat, quia faciebant miracula, sed quia nomina ipsorum scripta erant in cælis.

Ibidem immediatè. I IDeoque etiam & qui facit miracula, & qui non facit miracula *existens* in corpore Christi, hoc est, in Ecclesia, non debet gaudere, nisi de facie Dei. Redierunt Apostoli, & dixerunt

Luc. 10. Domino, Ecce Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt. Videt Dominus quòd tentaret eos superbia, ex potentia miraculorum: & ille qui medicus venerat sanare tumores nostros, & ferre infirmitates nostras; continuò ait, Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subiecta sunt: sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Nõ omnes Christiani boni dæmones eiiciunt; omnium tamen nomina scripta sunt in cælo. Non eos voluit gaudere ex eo quod proprium habebant, sed ex eo quod cum cæteris salutem tenebant. Inde voluit gaudere Apostolos, vnde gaudes & tu. Nullus fidelis *existens in Ecclesia*, habet spem, si nomen eius non est scriptum in cælo. Omnium fidelium, qui diligunt Christum, qui ambu-

ambulant viam eius humiliter, quam ipse docuit humilis; nomina scripta sunt in cælo. Cuiusuis contemptibilis in Ecclesia, qui credit in Christum, & diligit Christum, & amat pacem Christi, *& ambulat viam Christi*, nomen scriptum est in cælo; cuiuslibet, quem contemnis. Et quid simile ipse, & Apostoli, qui tanta miracula fecerunt? Et tamen Apostoli reprimuntur ex eo quod de bono proprio gaudebant; & iubentur hinc gaudere, vnde gaudet & ille contemptibilis. a Quid eis dixit Dominus? Nolite (inquit) in hoc gaudere: sed gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cælo. Inde ergo gaudere voluit Apostolos, vnde gaudes & tu. Væ tibi enim, si nomen tuum non est scriptum in cælo Nunquid væ tibi, si non suscitaueris mortuos? Nunquid væ tibi, si non ambulaueris in mari? Nunquid væ tibi, si non excluseris dæmonia? Si accepisti hoc, vnde facias; vtere humiliter, non superbè. Nam & de quibusdam pseudoprophetis dicit Dominus, quia facturi sunt signa & prodigia. Ergo quando tibi talis tentatio euenerit, vt aliquod miraculum facere velis, dic illud & tu, *quod diabolo dixit Dominus*, Redi post me satana. Scriptum est enim, Non tentabis Dominum Deum tuum. Id est, si hoc fecero, tentabo Deum. Hoc dixit, quod te voluit dicere. Quando tibi suggerit inimicus, Qualis homo, qualis Christianus? Modò vel vnum miraculum fecisti? aut orationibus tuis mortui surrexerunt, aut febricitantes sanasti? Si verè esses alicuius momenti, faceres aliquod miraculum. Responde & dic; Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Non ergo tentabo Deum; quasi tunc pertineam ad Deum, si fecero miraculum; & non pertineam, si non fecero. Et vbi sunt verba eius, Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo?

a To 9 Tract. 9. in epist. Ioã. in fine.

Matth. 24.

Ibidem 4.

Deut. 6.

Luc. 10.

CAP. XXVIII.

Qui in corpore Christi est, quod non potest in se, hoc potest in altero: sicut oculus hominis audit in aure, & auris videt in oculo.

1 ERgo sunt homines, quos delectat miraculum facere, & ab eis qui profecerunt in Ecclesia, miraculum exigunt: & ipsi, qui quasi profecisse sibi videntur, talia volunt facere; & putant se ad Deum non pertinere, si non fecerint. Dominus

1 In Psal. 130. ante medium

autem Deus noster, qui nouit quid cui tribuat, & vt seruetur compago corporis in pace, alloquitur Ecclesiā per Apostolum,
1.Cor.12. Nō potest dicere oculus manui, Opus te nō habeo: aut iterum caput pedibus, Opus vobis non habeo. Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum corpus auditus, vbi odoratus? Ergo in membris nostris videmus, quomodo singula officium suum habeant membra. Oculus videt, & nō audit: auris audit, & non videt: manus operatur, nec audit, nec videt: pes ambulat, nec audit, nec videt, nec facit quod facit manus. Sed in vno corpore si sit sanitas, & non aduersus se litigent membra, & auris videt in oculo; & oculus audit in aure. Nec obijci potest auri, quod non videt, vt dicatur ei, Nihil es, minor es. Nunquid videre & discernere colores potes, quod facit oculus? Respondet enim auris de pace corporis & dicit, Ibi sum, vbi est oculus, in eo corpore sum: in me nō video, in illo, cum quo sum, video. Ita cùm auris dicit, Oculus mihi videt; oculus dicit, Auris mihi audit; oculi & aures dicunt, Manus nobis operantur; manus dicunt, Oculi & aures nobis vident, & audiunt; oculi, & aures, & manus dicunt, pedes nobis ambulant. Omnia in vno corpore cùm operantur, si sit ibi sanitas, & concordent membra, gaudent & congaudent sibi. Et si aliquid molestiæ sit in aliquo membro, non se deserunt, sed compatiuntur sibi. Nunquid quia in corpore pes, quasi longè videtur ab oculis? Illi enim sunt locati in sublimitate, pedes autem infrà positi. Quando fortè pes spinam calcauerit; deserūt oculi, & nō sicut videmus, totum corpus contrahitur, & sedet homo; curuatur spina dorsi, vt quæratur spina, quæ hæsit in planta? Omnia membra quicquid possunt, faciunt, vt de infimo exiguo loco, spina, quæ inhæserat, educatur. Sic ergo quisquis in corpore Christi non potest resuscitare mortuum, non illud quærat; sed quærat ne discordet in corpore: quomodo si auris quærat videre, discordare potest. Nam quod non accepit, non potest facere. Sed si ei obiectum fuerit, & dictum, Si iustus esses, resuscitares mortuos, quomodo resuscitauit Petrus. (In Christo enim maiora videntur fecisse Apostoli, quàm ipse Dominus. Sed vnde fieri potest, vt plus valeant sarmenta quàm radix? Quomodo autem quasi maiora videntur fecisse illi, quàm ille?
Act. 5. Ad vocem Domini surrexerunt mortui: ad vmbram transeuntis Petri surrexit mortuus. Maius hoc videtur, quàm illud. Sed Christus facere sine Petro poterat; Petrus nisi in Christo non poterat.

poterat. Quia sine me, inquit, nihil potestis facere) Cùm ergo Ioan. 15.
hoc audierit homo, qui proficit, quasi obiectam calumniam ab
ignaris paganis, ab hominibus nescientibus quid loquantur,
in compage corporis Christi respondeat, & dicat, Quid dicis?
Non est iustus, quia non facit miracula? Possis & auri dicere,
Non es in corpore, quia non vides. Fac, inquit, & tu, sicut &
Petrus fecit. Sed Petrus & mihi fecit, quia in eo corpore sum,
in quo Petrus fecit. In illo, quod potest, possum, à quo diuisus
non sum. Quod minus possum, compatitur mihi: & quod plus
potest, cōgaudeo illi. Ipse Dominus desuper clamauit pro cor-
pore suo; Saule, Saule, quid me persequeris? Et ipsum nemo Actor. 9.
tangebat, sed pro corpore in terra laborante, caput de cælo cla-
mabat. Si ergo vnusquisque quod potest, iustè *& piè* egerit, &
in eo, quod alius plus potest, non inuiderit; sed congratulatus
fuerit tanquam in vno *Ecclesiæ* corpore cum eo constitutus:
pertinet ad eum vox ista Psalmi, Domine, non est exaltatum Psalm. 130.
cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei: neque ingres-
sus sum in magnis, neque in mirabilibus super me. Quod enim
excessit vires meas, ait, non quæsiui, non ibi me extendi, nolui
ibi magnificari.

CAPVT XXIX.

Nemo quærat magnus esse in Ecclesia, sed humilis; ne tentet Deum.

1 MVlti autem talia desiderantes, ceciderūt. Nam Simon 1 In Psal. 90. cōc. 2. in med.
ille magus talia desiderauit ab Apostolis, qui Spiri- Actor. 8.
tum sanctum per pecuniam voluit comparare. Amauit poten-
tiam miraculorum, & non amauit imitationem humilitatis.
Ideo quidam discipulus, vel quidam de turba, cū vellet sequi
Dominum, attendens miracula quæ faciebat: vidit illum Do-
minus superbum, non quærere viam humilitatis, sed typhum Lucæ 9.
potentiæ, & ait: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos:
filius autem hominis nō habet, vbi caput reclinet. Vulpes in te
foueas habent; volucres cæli in te nidos habent. Vulpes, dolus
est: volucres cæli, superbia est. Sicut enim volucres alta petunt,
sic superbi: & vt vulpes cauernas habent dolosas; ita omnes in-
sidiatores. Quid ergo respondit Dominus? Potest in te habi-
tare superbia & dolus; Christus non habet vbi in te habitet, vbi
reclinet caput suum: quia reclinatio capitis, humilitas Christi
est. Nisi reclinaret caput, nō iustificareris. Talia desiderantes &

duo fratres discipuli, & volentes iam appetere sedem regni, antequam viam humilitatis caperent, quando illi suggestum est
Matth. 20. à matre discipulorum: Dic vt vnus sedeat ad dexteram, & alius ad sinistram tuam: potentiam quærebant: sed quia per passionem humilitatis venitur ad potentiam regni: ait Dominus, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Quid cogitatis altitudinem regni, & non imitamini humilitatē meam? Ergo, si sic quis te tentet, fac miracula; ne tu tentes Deum, quid de-
Matth. 4. bes respondere? Quod respondit Dominus. Ait *quippe* illi dia-
Psalm. 90. bolus, Mitte te deorsum: quia scriptum est, Angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Si te miseris, angeli te suscipient. Et posset quidem fieri, vt si se misisset Dominus, obsequia angelorum
Deut 6. susciperent carnem Domini. Sed quid illi ait? Iterum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Hominem me putas, Ad hoc enim accessit diabolus, vt tentaret, vtrum filius Dei ipse esset. Videbat carnem, sed maiestas in operibus apparebat: angeli testimonium dixerunt. Ille videbat mortalem, vt tentaret, vt Christo tentato doceretur Christianus. Quid ergo scriptum est? Non tentabis Dominum Deum tuum. Itaque non tentemus Dominum; vt ei dicamus, Si ad te pertinemus, miracula faciamus.

CAP. XXX.

Aliter scelerati, aliter sancti miracula faciunt.

a To. 4. lib. 83. quæstionum, quæst. 79. a QVod autem Dominus dicit, pseudoprophetas multa signa & prodigia facturos, ita vt fallant etiam, si fieri potest, electos: admonet vtique, vt intelligamus, quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt; nec tamē ideo potioris loci apud Deum esse arbitrandi sunt. Non enim acceptiores erant Deo, quàm populus Israel,
Exod. 7. magi Aegyptiorum; quia nō poterat ille populus facere quod illi faciebant: quamuis Moyses in virtute Dei maiora potuerit. Sed ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quā in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibuit hinc gaudere di-
Luc. 10. scipulos, cùm ait: Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subiiciuntur: sed in hoc gaudete, quoniā nomina vestra

ſcripta ſunt in cælis. Cùm ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam ſancti faciunt; talia quidem viſibiliter eſſe apparēt, ſed & diuerſo fine,& diuerſo iure fiunt. Illi enim faciunt,quærentes gloriam ſuam; iſti quęrentes gloriam Dei:& illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo,quaſi priuata commercia vel beneficia: iſti autem publica adminiſtratione, iuſſu eius, cui cuncta creatura ſubiecta eſt. Aliter enim cogitur poſſeſſor equum dare militi: aliter cū tradit emptori, vel cuilibet donat, vel commodat. Et quemadmodum plerique mali milites,quos imperialis diſciplina condemnat, ſignis imperatoris ſui nonnullos poſſeſſores territant, & ab eis aliquid,quod publicè non iubetur,extorquent: ita nonnunquam mali Chriſtiani, vel ſchiſmatici, vel hæretici per nomen Chriſti,aut verba, aut ſacramenta Chriſtiana exigunt aliquid à poteſtatibus, quibus honori Chriſti cedere indictum eſt. Cùm autem malis iubentibus cedunt voluntate, ad ſeducendos homines cedunt, quorum errore lætantur. Quapropter aliter magi faciunt miracula; aliter boni Chriſtiani; aliter mali Chriſtiani. Magi per priuatos contractus; boni Chriſtiani per publicam iuſtitiam; mali Chriſtiani per ſigna publicæ iuſtitiæ.

Cap. XXXI.

Epilogus præcedentium.

1 Ergo, vt poſſimus inſtructi ſemper reſiſtere tentatori, non præſumamus vnquā in nobis,ſed in ipſo qui prior tentatus eſt,ne nos in tentatione vinceremur: illi enim tentatio non erat neceſſaria. Tentatio Chriſti, noſtra doctrina eſt. Si autem attendamus quid reſponderit diabolo, vt hoc & nos reſpondeamus, quando ſimiliter tentat; intremus recta via per ianuam. Quid eſt enim intrare per ianuam? Intrare per Chriſtum. Ipſe enim dixit, Ego ſum ianua. Quid eſt autem intrare per Chriſtum? Imitari vias Chriſti. In quo imitaturi ſumus vias Chriſti? Nunquid in ea magnificentia, in qua Deus erat in carne? Aut ad hoc nos exhortatur, aut hocà nobis exigit, vt talia miracula, qualia fecit ipſe, faciamus? At verò Dominus noſter Ieſus Chriſtus nónne & modò & ſemper cum Patre totum mundum gubernat? Et nunquid vel ad hoc vocat hominem,faciens imitatorem ſuum,vt cum illo gubernet cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt? Aut vt ſit & ipſe creator,per

1 In Pſal. 90. in initio.

Ioan. 10.

quem fiant omnia, ſicut per Chriſtum facta ſunt omnia? Neque ad iſta opera te inuitat Deus Saluator, Dominus noſter
Ioan. 1. Ieſus Chriſtus, quæ fecit ab initio, de quibus ſcriptū eſt, Omnia per ipſum facta ſunt: neque ad illa quæ fecit in terra. Non hoc dicit, Non eris diſcipulus meus, niſi ambulaueris ſuper mare; aut, niſi ſuſcitaueris mortuum quatriduanum; aut, niſi
Matth. 11. oculos cæci nati aperueris; nec hoc. Quid eſt ergo intrare per ianuam? Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quod factus eſt propter te, hoc in eo debes attendere, vt imiteris. Miracula enim & nondum natus de Maria, fecit. Quis enim vn-
Pſalm. 71. quam fecit, niſi ipſe, de quo dictum eſt, Qui facit mirabilia magna ſolus? In ipſius enim virtute, & antea qui fecerunt, po-
3 Reg 17. tuerunt aliquid facere. In virtute Chriſti Helias mortuum ſuſcitauit. Niſi fortè maior eſt Petrus quàm Chriſtus, quia
Actor. 5. Chriſtus voce ſuſcitauit ægrotantem: Petrus autem cùm pertranſiret, vmbra ipſius tangendi proferebantur ægroti. Potentior ergo Petrus, quàm Chriſtus? Quis hoc dementiſſimus dixerit? Quare ergo tanta potentia in Petro? Quia Chriſtus
Ioan. 10. in Petro. Ideo dixit, Omnes qui venerunt, fures ſunt & latrones: id eſt, qui venerunt ſua ſponte, non ſunt à me miſſi. Qui venerunt ſine me; à me non ſunt miſſi, in quibus ego non fui, quos ego non introduxi. Quotquot ergo miracula facta ſunt, ſiue à præcedentibus, ſiue à ſubſequentibus, idem ipſe Dominus fecit, qui fecit & præſentia ſua. Nec ad ipſa ergo miracula hortatur, quæ ipſe fecit, & antequam eſſet homo: ſed quid te hortatur vt imiteris? Quod nō poſſet, niſi factus homo. Tolerare enim paſſiones nunquid poſſet, niſi homo? Mori, & crucifigi, & humiliari poſſet, niſi homo? Sic ergo & tu cùm moleſtias huius ſæculi pateris, quas facit diabolus, ſiue apertè per homines, ſiue occultè, ſicut Iob; ſis fortis, ſis tolerans. Multi enim fortes ſunt, quando ab hominibus patiuntur perſecutionem, & vident eos apertè ſæuire in ſe; & putant quia tunc imitantur paſſiones Chriſti, ſi apertè eos homines perſequantur: ſi autem occulta diaboli perſecutione feriantur, putant ſe non coronari à Chriſto. Noli timere, quando imitaris Chri-
Matth. 4. ſtum. Nam & quando tentauit diabolus Dominum, nullus homo fuit in eremo: occultè illum tentauit, ſed ſuperatus eſt; & apertè ſæuiens ſuperatus eſt.

CAP.

CAP. XXXII.

Qui potens esse vult, aut magnus, se peccatorem atendat; deoq; non sibi, placeat.

1 ITerum existit *alius in Ecclesia*, qui amat potentiam, qui amat & magnificentiam: vult esse magnus, quomodo angeli sunt. Magnificentia quædam est in angelis, & tanta potentia, vt si faciant angeli quicquid possunt, sustineri non possit. Et omnis homo desiderat potentiam angelorum; sed iustitiam angelorum non amat. Prius iustitiam dilige, & sequetur te potentia. Tu iam quærebas magnificentiam: prius dilige sanctitatem: cùm sanctificatus fueris, eris & magnificus. Nam si præposterè prius esse volueris magnificus, antè cades, quàm surgas. Non enim surgis, sed extolleris. Melius surgis, si te ille erigat, qui non cadit. Descendit enim ad te ille qui non cadit. Tu cecideras; ille descendit, porrexit tibi manum: non potes viribus tuis surgere; amplectere manum descendentis, vt erigaris à forti. 2 *Proinde* leues & oculos tuos ad illum qui habitat in cælo; non te attendas. Omnis enim superbus se attendit, & magnus sibi videtur, qui sibi placet. Sed qui sibi placet, stulto homini placet, quia ille ipse stultus est, cùm sibi placet solus. Solus securus placet, qui Deo placet: Et quis est qui placet Deo? Cui placuerit Deus. Displicere sibi Deus non potest. Placeat & tibi, vt placeas illi. Sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displicueris. Si autem displices tibi; tolle à te oculum. Vt quid te enim attendis? Si enim verum te attendis, inuenis in te quod tibi displiceat: & dicis Deo, Peccatum meum ante me est semper. Peccatum tuum sit ante te, vt non sit ante Deum: & tu noli esse ante te, vt sis ante Deū. Quomodo enim volumus vt non à nobis auertat faciem suā Deus: sic volumus vt auertat faciem suam à peccatis nostris. Nam vtrumque illi cantatur in Psalmis. Ille qui dicit, Ne auertas faciem tuam à me; vide quid dicat alio loco, Auerte faciem tuam à peccatis meis. Si vis vt auertat faciem suam à peccatis tuis, tu ipse à te auerte faciem tuam, & à peccatis tuis noli auertere. Si enim non ab eis auerteris faciem tuam, tu ipse irasceris peccatis tuis. Si autem tu non auertis faciem tuam à peccatis tuis: tu agnoscis, & ille ignoscit. At verò à te leua oculos ad illum, & dic, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælo. Cælum *porro*, si corporaliter intellexerimus hoc quod videmus oculis corporeis;

1 In Psal. 92. in initio.

2 In Psal. 122. ante medium

Psalm. 50.

Psalm. 26.

Psalm. 50.

Psalm. 122.

poreis; verè ſic errabimus, vt non putemus nos illuc aſcendere, niſi ſcalis poſitis, aut aliquibus machiuamentis. Si autem ſpiritaliter aſcendimus; ſpiritaliter cælum intelligere debemus. Sit aſcenſus in affectū, cælum in iuſtitia. 3 Aſcendimus ad cælum, ſi cogitamus Deum, qui aſcenſum in corde facit. Quid eſt aſcendere in corde? Proficere in Deum. Quomodo omnis qui deficit, nō deſcēdit, ſed cadit: ſic omnis qui proficit, aſcendit. Sed ſi ſic proficiat, vt non ſuperbiat: ſi ſic aſcendat, vt non cadat. Si autem proficiendo ſuperbiat, aſcendēdo iterum cadit. Sed vt non ſuperbias, quid debes facere? 4 Reuoca te ad Apoſtolum. Quid enim habes, quod non accepiſti? Et ſic dic iuſtitiam tuam, vt memineris quòd acceperis eam, & non eam inuideas accipientibus. Nam & ille Phariſæus, tanquam à Deo accepiſſet, dicebat, Gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines. Quare? Inde enim te delectat, quia bonus es, quia alter malus eſt? Denique quid addidit? Iniuſti, raptores, adulteri, ſicut & Publicanus iſte. Hoc iam non eſt exultare, ſed inſultare. Ille autem captiuus nec oculos ad cælū audebat leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, *confitens, gemens &* dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Parum itaque eſt, vt illud quod in te eſt bonum, agnoſcas quod à Deo ſit, niſi etiam inde non te extollas ſuper illum. qui nondum habet; qui fortaſſe cùm acceperit, tranſiet te. Quando enim erat Saulus Stephani lapidator; quàm multi erant Chriſtiani, quorum ille erat perſecutor? Tamen quando conuerſus eſt, omnes qui ſe præceſſerant, ſuperauit. 5 Pertinet ergo etiā ad te clamare, pertinet gemere, pertinet confiteri, *quod fecit Publicanus*, non te exaltare, non non te iactare, non de tuis viribus gloriari: *ſicut Phariſæus fecit*. Quia etſi habes aliquid gaudendū, quid eſt quod nō accepiſti?

3 Ibidem ſup.
4 In Pſal. 70. concione 1. ante medium
1. Cor 4.
Luc. 18.
Actor. 7.
5 In Pſal. 19. ante finem.
1. Cor. 4.

Cap. XXXIII.

Superbiam inuidia ſequitur; qua lapſus diabolus, etiam homines ad eam incitat.

SEd [1] quamdiu exaggerem quid mali ſit in ſuperbia? Diabolus inde ſolum puniendus eſt: certè princeps eſt omnium peccatorum; certè ſeductor eſt ad peccandum. Non ei imputatur adulterium, non vinolentia, non fornicatio, non rapina rerum alienarū: ſola ſuperbia lapſus eſt. Et quoniam ſuperbiæ comes eſt inuidentia, fieri nō poteſt, vt ſuperbus non inuideat;

1 In Pſal. 58. cōc. 2. in med.

ex

ex hoc vitio, quod superbiam necessariò sequitur. Lapsus enim diabolus inuidit stanti, & dedit operam seducere hominem, ne illò leuaretur, vnde ille deiectus est: & ideo satagit vera persuadere peccata, quia talem iudicem habemus, vbi obiicere falsa non possit. Nam si apud iudicem hominem ageretur causa nostra, quem possit fallere criminationibus falsis; non multum ageret, vt peccaremus: quia iudicem fallendo, & innocentes posset opprimere, & circumuentos ad se traducere, & secum condemnari facere. Nunc verò quia scit talem iudicem, qui falli non possit: & quia scit eum iustum, personas accipere non posse; tales ei reos quærit perducere, quos necesse sit vt damnet, quia iustus est. Dat itaque operam, vt peccemus, sola inuidentia: quæ inuidentia necesse est vt comitetur superbiam. Iactet ergo se quisque de diuitiis, iactet de pulchritudine, & de viribus corporis: ista certè omnia mortalia sunt. Ridendi sunt, qui se de mortalibus iactant, à quibus rebus plerumque aut viui deseruntur, aut mortui eas necesse est vt deserant. Illud est vitium capitale, quod, cùm quisque bene profecerit, superbia tentatur, vt perdat totum quod profecit. Denique omnia vitia in malefactis timenda sunt: superbia in benefactis plus metuenda est. Non itaque mirum, quia sic est humilis Apostolus, vt dicat, Quando infirmor, tunc fortis sum. Nam hoc vitio ne ipse tentaretur, (*sicut & paulo antè commemoraui*) quale sibi medicamentum dicit appositum, contra tumorem à medico, qui sciret quid curaret? Ne magnitudine, inquit, reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominũ rogaui, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Apostolus doctor gentium, pater fidelium per Euangelium, accepit stimulum carnis, à quo colaphizaretur. Quis nostrum hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? Si enim dixerimus hoc non passum fuisse Paulum, cùm ei quasi honorem deferimus; mendacem facimus. Sed quia verax est, & verum dixit; oportet vt credamus datum illi esse angelum satanæ, ne magnitudine reuelationum *tantus doctor* extolleretur. Ecce quàm timendus est serpens superbiæ.

Vide epist. 38. ad Dioscorũ. & epist. 109. ad Monach. in medio.

2. Cor. 12.

CAP.

CAP. XXXIIII.

Superbiæ vitium etiam in docendo cauendum est: & tutius est audire quàm loqui.

1 To. 2. epist. 112. ad Florétinum. 1 ET ob id sollicitissimè cauendum est etiam in docendo, superbiæ vitium, quod in discendo non ita est. Vnde & Iacobi 1. sancta Scriptura nos admonet, dicens, Sit omnis homo velox Psalm. 50. ad audiendum; tardus autem ad loquendum. Et ille in Psalmo Vide To. 10. in edit. Plantini. Serm. 112. de diuers. ait, Auditui meo dabis exultationem & lætitiam: cótinuoque subiecit; Et exultabunt ossa humiliata. Vidit enim in audiendo facillimè seruari humilitatem, quæ difficilis est in docendo: quoniam necesse est vt Doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est, ne subrepat elatio. Vidéisne quemadmodum periclitemur, à quibus hoc expectatur, vt non solùm doctores simus, verùm etiam, cùm simus homines, diuina doceamus? Isto autem periculo non tantùm nos, sed etiam ille, *de quo diximus*, doctor Gentium, periclitatum se esse testatur, cùm dicit, 2 Cor 12. Ne in magnitudine reuelationum mearum extollar, datus est Matth. 23. mihi stimulus carnis, &c. Vnde & ipse Dominus, tumoris huius admirabilis medicus: Nolite, inquit, ab hominibus vocari Rabbi: vnus est enim magister vester, Christus. Quod retinens 1. Cor. 3. idem ipse doctor gentium, dicit; Neque qui plãtat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Hoc & ille meminit, qui in natis mulierum, quanto magnus erat, tanto se in omnibus humiliabat, indignum se affirmans, qui Christi calciamenta portaret. Quid enim aliud ostendit, vbi ait, Ioan 3. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi? Hic est ille Psalm. 50. auditus, de quo commemoraui in Psalmo positum, Auditui meo dabis exultationem & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. 2 In Psal. 50. in medio. *Quare etiam* 2 feliciores sunt, qui audiunt, quàm qui loquuntur. Qui enim discit, humilis est: qui autem docet, laborat vt non sit superbus, ne mali placẽdi affectus irrepat, ne Deo displiceat, qui vult placere hominibus. Magnus tremor est in docente: magnus tremor est in his vocibus nostris. Crede cordi nostro, quod videre non potes: scit ipse, qui mitescat nobis, qui propitius sit nobis, cum quanto sub illo tremore loquimur. Cùm autem ipsum aliquid suggerentem & docentem intus audimus; securi sumus, securi gaudemus. Sub magistro enim sumus; illius gloriam quærimus, illum docentem laudamus.

Delectat nos veritas eius intus, vbi nemo facit vel audit strepitum. Ibi dixit iste esse lætitiam. Et ideo, quia humilis, audit. Qui verè audit, & bene audit, humilis audit. Gloria enim eius in illo est, à quo audit. Posteaquam ergo dixit, Auditui meo dabis exultationem & lætitiam; continuò demonstrauit, quid faciat auditio. Exultabunt, inquit, ossa humiliata. Humiliata sunt ossa: ossa audientis non habent fastum, non habent tumorem, quem in se vix vincit, qui loquitur. Inde *ergo* & ille humilis magnus, de quo iam diximus, qui ita se humiliauit, vt se indignum diceret soluere corrigiam calciamenti Domini sui; Ioannes ille baptista, dans gloriam magistro suo, & ideo amico suo; cum Christus putaretur, & ex eo superbire posset, & se extendere, (non enim ipse se dixerat Christum) sed poterat accipere hominum errorem hoc putantium, vltrò istum honorem deferre volentium: sed respuit falsum honorem, vt inueniret veram gloriam. Et vide humilitatem *eius* de auditu. Ait, Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat, & audit eum. Stantem se fecit & audientem; non cadentem, & loquentem. Stat, inquit, & audit eum. Audisti auditum: vbi est exultatio & lætitia? Continuo sequitur, Stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem spōsi. 4 Merito stat, qui propter vocem sponsi gaudet. Nam si propter vocem suam gauderet, caderet. 5 Et ideo stat, quia audit eum: quia & primus homo audiendo Deum, stetit: audiendo serpentem, cecidit.

Ioan. 3.
4 In Psal. 131. in medio. 5. Ser 55. inter imperf. Lou. prope init.

Cap. xxxv.

Superbiæ vitium homo vincit vltimum, quo primum lapsus est: à quo vt curaretur homo, factus est humilis Deus.

1 QVi ergo bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maximè cauēdum esse perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc vltimum vincit. Initium autem omnis peccati, superbia. Et initium superbiæ hominis, apostatare à Deo. 2 Non enim inerat Adæ primo homini: sed venit illi pes superbiæ, & mouit illum manus peccatoris, id est, manus diaboli superba. Quomodo ille qui eum seduxit, dixit, Ponam sedem meam ad aquilonem: sic illi persuasit, Gustate, & eritis sicut dij. 3 Radicem huius peccati, & caput huius peccati timuit, qui dixit, Non veniat mihi pes superbiæ. Quare illum

1 In Psal. 7. ante med. Vide Ambros. epist 84. li. 10. Eccles. 10.
2 In Psal. 35. conc. 1. ante finem. Esa. 14.
Genes. 3.
3 Ibidē infra.

illum pedem dixit? Quia superbiendo Deum deseruit & discessit: & pedem ipsius, affectum ipsius dixit. Non veniat mihi, inquit, pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me, id est, opera peccatoris non moueant me, vt imitari illos velim. Quare autem contra superbiam loquens, hoc addidit, Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem? Quia qui iniqui sunt, in superbia ceciderunt. Ideò cùm cautam faceret Dominus Ecclesiam, ait: Illa tuum, inquit, obseruabit caput, & tu eius calcaneum. Serpens obseruat calcaneum; quando tibi veniat pes superbiæ, quando labaris, vt deiiciat. Tu autem caput eius obserua. *Quodnam verò caput*? Initium omnis peccati superbia.

Eccles. 10. 4 In Psal. 18. expos. 2. in fine. 4 Ab hoc vitio, quod est caput omnium vitiorum, quia inde cætera vitia nata sunt, facta est Apostasia à Deo, eunte anima in tenebras, & malè vtente libero arbitrio, peccatis etiam cæteris consecutis: vt & substantiam suam dissiparet cum meretricibus, viuens prodigè: & per egestatem fieret pastor porcorum, qui erat socius angelorum. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cælo deduxit; vsque ad formam serui humiliauit, contumeliis egit, ligno suspendit; vt per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. *Ad superbum missus à Deo venit Deus humilis, vt ex superbo ad Deum reduceret per se factum humilem.*

Luc. 15.

Philip. 2.

6 In Psal. 31. conc. 1. à princip. 6 Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus à Deo. Redire ad eum, nisi per humilitatem non poteramus; & quem nobis præponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum, superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, Patriarchæ; dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis; vt vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.

7 Serm. 74. de temp. vltra medium. 7 Magna *reuera* medicina. Hæc medicina, si hominis superbiam non curat; quid eam curet, nescio. Deus est, & fit homo. Seponit diuinitatem, id est, quodammodo sequestrat, hoc est, occultat, quod suum erat: quod apparet, acceperat. Fit ille homo, cũ sit Deus: & non se agnoscit homo hominem, id est, nõ se mortalem agnoscit, non se agnoscit fragilem, non se agnoscit ægrotum; vt quærat vel ægrotus medi-

medicum, sed (quod est periculosius) sanus sibi videtur. [a] Deinde, quid de tali superbo dicitur, mortali, accincto pannis carnis, prægrauato pondere corporis corruptibilis, & tamen extollenti se, & obliuiscenti, quia pelle vestitus sit? quid ei dicit Scriptura? Quid superbit terra & cinis? Quid superbit? Caput omnium morborum superbia, quia caput omniũ peccatorum superbia. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, & ipsam causam per quam factum est, non curet; ad tempus videtur mederi: causa manente, morbus repetitur. Verbi gratia; apertius hoc dicam. Humor in corpore scabiem vel vlcera genuit in corpore: fit magna febris, & non paruus dolor. Exhibentur quædam medicamenta, quæ scabiem compescant, & feruorem illum vlceris sedent; & adhibentur & proficiunt. Vides hominem, qui fuit vlcerosus & scabiosus, sanatum: sed quia humor ille non eiectus est, rursus ad vlcus redit. Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, detrahit causam; & nulla erunt vlcera. Vnde ergo abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia: descendit, & humilis factus est filius Dei. Quid superbis homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. Venit filius Dei in homine, & humilis factus est. Præcipitur tibi vt sis humilis; non tibi præcipitur, vt ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est, vt cognoscas te.

[a] To. 9. Tract. 25. in Ioan. vltra medium. Vide Ser. 1. de S. Laurent. inter nouos. Eccles. 10.

Cap. XXXVI.

Christus declarauit se humilem in sua natiuitate, & in electione discipulorum suorum; vt etiam homines faceret humiles.

QVare [1] vel hinc solùm nos discimus, quia humilitatem nos docuit Christus; quia Deus factus est homo. Ipsa est humilitas, quæ displicet paganis, vnde nobis insultant: Qualem Deum colitis, qui natus est? Qualem Deum colitis, qui crucifixus est? Humilitas Christi, superbis displicet: tibi autem Christiano si placet, imitare. Si imitatus fueris, non laborabis: quia ipse prædixit, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis; & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth. 11.

[1] In Psal. 93. in medio.

Quo-

2 Ex Serm. de tribus Virg. quem Beda citat 1. Cor. 1.

Quomodo humilis corde? 2 Primo, quia elegit nasci de illa femina, quæ desponsata erat fabro. Non ergo elegit amplos natales, ne in hac terra nobilitas superbiret. Non elegit saltem nasci in amplissima ciuitate, sed natus est in Bethlehem Iudæ, ea, quæ nec ciuitatis nomine nuncupatur: hodieque illam incolæ loci illius, villam appellant: tam parua, tam exigua, propè nulla est, nisi pristina Domini Christi natiuitate nobilitaretur. 3 Sed forsitan dicet aliquis, Etsi ipse humiliter natus est; in discipulorum nobilitate iactare se voluit. *Nequaquam.* Non *enim* elegit Reges, aut senatores, aut philosophos, aut oratores: imò verò elegit plebeios, pauperes, indoctos, piscatores. Petrus *erat* piscator, Cyprianus orator. Nisi fideliter præcederet piscator, nō humiliter sequeretur orator. 4 Quare autem primo ignobiles, paucos, imperitos, & impolitos elegerit Dominus, cùm haberet ante oculos suos turbam magnam, in comparatione quidem illorum pauperum, sed in genere suo multos diuites, nobiles, sapientes, quos postea etiam collegit; exponit Apostolus sacramentum. Infirma, *inquit*, mundi huius elegit Deus, vt confundat fortia: & stulta huius mundi elegit, vt confundat sapientes; & ignobilia huius mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, id est, non computantur, vt quæ sunt, euacuentur. 5 Elegit ergo infirmos, pauperes, indoctos; non quia reliquit firmos, diuites, sapientes, nobiles: sed si ipsos primos eligeret, merito diuitiarum suarum, merito substantiarum suarum, merito natalium suorum sibi eligi viderentur; atque inflati de his rebus, salutem humilitatis non reciperent, sine qua nemo redire potest ad illam vitam, vnde non laberemur, nisi per superbiam. 6 Nam inde non est electus etiam ille Nathanaël. Quid enim tibi videtur, vt publicanum in telonio sedentem eligeret Matthæum; & non eligeret Nathanael, cui perhibuit testimonium ipse dicens, Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est? Intelligitur ergo iste Nathanaël doctus fuisse in lege. Non quia doctos non erat electurus: sed si ipsos primo elegisset, doctrinæ suæ merito se electos putarent, & ita eorum scientia laudaretur, & laus Christi gratiæ minueretur. Perhibuit testimonium tanquam bono fideli, in quo dolus nō erat: sed tamen eum non assumpsit inter illos discipulos, quos primùm idiotas elegit, non oratores. 7 Volens enim superborum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem piscatorem: sed de piscatore lucratus est & oratorem, & imperatorem. 8 Da mihi, inquit,

3 Ex Serm. de Caléd. Ianua. quem citat Beda 1. Cor. 1.

4 Ser. de tribus Virg.

1 Cor. 1.

5 Ibidem inf. Vide Ser. 59 de ver. Dom. ante finem.

6 In Psal. 54. ante medium Matth. 9.

Ioan. 1.

7 To 9. Tract. 7. in Ioan. vltra medium

8 Serm. 27. de ver. B. Apost. Petri.

inquit, illum piscatorem; da mihi idiotam; da mihi imperitum. Da mihi eum, cum quo non dignatur loqui senator, nec quando emit piscem. Ipsum, inquit, da. Hunc si impleuero, manifestum erit, quod ego facio: quamquam & senatorem, & oratorem, & imperatorem ego sum facturus. [9] Elegit ergo Dominus postea & oratores: sed illi superbirent, si non prius eligeret piscatores. Elegit imperatores postea. Sed melius est, vt Romam cùm venerit imperator, deposito diademate, ploret ad memoriam piscatoris, quàm vt piscator ploret ad memoriam imperatoris. Infirma enim mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi elegit, & ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, vt ea quæ sunt, euacuarentur. Et quid sequitur? quid ait? Concludit Apostolus: Vt non glorietur coram Deo omnis caro. Vide quemadmodum nobis abstulit gloriam, vt daret gloriam. Abstulit nostram, vt daret suam. Abstulit inanem, vt daret plenam. Abstulit nutantem, vt daret solidam. Tanta est ergo gloria nostra fortior & firmior, quia in Deo. Non ergo in te debes gloriari, quod prohibuit veritas: sed quod ait Apostolus, hoc præcipit veritas, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

9 In Psal. 65. ante medium

1. Cor. 1.

CAP. XXXVII.

Quales sint, qui malè fortes sunt; siue, quos fortes Deus confundat.

E*T quia infirma mundi Deum elegisse dicit Apostolus, vt confunderet fortia*; [1] diligenter insinuandum est, qui sint fortes. Primò ipsum diabolum Dominus fortem dixit. Nemo, inquit, potest intrare in domum fortis, & vasa eius eripere, nisi prius alligauerit fortem. Alligauit ergo fortem vinculo dominationis suæ, & vasa eius abripuit, ac vasa sua fecit. Erant enim omnes iniqui, vasa diaboli, qui credētes, facti sunt vasa Christi: quibus Apostolus dicit, Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, qui notas facit diuitias suas in vasa misericordiæ. Possunt ergo isti fortes, *diabolus & eius angeli* intelligi. Sed sunt etiam in hominibus quidam fortes, reprehensibili & damnabili fortitudine, qui præsumunt quidem, sed de temporali felicitate. Num tibi videtur fuisse fortis diues iste, qui ex Euangelio recitatur, quoniam successit ei regio in opulentia fructuum? Perturbatus, cōsilium recondicionis inuenit, vt destructis veteribus apothecis, nouas cōstrueret ampliores:

1 In Psal. 58. post initium.

Matth. 12.

Ephes. 5.

Luc. 12.

ciſque completis,animæ ſuæ diceret, Habes multa bona, anima; epulare, iocundare, ſatiare. Qualem fortem vides? Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum. Vide quàm fortis ſit: Et præualuit,inquit,in vanitate ſua. Sunt & alij fortes,nō de diuitijs, non de viribus corporis, non de aliqua in tempore præcellenti potentia dignitatis: ſed præſumentes de iuſtitia ſua. Hoc genus fortium cauendum eſt,metuendum,auerſandum; nō imitandum; præſumentium,inquam,non de corpore,non de opibus,non de genere, non de honore:(omnia enim iſta quis non videat temporalia,fluxa,caduca, volatica?) ſed præſumentium de iuſtitia ſua. Talis fortitudo impediuit Iudæos, ne per foramen acus intrarent. Cùm enim de ſe præſumunt, quod iuſti ſint, & tanquam ſani ſibi videntur; medicinam recuſauerunt, & ipſum medicū necauerunt. Tales ergo fortes,non infirmos, non venit vocare, qui dixit, Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Nō veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Iſti erant fortes,qui inſultabant diſcipulis Chriſti, quia magiſter eorum ad infirmos intrabat,& cōuiuabatur cum infirmis. Quare, inquiunt, magiſter veſter cum publicanis & peccatoribus manducat? O fortes, quibus medicus opus nō eſt. Fortitudo iſta non ſanitatis eſt, ſed inſaniæ. Nam & phreneticis nihil fortius; valentiores ſunt ſanis: ſed quanto maiores vires, tanto mors vicinior. Auertat ergo Deus ab imitatione noſtra fortes iſtos. Timendum eſt enim ne eos quiſque velit imitari. Doctor autem humilitatis, particeps noſtræ infirmitatis,donans participationē ſuæ diuinitatis,ad hoc deſcendens, vt viam doceret, & via fieret, maximè ſuam humilitatem nobis commendare dignatus eſt: & ideo à ſeruo baptizari non dedignatus eſt,vt nos doceret cōfiteri peccata noſtra,& infirmari, vt fortes ſimus, habere potius Apoſtoli vocem dicētis, Quando infirmor, tunc potens ſum. Quomodo ergo noluit eſſe fortis? Iſti autem, qui fortes eſſe voluerunt, id eſt, qui de ſua virtute præſumere voluerunt tanquam iuſti; offenderunt in lapidem offenſionis. Audi fortes iſtos. Cùm quidam Hieroſolymitæ dicerent, miſſi ab eis ad apprehendendum Chriſtum, & non audentes apprehendere: (quia quando voluit, tunc apprehenſus eſt,qui verè fortis erat:) Quare ergo, inquiunt, non eum potuiſtis apprehendere? Et reſponderunt, Nemo vnquam hominum ſic locutus eſt ſicut ille. Et illi fortes, Nunquid aliquis

Pſalm. 51. Matth. 9. Marc. 2. Matth. 3. 2. Cor. 12. Rom. 9. Ioan. 7.

aliquis Pharisæorum in illum credidit, aut aliquis Scribarum, nisi populus iste nesciens legem? Præposuerunt se turbæ infirmæ ad medicum currenti. Vnde, nisi quia ipsi fortes erant, & fortitudine sua, quod est grauius, omnem etiam turbam in se traduxerunt, & medicum omnium occiderunt? Sed & ille, eo quod occisus est, de sanguine suo medicamentum fecit ægrotis. Hos maximè fortes aduerte; & vide vtrum de vlla re præsumendum sit homini, quando nec de iustitia præsumēdum est. Iam vide vbi iaceant præsumentes de diuitiis, de viribus corporis, de nobilitate generis, de dignitate sæculi, si qui de ipsa iustitia tanquam de sua præsumpserit, cadit. Ex illis fortibus fuit ille, vires suas iactans: Gratias tibi, inquit, ago, quia non sum sicut cæteri hominum; iniusti, raptores, adulteri, sicut & publicanus iste. Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Vide fortem iactantem vires suas: contrà, virum longè stantem infirmum attende, & per ipsam humilitatem propinquantem: Publicanus autem, inquit, de longinquo stabat, & nec oculos suos audebat in cælum leuare; sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis; descendit iustificatus publicanus ille magis quàm ille Pharisæus. Et vide iustitiam. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 18.

CAP. XXXVIII.

Epilogus præcedentium.

1 ERgo qui vult fortis esse, velut præsumens de se, & iactans merita sua, qualiacumq. illa sint; erit similis Pharisæo illi, qui quod à Deo se dicebat accepisse, superbè tamen iactabat: Gratias, inquit, tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines. Attende quale genus superbiæ commendet Deus. Verè quale potest subintrare iusto homini; quale potest subrepere bonæ spei. Verè gratias ago tibi, dicebat. Ergo cùm dicebat, Gratias tibi; fatebatur ab illo se accepisse, quod habebat. Quid enim habes, quod non accepisti? Vnde ergo superbus? Non quia de bonis suis Deo gratias agebat: sed quia super alterum se de ipsis bonis extollebat. *Hinc ergo superbus, vnde fortis: quãdoquidem* 2 fortes esse dicuntur omnes superbi: infirmi, humiles. Ideo vicerunt multi ab Oriente & Occidente venientes, vt recumbant cū Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum. 1 In Psal. 31. Enar. 1. post initium. Lucæ 18. 1. Cor. 4. 2 In Psal. 38. vltra medium Matth. 8.

Quare vicerunt? Quia fortes esse noluerunt. Quid est, fortes esse noluerunt? De se præsumere timuerunt. Iustitiam suam non constituerunt, vt iustitiæ Dei subiicerentur. Denique quando dixit Dominus hoc, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recũbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno
Rom. 10. cælorum; dixit etiam, Filij autem regni, id est, Iudæi, ignorantes iustitiam Dei, & suam volẽtes statuere, ibunt in tenebras
Matth. 8. exteriores. Recordemur fidem illam Centurionis vnius ex populo gentium, ita in se infirmi, ita nõ fortis, vt diceret, Non sum dignus vt sub tectum meum intres. Non erat dignus, vt
Lucæ 9. Christum domo reciperet, & iam corde receperat. Etenim magister ille humilitatis filius hominis, iam inuenerat in eius pectore, vbi caput reclinaret. Ad hoc verbum Centurionis
Matth. 8. Dominus respiciens, ad se sequentes dixit, Amen dico vobis, in nullo inueni tantam fidem in Israel. Hunc infirmum inue-
Ibidem 9. nit; Israëlitas fortes inuenit: vt inter vtrosque diceret, Non est opus medicus sanis, sed male habentibus. Propter hoc ergo, id est, propter hanc humilitatem, multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni ibunt in tenebras exteriores. Ecce mortalis es, ecce carnem putrescentem portas, & sicut vnus (vt inquit scriptura) ex principibus cades. Sicut homines
Psalm. 81. morieris: & cades sicut diabolus. Quid tibi prodest medicina mortalitatis? Superbus diabolus tanquam angelus, non habet carnem mortalem: tu autem qui accepisti mortalem carnem, & nec hoc tibi prodest, vt tanta infirmitate humilieris; sicut vnus ex principibus cades. Ipsa est ergo gratia beneficij Dei prima, redigere nos ad confessionem infirmitatis; vt quicquid boni possumus, quicquid potentes sumus; in illo simus, vt qui
1 Cor. 1. gloriatur, in Domino glorietur. Quando infirmor, inquit,
2 Cor. 12. tunc potens sum.

Cap. xxxix.

Fortitudo, quæ tribuitur dilectioni commendatur cùm dicitur, Fortis est sicut mors dilectio.

Iam, quia satis tractatum est de mala fortitudine, quæ merito improbari debet, dicendum etiam est aliquid de quadam fortitudine bona, quæ plurimum eo nomine commẽdatur quòd in sacra
Cant. 8. *Scriptura dilectioni attributa insinuatur. Sic enim in Canticis canticorum de illa scriptum legimus: fortis est, sicut mors dilectio.*

Magnum

Magnum reuera verbum, Fortis est sicut mors dilectio. Quomodo enim mortis, quando ipsa venit; quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis ei occurras; violentiam vitare non potes, quia mortalis natus es: sic contra violentiam charitatis mundus nihil potest. A contrario enim similitudo data est de morte. Quomodo enim mors ad auferendum violentissima est: sic charitas violentissima est, ad saluandum. Per charitatem enim multi mortui sunt sæculo, vt viuerẽt Deo. Hac charitate accensi martyres, nõ simulati, nõ vana gloria ventilati, nõ tales, de quibus dictum est, Si tradidero corpus meũ vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: sed tales, quos verè Christi & veritatis charitas perduceret ad passionẽ. Quid eis fecerunt tentationes sæuientiũ? Maiorem fortè violentiam habuerunt oculi flentium suorum; quàm persecutiones insectantium. Quàm multos enim tenebant filij ne paterẽtur? quàm multorum genibus prouoluebantur vxores, ne viduæ relinquerentur? quàm multos parentes filij prohibebant mori; sicut nouimus & legimus in passione beatæ Perpetuæ? Facta sunt ista. Sed lachrymæ quantælibet, & quantolibet impetu fluerent, quomodo fortitudinẽ charitatis superarent? Dilectio ergo fortis res est. 2 *Vis denique & aliter videre* quàm sit fortis dilectio? Quisquis per aliquã necessitatem non potest implere quod iubet Deus; amet illum qui implet; & in illo implet. Verbi gratia: vxorem habet, quam dimittere non potest; oportet vt obtemperet Apostolo dicenti, Vxori vir debitum reddat: &, Alligatus es vxori, ne quæsieris solutionem. Venit in mentem, quia melior est vita illa, de qua dicit idem Apostolus, Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Attendit eos qui hoc fecerunt; amat eos, & in ipsis implet quod in se non potest. Fortis ergo res est dilectio. Ipsa est virtus nostra. Quia si in illa non fuerimus, nihil prodest, quicquid aliud habuerimus. 3 Magnificentius autem exprimi non potuit fortitudo charitatis, quàm *vt Spiritus sanctus* diceret, Valida est sicut mors dilectio. Quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, vndis, ferro; resistitur potestatibus; resistitur regibus: venit vna mors; quis ei resistit? Nihil est illa fortius. Propterea rectè viribus eius charitas comparata est, & dictum est, Valida est, sicut mors dilectio. Et quia & ipsa charitas occidit quod fuimus, vt simus quod non eramus; facit in nobis quandam mortẽ dilectio. Ipsa morte mortuus erat qui dicebat, Mundus mihi

1 In Psal. 47. prope finem.
1. Cor. 13.
2 In Psal. 121. ante finem.
1. Cor. 7.
3 Ibidem inf.
Galat. 6.

mihi crucifixus est, & ego mundo. Ipsa morte mortui erant,
Coloss. 3. quibus *idem* dicebar, Mortui enim estis, & vita vestra abscon-
4. To. 2. epist. 89 ad Hieron. dita est cum Christo in Deo. 4 *Ergo meritò* dicta est dilectio fortis sicut mors: siue, quia nemo eam vincit, sicut nec mortem: siue, quia in hac vita vsque ad mortem est mensura charitatis; sicut Dominus ait, Maiorem hac charitatem nemo habet,
Ioan. 15. quàm vt animam suam ponat pro amicis suis: siue potius, quia sicut mors *sua tyrannide* animam auellit à sensibus carneis: sic *eandem auellit* charitas *suo dominio ab operibus iniquitatis, &*
5 In Psal. 118. conc. 27. à concupiscentiis carnalibus. 5 Quanto enim magis regnat in vnoquoque Dei charitas, tanto minus ei dominatur iniquitas; *tantoq; magis procurat & satagit, vt alterius, quem nondum in charitate fundatum & fortiter radicatum videt, sanetur infirmitas. Quæ affectio, & solicitudo, & actio vtique propria & præcipua illius charitatis est, quam iam ex ipsa scriptura fortem esse demonstrauimus.*

Cap. XL.

Quid efficiat in hominibus fortis dilectio.

1 To. 5. lib. 15. de ci. Dei. ca. 6 1 PRopter quod etiã dicitur proficientibus bonis, & ex fide, quæ per dilectionem *talem* operatur, in hac peregrinatione *spiritualiter* viuentibus: Inuicem onera vestra portate, &
1 Thess. 5. sic adimplebitis legem Christi. Item alibi eis dicitur: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte nequis malum pro malo ali-
Galat. 6. cui reddat. Item alio loco: Si præoccupatus fuit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, intendens teipsum, ne & tu tenteris.
Ephes. 4. Et alibi: Sol non occidat super iracũdiam vestram. Et in Euan-
Matth. 18. gelio: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Item de peccatis, in quibus multorum cauetur
1. Timoth. 5. offensio, sic Apostolus dicit: Peccãtes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Propter hoc & de venia inuicem danda, multa præcipiuntur. Et magna cura propter tenendam
Hebr. 12. pacem, sine qua nemo poterit videre Deum: vbi ille terror est,
Matth. 18. quando iubetur seruus decem milium talentorum reddere debita, quæ illi fuerant relaxata: quoniam debitum denariorum centum conseruo suo non relaxauit. Qua similitudine proposita, Dominus Iesus adiecit atque ait: Sic & vobis faciet Pater vester cælestis, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo, de

cordibus

cordibus vestris. Hoc modo curantur ciues ciuitatis Dei, in hac terrena *ciuitate* peregrinantes, & paci supernæ patriæ suspirantes. Spiritus autem sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina *hac charitatis* quę adhibetur extrinsecus. Alioquin, etiamsi Deus ipse vtens creatura sibi subdita, in aliqua specie humana, sensus alloqueretur humanos, siue istos corporis, siue illos, quos istis simillimos habemus in somnis: nec interiore gratia mentem regat atque agat; nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis *Dei, omnis correptio infirmitatis suæ.* Facit autem hoc Deus, à vasis misericordiæ, iræ vasa discernens, dispensatione, quam ipse nouit, multum occulta, sed tamen iusta. Ipso quippe adiuuante mirabilibus atque latentibus modis, cùm peccatũ, quod habitat in membris nostris, (quod potius iam pœna peccati est,) sicut Apostolus præcipit, non regnat in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis eius; nec ei membra nostra velut iniquitatis arma exhibemus: conuertitur homo ad mentem non sibi ad mala Deo regente cõsentientem; & eam regentẽ tranquillius nunc, habebit postea sanitate *& charitate* perfecta, atque immortalitate percepta, sine vllo peccato in æterna pace regnantem. Rom. 6.

CAP. XLI.

Vir spiritalis qua potißimùm ratione sit commendandus; & quo affectu probetur erga proximum.

1 NIhil *ergo* sic probat spiritalem, *& fortem in charitate* virum, quàm peccati alieni tractatio, cùm liberationem eius potius, quàm insultationem; potiusq. auxilia quàm conuitia meditatur; & quantum facultas tribuitur, suscipit. Et ideo *ad Galatas ita* dicit Apostolus: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi. Deinde ne sibi quisque videatur instruere, etiam cùm proterue exagitat, irridetque peccãtem, aut superbè tanquam insanabilem detestatur, In spiritu, inquit, mansuetudinis, intendens teipsum, ne & tu tenteris. Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quàm proprij periculi cogitatio. Ita eos nec deesse voluit fratrum correptioni; nec studere certamini. Multi enim homines, cùm à somno excitantur, litigare volunt: aut rursus dormire, cùm litigare prohibentur. Pax igitur & dilectio, & communis periculi cogitatio in corde reser- 1 Tom 4. lib. expos. epist. ad Galat. ca 6.

uetur: modus autem sermonis, siue acrius siue blandius proferatur, sicut salus eius quem corrigis, postulare videtur; moderandus est. Nam & alio loco dicit *Apostolus*, Seruum autem Domini litigare non oportet, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem. Et ne quisquam ex eo putet cessandum sibi esse a correptione erroris alterius, vide quid adiungat. In modestia, inquit, corripientem diuersa sentientes. Quomodo in modestia, quomodo corripientem, nisi cùm lenitatem corde retinemus, & aliquam medicamenti acrimoniam verbo correptionis aspergimus? Nec aliter accipiendum video, quod in eadem epistola positum est, Prædica verbum, insta opportunè, importune, argue, hortare, increpa in omni longanimitate & doctrina. Importunitas enim opportunitati vtique contraria est: neque omnino vllum medicamentum sanat, nisi quod opportunè adhibueris. Quanquam ergo & sic possit distingui, Insta opportune, vt alius sit sensus, Importune argue: deinde cætera contexantur, hortare, increpa, cum omni longanimitate & doctrina. Vt tunc opportunus sentiaris, cùm instas ædificando: cùm autem destruis arguendo, non cures etiam si importunus videaris. Tamen etiam si illo vsitatiore modo distinguatur; Insta opportune; quod si hoc modo non proficis, importune: ita intelligendum est, vt tu opportunitatem omnino non deseras, & sic accipias, quod dictum est, Importune, vt illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum: tu tamen scias hoc illi esse opportunum, & dilectionem curamque sanitatis eius, animo teneas mansueto, & modesto, & fraterno. Multi enim postea cogitantes quæ audierint, & quàm iustè audierint, ipsi se grauius & seuerius arguerunt: & quamuis perturbatiores à medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt: quod non fieret, si semper spectaremus periclitantem putrescentibus membris, quando vri liberet, aut secari. Quod nec ipsi corporis medici attendunt, qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quotus enim quisque reperitur, qui ferrū eorum aut ignem non ligatus expertus sit, cum & illi rariores sint, qui volentes ligati fuerint? Plures enim resistentes, & mori se malle clamantes, quàm illo curari modo, vix lingua ipsa eorum relicta libera, omnibus membris constrinxerunt, neque ad suum, neque ad reluctantis, sed ad ipsius artis arbitrium: quorum tamen vocibus, conuitiisque dolentium, nec cōmouetur curantis animus, nec

2.Tim.2.

2.Tim.4.

nec quiescit manus. Medicinæ autem cælestis ministri, aut per odiorum trabem cernere stipulam in oculo fratris volunt; aut tolerabilius mortem videre peccantis, quàm verbú indignantis audire. Quod non ita accideret, si tam sanum animum curando alterius animo adhiberemus, quàm sanis manibus illi medici aliena membra pertractant. Nunquam itaque alieni peccati obiurgãdi suscipiendum est negocium, nisi cùm internis cogitationibus examinantes nostram cõscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quod si conuitium, vel minæ, vel etiam persecutiones eius quem argueris, lacerauerint animum, si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas, donec saneris prior; ne fortè carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato, ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quicquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles; nullo modo maledictum erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris, senserisque te in gladio verbi Dei, liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quod si fortè, (vt plerumque accidit) dilectione quidem talem suscipis actionem, & ad eam corde dilectionis accedis; sed inter agendum surrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te auferat ab hóminis vitio percutiendo, & ipsi homini faciat infestum: postea te lachrymis lauantem huiusmodi puluerem, multo salubrius meminisse oportebit, quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quando & ipsa eorum obiurgatione peccamus, cùm facilius nos ira peccatis iratos, quàm miseria misericordes faciat. *Et ob id meritò pergit monere Apostolus, dicens:* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi; legem vtique charitatis. Si autem implet legem, qui diligit proximum, dilectióque proximi etiam in veteribus scripturis maximè commendatur; in qua dilectione, dicit alio loco idem Apostolus, recapitulari omnia mandata legis: manifestum est etiam illam scripturam, quæ priori populo data est, legem Christi esse, quam venit implere charitate, quę nõ implebatur timore. Eadem igitur Scriptura, & idem mãdatum, cùm bonis terrenis inhiantes premit seruos; testamentum vetus: cùm in bona æterna erigit liberos; testamentum nouum vocatur.

Matth. 7. Nota. Galat. 6. Rom. 13.

CAP. XLII.

Quomodo alter alterius onera portare debeamus, ostenditur ceruorum exemplo.

1 Tom. 4. li. 83. quæstionum, quæst. 71. Galat. 6. QVia verò veteris testamenti custodia timorem habebat: non potuit apertiùs significari noui testamenti donum esse charitatem, quàm hoc loco, vbi Apostolus dicit, Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Hanc enim Christi legem dicere intelligitur; quia ipse Dominus præcipit, vt nos inuicem diligamus: tantum in ea sententia Ioan. 15. præcepti pondus constituens, vt diceret, In hoc cognoscitur quoniam discipuli mei estis, si vos inuicem diligatis. Huius autem dilectionis officium est, inuicem onera nostra portare. Sed hoc officium, quod sempiternum non est, perducet sanè ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt onera, quæ inuicem portare iubeamur. Nunc verò cum in hac vita, id est, in hac via sumus, onera inuicem nostra portemus, vt ad eam vitam, quæ caret omni onere, peruenire possimus. Sicut enim de ceruis Nota. nonnulli talium cognitionum studiosi scripserũt, cùm fretum ad insulam transeunt, pascuarũ gratia, sic se ordinant, vt onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super inuicem portent: ita vt posterior super anteriorem, ceruice proiecta, caput collocet. Et quia necesse est vnum esse, qui cæteros præcedens, non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur: vt lassatus sui capitis onere, ille qui præcedit, post omnes recedat, & ei succedat, cuius ferebat caput, cùm ipse præiret. Ita inuicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Istam fortasse ceruorum naturam Prou. 5. Secundum aliam interpr. intenderat Salomon cùm ait, Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. Nec tamen inuicem onera nostra portaremus, si vnum tempus esset infirmitatis amborum, qui onera sua sustinent, aut vnum infirmitatis genus: sed diuersa tempora, & diuersa genera infirmitatis faciunt vt onera nostra inuicem portare valeamus. Verbi gratia: Iram fratris tui tunc portabis, cùm tu aduersus eum non irasceris: vt rursus eo tempore, quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & trãquillitate sua supportet. Hoc exemplum ad id pertinet, cum diuersa sunt tempora portantium onera sua, quamuis ipsa diuersa non sit infirmitas. In ambobus enim ab

inuicem ira portatur. Ad diuersum autem infirmitatis genus aliud exemplum videndum est. Veluti si quis loquacitatem in se vicerit, & pertinaciam nondum vicerit: alius verò adhuc loquax sit, sed iam pertinax non sit; debet ille huius loquacitatem, & iste illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in isto sanetur, charitate portare. Par quippe infirmitas in duobus, si vno accidat tempore, tolerare se inuicem non valent, cùm aduersum se intenditur. Nam aduersus aliquem tertium & duo irati sibi conueniunt, & se tolerant: quanquam nec tolerare se inuicem dicendi sunt, sed potius se inuicem consolari; sicut & tristes de re vna magis se portant, & quasi incumbunt sibi, quàm si vnus tristis esset, & alius gauderet. Si autem aduersus se tristes sint, prorsus se tolerare non possunt. Et ideo in huiusmodi affectionibus suscipienda est aliquantulum ipsa ægritudo, de qua vis alium, per te, liberari, & sic suscipienda, vt ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ valeat. Quemadmodum se inclinat, qui manum iacenti porrigit. Non enim se proiicit, vt ambo iaceant; sed incuruat tantum, vt iacentem erigat. Neque vlla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum, facit libenter impendi, nisi cùm cogitamus, quanta pro nobis pertulerit Dominus: [a] vt quemadmodum ille in eo, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & sine peccato cùm esset, peccata nostra suscepit; non attendit sua, sed nostra: ita & nos libenter ad eius imitationem, inuicem onera nostra portemus. Huic cogitationi accedit etiam illa cogitatio, quia ille suscepit hominem, nos autem homines sumus: & considerare debemus, quòd ægritudinem, siue animæ, siue corporis, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi; cuius infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis velle mus exhiberi, si forte nos in ea essemus, & ipse non esset. Ad hoc pertinet, quod ipse Apostolus ait, Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem. Omnibus omnia factus est, cogitando scilicet etiam in eo vitio se esse potuisse, vnde cupiebat alium liberari. Deinde etiam illud cogitandum, nullum esse hominem, qui nō possit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiam si lateat; in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad confundendam edomandamque superbiam valet, ne arbitreris quoniam tua bona quidem eminent, & apparent; ideo alterum nulla habere, quæ lateant, & fortassis

Margin notes: Nota. — [a] Ibidem inf. — Ioan. 1. — 1. Corint. 9.

fortassis maioris ponderis bona, quibus te superat nescientem. Non enim fallit nos, aut adulatione potius vti Apostolus iubet, cùm dicit, Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate mentis, alter alterum existimantes superiorem sibi. Istæ cogitationes deprimentes superbiam, & acuentes charitatem, faciunt onera fraterna inuicem, nō solum æquo animo, sed etiam libentissimè sustineri.

Philip. 2.

Capvt XLIII.

Quomodo sit intelligendum, quod vnusquisque onus suum portabit, cùm dicat etiam Apostolus, Alter alterius onera portate.

1 Ibidem inf.

IPsa est ergo lex Christi, vt inuicem onera portemus. Christum autem diligendo, facilè sustinemus infirmitatem alterius; etiam quem nondum propter bona sua diligimus. Cogitamus enim quia ille, quem diligimus, Dominus, propter eum mortuus sit. Quam charitatē Apostolus Paulus nobis ingessit, cùm diceret, Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est; vt si illum infirmum propter vitium, quo infirmus est, minus diligimus; in eo Christum consideremus, qui mortuus est propter illum. Christum autem non diligere, non infirmitas, sed mors est. Quapropter ingenti cura, & implorata Dei misericordia cogitandum est, ne Christum negligamus, propter infirmū; cùm infirmum debeamus diligere propter Christum. [2] Omnes enim nos per Apostolum admonuit veritas, vt inuicem onera nostra portemus; & in eo ipso quo nos admonet vt inuicem onera nostra portemus, quo fructu id faciamus, ostendit: adiungens enim dicit, Et sic adimplebitis legem Christi. Quæ non implebitur, nisi inuicem onera nostra portemus. Quæ autem sint onera ista, & quemadmodum portanda sint, quoniam quidem omnes pro nostris viribus conari debemus implere legem Christi, adiuuante Domino, conabor ostendere. [3] Est illic quęstio, quæ nos cogit onera distinguere; & in ipso quippe capitulo lectionis habemus ibi positum, Vnusquisque autē proprium onus portabit. Iam ergo occurrit sensibus nostris, Si vnusquisque proprium onus portabit; quomodo dicit, Inuicem onera vestra portate, nisi quia onera distinguenda sunt, ne sibi contraria loqui putetur Apostolus? Non enim longè, non enim in alia epi-

1 Cor. 8.

2 To. 10. Ser. 22 de ver. Apost.

3 Ibidem inf.

Galat. 6.

epistola, non enim in hac ipsa longè superius aut inferius: sed in eo ipso loco, ita vt sibi sint eadem verba contigua, vtrumque posuit; & quia vnusquisque proprium onus portabit, & quod admonuit & hortatus est, vt inuicem onera nostra portemus. Alia ergo sunt onera, in quibus vnusquisque proprium portat, nec portat cum alio alter, nec proiicit in alterum: & alia sunt onera, in quibus rectè dicis fratri, Porto tecum, aut, Porto pro te. Contra eos ergo qui putabant posse hominem contaminari peccatis alienis, respondit Apostolus, Vnusquisque onus proprium portabit. Ita contra eos, quibus per hoc possit negligentia subintrare, vt quasi securi facti, quod non contaminarentur peccatis alienis, neminem curarent corrigere; inuicem onera nostra portare breuiter dictum, breuiterque distinctum est. Nam 4 nisi oneris nomen *hoc modo* sub diuersis significationibus acceperis; proculdubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium, & hoc in vna sententia tam vicinè positis verbis. Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis: alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris. Illa cum fratribus sustinenda communicantur; hæc propriis ab vnoquoque portantur. Proinde 5 qui portant inuicem onera sua, nisi qui habent charitatem? Qui non habent charitatem, graues sunt sibi: qui autem habent charitatem, portant se. Læsit te aliquis, petit veniam. Si non dimittis, non portas onus fratris tui: si dimittis, portas infirmum. Et tu si fortè in aliquam infirmitatem incideris, quasi homo; oportet vt sic te portet & ille, quemadmodum & tu. Audi quid ibi præcesserit. Fratres, inquit, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis. Et ne fortè, quia spiritales monuerat, velut securi sibi viderentur: continuò subiecit, Intendens teipsum, ne & tu tenteris. Deinde quod commemoraui, subiunxit, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. 6 Lex ergo Christi, charitas est; nec charitas impletur, nisi inuicem onera nostra portemus. Sufferentes, inquit, inuicem in dilectione: studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Cùm esses languidus; portabat te proximus tuus: sanus factus es, porta tu proximum tuum. *Quomodo portabo? Si charitate flagraueris.* 7 Itaque charitas portat onera; sed non timeat, ne prematur talibus oneribus: ne peccatis suis vnusquisque prematur, attendat. Nam quando portas infirmitatem fratris tui, non te onerant peccata ipsius. Planè si consentias, iam

4 To. 4. lib. 2. de Consensu Euang. ca. 30.

5 In Psal. 129. ante medium

Galat. 6.

6 To. 9. Tract. 17 in Ioan.

Ephes. 4.

Coloss. 3.

7 In Psal. 129. vt supra.

iam tua te premunt, non alterius; tuum fit peccatum; & non est quare queraris, quòd peccata aliena te premant. Dicitur
Psal. 49. enim tibi, Premunt te, sed tua. Vidisti furem, cucurristi cũ eo. Quid est hoc? Pedibus ambulasti ad furtum, imò mente coniunxisti te furto. Quod ipsius solùm erat, factum est & tuum; quia placuit tibi. Si autem displicuerit tibi, & oraueris pro eo, & deprecatus, *si te offendit*, veniam dederis, vt possis libera fronte dicere in precibus tuis, quas tibi iurisperitus cælestis
Matth. 6. dictauit, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: didicisti portare onera fratris tui, vt & alius portet, si qua sunt tua; & fiat in vobis quod ait Apo-
Galat. 6. stolus, Inuicem onera vestra portate: & sic adimplebitis legem Christi.

CAP. XLIIII.

Lex Christi de dilectione, etiam se extendit ad inimicos, quos vult vt nos portemus, qui membra Corporis eius sumus.

Sed nunquid ita lex Christi se solùm extendit ad eos qui vel fidei, vel familiæ, vel sanguinis, vel societatis humanæ, certa nobis ratione coniuncti sunt? Nonne & hæreticos & infideles Iudæos & Barbaros, & ipsos adeò inimicos nostros, si quos habemus,
Aug. in initio 2. enarrat. in Psal. 25. *complectitur? Quis enim noster est proximus, quem iubemur sicut nosipsos diligere; nisi omnis homo, qui nobiscum ex Adam & Eua natus est? Ergo indifferenter illa lex Christi extendit se ad quoscunque; non solùm ad amicos, verumetiam ad inimicos. Quod si quis secus vellet sentire, erraret grauiter, & suo errore,*
Matth. 5. *quantum in se esset, infringeret præceptum Domini, dicentis, Diligite inimicos vestros: & doctrinam Apostoli repudiaret, quam*
Rom. 12. *Romanis tradidit, ita scribens: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis con-*
Iacobi 2. *geres super caput eius. Nequaquam igitur regalem hanc legem quis adimpleuisse se credat, nisi dilexerit & inimicos: & quidem sic eos dilexerit, vt potius grauissima quæque, vel ab eis, vel propter eos pati paratus sit, quàm aliquid committere, quo obstante, hoc præceptum Domini perficere non possit. Charitas enim non assueuit attendere, à quo quid ferendum sit: sed qua intentione, & quo fructu; & propter quem quid sit ferendum, matura deliberatione examinat. Sicut ergo in superioribus latius quidem, sed tamen particulatim docuimus, ad virum spiritalem propriè & maximè pertinere, infirmorum fratrum peccata leniter tractare & curare*

curare (quod Apostolus dicit, Onera portare.) ita deinceps generaliter & breuiter declarabimus, quomodo spectet ad vniuersum Christi Corpus, etiam quorumlibet malorum & inimicorum suorum perferre onera; hoc est, illos ipsos, quos iubetur diligere. Proinde quod in Psalmo quasi per quandam querelam dictum est, Quousque irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos? potest huc imprimis applicari. Nam in alia translatione versus istius, quæ sic legitur, Quousque apponitis super hominem? interficite omnes: euidenter significantur quorundam onera malorum; insultantium scilicet, opprobria iactantium, insidiantium, persequentium, ac demum occidentium: quæ onera quasi cateruatim proyci videntur hinc inde in istum hominem, vsque ad extremum ab ipso portanda. Cæterum [a] quod tantum spatium corporis in vno homine, vt possit interfici ab omnibus? Sed debemus hic intelligere personam nostram, personam Ecclesiæ nostræ, personam corporis Christi. Vnus enim homo est cum Capite & Corpore suo Iesus Christus, saluator Corporis, & membrorum Corporis: duo in carne vna, & in voce vna, & in passione vna; &, cum transierit iniquitas, in requie vna. Passiones itaque Christi, non in solo Christo: imò passiones Christi non nisi in Christo. Si enim Christum intelligas Caput & Corpus; passiones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Christi in solo Christo; imò in solo Capite: vnde dicit quoddam membrum eius Paulus Apostolus, Vt suppleam, quæ desunt pressurarum Christi in carne mea? Si ergo in membris Christi es, quicunque homo, quisquis hæc audis, quisquis hæc non audis: (sed tamen audis, si in membris Christi es:) quicquid *portas &* pateris *ab inimicis, &* ab iis, qui non sunt in membris Christi; deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat; mensuram implens, non superfundens. Tantum ergo pateris, *& tantum portas*, quantum ex passionibus tuis inferendum erat vniuersæ passioni Christi, qui passus est in Capite nostro, & patitur in membris suis, id est, in nobisipsis ad communem hanc quasi rempublicam. Nam quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus: & pro posse viriũ nostrarũm, quasi canonem passionum inferimus, paratoria plenaria: passionum omnium non erit finis, nisi cùm sæculum finitum fuerit. Quousque *ergo, ô homines, onera vestra* apponitis super hominem? *quousque interficitis? & à quo tempore interficere cœpistis? Nónne ab initio sæculi? Proinde* quicquid passi sunt Prophetæ à

sanguine

Margin notes: Galat. 6. — Psalm. 61. — [a] In Psal. 61. à princip. — Coloss. 1.

sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, appositum est super *hunc* hominem: quia præcesserunt aduentum incarnationis Christi, quædam membra Christi: sicut in nascente quodam, nondum quidem procedente capite, præcessit manus; sed tamen capiti connectebatur & manus. Noli ergo putare, omnes iustos qui passi sunt persecutionem impiorum; etiam illos qui venerunt missi ante Domini aduentum, prænũciate Domini aduentum; non pertinuisse ad membra Christi. Absit *enim* vt non pertineat ad membra Christi, qui pertinet ad ciuitatem, quæ regem habet Christum. [2] Ipse *rex* ergo ante aduentum incarnationis suæ præmisit quædam membra sua, post quæ prænunciantia se venturũ, venit & ipse: & connexus eis, refert similitudinem nascẽtis illius: quia manus ante caput procedens, & cum capite est, & sub capite. *Quare & prædicta verba*, [3] tota illa ciuitas loquitur, *quæ Christum regem habet*, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ. Inde & deinceps à sanguine Ioannis, per sanguinem Apostolorum, per sanguinem martyrum, per sanguinem fidelium Christi; vna ciuitas loquitur, *vnum corpus clamat*, vnus homo dicit, Quousque apponitis super hominem? *quamdiu portabo vos?*

[2] Ibidẽ infra.

[3] Ibidem inf.

CAP. XLV.

Ecclesia in dorso suo quomodo portet malos: & quàm longè hi separati sint à bonis.

HVc *pertinere videtur & illud, quod in alio Psalmo dicitur, Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea. Nunquid ergo modò solùm ex quo enumerat, ex quo commemorat? Sæpe, inquit; & quidem à iuuentute mea, expugnauerũt me.* [1] Ideo ne modò quisquam miretur in Ecclesia, volens esse membrum bonum Ecclesiæ, *quod malos, quos non generat, Ecclesia portat*: audiat & ipsam Ecclesiam, matrem suam, dicentem sibi, Noli mirari ad ista, fili: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Videtur enim respondisse. Quibus? Cogitantibus & dicentibus, Quanta mala perferimus, quanta scandala crebrescunt quotidie, quando iniqui intrant in Ecclesiam; & portamus eos? Respondeat autem Ecclesia de quibusdam; id est, de fortiorum voce respondeat querelis infirmorum; & confirment firmi infirmos, & grandes paruulos: & dicat Ecclesia, Sępe expugnauerunt me à iuuentute mea. Dicat illud, non timeat. Quò enim

[1] In Psal. 128, in initio.

enim valet, quod, cùm dixiſſet, Sæpe expugnauerunt me, addidit, à iuuentute mea? *Quia* iam modò Eccleſiæ ſenectus expugnatur. Sed non timeat. Nunquid enim ideo non peruenit ad ſenectutem, quia non ceſſauerunt illi *iniqui* expugnãdo? nunquid eam, *quam portando grauarunt*, delere potuerunt? Etenim, *inquit*, non potuerunt mihi. Quid eſt, Non potuerunt mihi? Non illis conſenſi ad malum. Omnis enim malus ideo perſequitur bonum, quia non illi conſentit bonus ad malum. Faciat aliquid mali: nõ obiurget Epiſcopus, bonus eſt Epiſcopus: obiurget Epiſcopus, malus eſt Epiſcopus. Rapiat aliquid: taceat cui rapuit; bonus eſt. Saltem loquatur & reprehendat, etſi non repetat; malus eſt. Malus eſt qui reprehendit raptorem: & bonus eſt, qui rapit? 2 Sed cùm clamaueris hoc, & dixeris *malis*; illi reſpondent: Si ſic, non huc accedimus: ſi ſic, non intramus in ipſam Eccleſiam. Veniant, intrent, audiant, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, hoc eſt, non potuerunt agere, vt *in peccatis eorum* conſentirem: fecerunt quod portem. Ergo, *inique*, quia non potuiſti mihi; aſcende in dorſum meum. Portare te habeo, quouſque veniat finis. Sic enim mihi præceptum eſt, vt fructum afferam cum tolerantia; *& ſupportem te in charitate*. Non te corrigo; tolero te: aut fortè cùm tolero te, corrigis te. Si non te corrigis vſque in finem, tolero te vſque in finem: & vſque in finem ſuper dorſum meum eris, vſque ad tempus. Nunquid ſemper ſuper dorſum meum eris? Veniet enim qui inde te excutiat. Veniet tempus meſſis; veniet finis ſæculi; immittet Deus meſſores: meſſores autem angeli ſunt. Separabunt malos de medio iuſtorum, ſicut zizania à tritico: frumentum recondent in horreo, paleas autem comburent igni inextinguibili. Portaui, quouſque potuit iam gaudẽs tranſeo in horreum Dei, & canto, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute. Quid enim mihi *iniqui* facere potuerunt, quia expugnauerunt me à iuuentute mea? Exercuerunt me, non oppreſſerunt. Valuerunt mihi ſicut ignis ad aurum: non ſicut ignis ad fœnum. Ignis enim accedens ad aurum, ſordem tollit: accedens ad fœnum, in cinerem vertit. Etenim non potuerunt mihi, quia non conſenſi; quia non me fecerunt quales ſunt ipſi: longe fecerunt *à me* iniuſtitiã ſuam. Fecerunt quod tolerem; & non fecerunt cui conſentirem. Iam ergo iniuſtitia eorum longè eſt à me. *Sic Eccleſia. Et verum eſſe*

2 Ibidem inf.

Matth. 13.

h quod

quod dixit, scimus. Etenim mali mixti sunt bonis, non solùm in sæculo: sed & in ipsa intus Ecclesia mali mixti sunt bonis. Nosti & probasti, & magis probabis, si bonus fueris. Cùm enim
Matth. 13. creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. Nulli apparent mali in Ecclesia, nisi ei qui fuerit bonus. Nosti ergo quia mixti sunt: & semper & vbique dicit Scriptura, quia non separabuntur nisi in fine. *Sed* quomodo mixi sunt; *sic à se inuicem* longè sunt. Ne quis ergo ex eo, quod *in Ecclesia mali* mixti sunt inter bonos, putaret iniquitatem esse iuxta iustitiam, Non potuerunt, inquit, mihi. Id est, Fecerunt mihi peccatores, quod portarem; non cui commiscerer: & facta est iniquitas eorum longè à me. Quid enim tam prope, quàm duo homines in vna Ecclesia? Quid tam longè, quàm iniquitas à
Vide in Psal. 51. à princip. iustitia? Vbi est enim consensio, ibi propinquitas. Ligantur duo, & mittuntur ad iudicem, latro & colligatus: ille sceleratus, ille innocens: vna catena ligantur, & longè sunt à se. Quantum longè sunt à se? Quantum longè est scelus ab innocentia. Ecce isti longè sunt ab inuicem. Alius latro in Hispania facit scelera; proximus est ei qui facit in Aphrica, *vel in Brabātia*. Quantum proximus? Quātum sibi iungūtur scelus & scelus; quantū sibi iunguntur latrocinium & latrocinium. Nemo ergo timeat mixtos sibi corpore malos. Longè ab illis sit corde; & securus portat, quod non timet.

CAP. XLVI.

Mali, quos portat Ecclesia, pertinent ad Antichristum: & quomodo contra hos sit orandum; & quomodo cauendi & corrigendi sint, ostenditur.

1 Ibidem inf. 1 ERgo omnes istos malos, quos portat Ecclesia, tu qui legis in Scripturis, inuenies maledictos, designatos ad Antichristum pertinere, ad diabolum pertinere, ad paleam pertinere, ad zizaniam pertinere. Et multa innumerabilia per
Matth. 7. similitudinem dicuntur de illis. Quia non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, *ait Dominus*, intrabit in regnum cælorum. Nullam inuenis scripturam, quæ de illis bene loquatur: *sed inuenis scripturas multas, quæ docent quomodo contra illos bene oretur, vt, qui bonus est, ab eis liberetur. Talis est & Psalmus centesimus tricesimus nonus, in quo certissimè Christi*
2 In Psal. 139. in initio. *Corpus loquitur, & orat.* [2] Corporis eius vocem audi, & esto in

in Corpore eius, vt vox *eius* tua fiat; & ora, & dic: Exime me Domine ab homine maligno. Non *autem, qui sic precatur*, ab vno *se eximi vult*, sed ab *omni malorum* genere: nec à vasis tantum, sed ab ipso principe, id est ab ipso diabolo. Quare enim ab homine, si à diabolo? Quia & ipse in figura homo dictus est. Venit inimicus homo, & superseminauit zizania. Ab isto Matth. 13. ergo homine maligno, ora quantum potes, vt libereris. Quia non est tibi colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed ad- Ephes. 6. uersus principes & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum, id est, rectores peccatorum. Quod quidem & nos fuimus. Nam audiuimus vocem Apostoli: Fuistis aliquando te- Ephes. 5. nebræ; nunc autem lux in Domino. Iam ergo lux facti, non in nobis, sed in Domino; oremus non tantùm cõtra tenebras, id est, contra peccatores, quos adhuc diabolus possidet: sed etiam contra ipsum principem eorum, diabolum; qui operatur in filiis diffidentiæ. *Sed quid orabimus contra peccatores? Attende Christi membrum, quid eius oret Corpus. Quid dicit?* Exime me Domine, *inquit*, ab homine maligno: à viro iniusto erue me. Hoc est *autem* ab homine maligno, quod est à viro iniusto. Malignum enim ideo dixit, quia iniustum: ne fortè aliquem iniustum bonum esse putes. Sunt enim multi iniusti quasi non nocentes; non sunt sæui, non sunt asperi, non sunt persequentes, & pressuras hominibus facientes: & sunt *tamen iniusti*. *Sed* vnde iniusti? Quia alio quodam modo: luxuriosi, ebriosi, voluptatibus dediti. Quomodo nulli nocet, qui sibi non parcit? Innocens enim ille est, qui non nocet: non autem qui sibi nocet. Tibi autem quomodo potest non nocere, qui sibi nocet? Sed respondes, In quo mihi nocet? Non enim inuasit rem meam; aut appetiuit salutem meam: luxuria sua pascitur, suis voluptatibus delectatur. Sed si iniquitas habet voluptates, ipse inquinatur: mihi quid pertinet, cui molestus non est? Nocet tibi saltem vel exemplo, quia viuit tecum, & ad id quod agit, inuitat. Nónne cùm eum vides fortè in illis sordibus prosperari, duceris talium delectatione factorum? Et si non consentis, saltem inuenisti quod expugnes. Quomodo ergo tibi non nocebat, qui laboras vincere quod fecit in corde tuo? Malignus est ergo omnis iniustus, & necesse est noxius sit; siue sit blandus, siue sit ferox. Quisquis in illum incurrerit, quisquis laqueis eius fuerit captus, inueniet quàm sit noxium, quod putabat lene. Etenim & spinæ non pungunt

in radicibus. Erue ſpinas de terra: contrecta radices ipſarum; & vide ſi ſentis dolorem. Tamen illud vnde dolorem ſentis in ſuperficie, de illa radice proceſſit. Itaque non tibi placeant homines quaſi lenes & blandi, amatores tamen carnalium voluptatum, & inquinatarum cupiditarum ſectatores non tibi placeant. Etſi adhuc videntur lenes, radices ſpinarum ſunt. Nam talibus factis per luxuriam plerumque effundunt quod habebant. Et quomodo quærunt implere, quod effuderunt? Nunquid iam parcũt rapinis & cogitationibus fraudium omni genere malignitatis exquirendę? Iam vides malum hominem, quem antea putabas lenem. Quando illum videbas inebriari; bonus erat. Modò iam furem vides; latronem times. Proceſſerunt ſpinæ de illis radicibus. Quando ſentiebas lenes radices ſpinarum; tunc ſi poſſes, incenderes: & non eſſet vnde prodiret, quod te modò pungeret. Proinde, ô membrum Chriſti, gemens inter tales malos quos portas; *quando* quoſcumque vides procliues ferri in malas libidines, & in pernicioſas voluptates; tunc reprehende, & tunc caſtiga, tunc vre, ſi potes. Incendatur radix, & non erit vnde ſpina procedat. Si autem non potueris; certus eſto, quòd eos habebis inimicos. Tacere poſſunt, occultare inimicitias ſuas poſſunt: amare te non poſſunt. Sed quoniam amare te non poſſunt, & neceſſe eſt vt qui te oderunt, mala tibi *facere* quærant: non vacet lingua tua, & cor tuum dicere Deo; Exime me, Domine, ab homine maligno: à viro iniuſto erue me; *& quæ ibidem ſequuntur in eodem Pſalmo.*

Pſalm. 139.

3 Quoniam *hoc modo* conqueritur & gemit *ibi*, & Deo precem fundit inter malos conſtitutum *vniuerſum* Corpus Chriſti.

3 Ibidem in præfat.

Cap. XLVII.

Non mali, ſed boni qui gemunt inter malos, ad Chriſti Corpus pertinent: in quibus malis odio habenda eſt malitia, diligenda natura.

1 Ibidem immediatè in præfat.

1 Eius enim vox eſt in omni tali prophetia, tanquam illius inopis, id eſt, egentis, nondum ſatiati (*cuius ſuprà meminimus*) eſurientis & ſitientis iuſtitiam, cui quædam ſatuitas pro... iſſa, in fine ſeruatur. Interim hîc nũc ſitiat & eſuriat, gemat, & pulſet, & quærat. Peregrinationis illecebris non delectetur; non putet patriam ſæculum, vnde vt liberaretur, Chriſtus aduenit. Quia Chriſtus Caput noſtrum eſſe voluit; Caput

ſcilicet cuiuſdam Corporis. Non enim poteſt dici caput, vbi corpus nullum eſt, cui ſit caput. Proinde ſi Caput Chriſtus; & alicuius Corporis Caput eſt Chriſtus. Corpus illius Capitis ſancta Eccleſia eſt, in cuius nos membris ſumus, ſi Caput noſtrum diligimus. Quia quiſquis ibi non fuerit, in eis erit, inter quos illud corpus gemit. Proinde, aut in illo Corpore eris, vt gemas inter malos: aut non eris in illo Corpore, & in eis eris, inter quos malos gemit Corpus, quod gemit inter malos. *Ergo eris* aut membrum Chriſti: aut hoſtis Corporis Chriſti. Nec iſti inimici & aduerſarij Corporis Chriſti vno modo intelliguntur aut vno modo agunt. Verſipellis eſt enim qui in eis regnat, & qui eis vtitur tanquã vaſis ſuis. Cæterũ multi ab illo liberantur, *& ab Eccleſia manducantur*, & in Corpus Chriſti tranſeunt. Sed qui ſint, & quid futuri ſint, nouit ille, qui illos redemit ſanguine ſuo, neſcientes. Sunt autem quidam perſeuerantes in malitia ſua, ad Chriſti Corpus non pertinentes: & ipſi noti ei vtique, cui nihil ignotum eſt. Interim illi, qui iam compaginati ſunt cum membris eius, nondum habẽtes reſurrectionem futuram, in qua peribit omnis gemitus, & laus ſuccedet; in qua omnis tribulatio morietur, & erit ſine fine exultatio: nondum ergo habentes hoc in re, ſed tamen tenentes in ſpe, gemunt ex deſiderio quodam, & orant, *& optant* ſe liberari ab hominibus malis, inter quos neceſſe eſt viuere & bonis. Non enim ſeparatio iam cuique tuta eſt. Illius enim erit ſeparatio, qui non nouit errare. Quid eſt, qui non nouit errare? Vt nec malum traiiciat ad dexteram, nec bonum ad ſiniſtram. Nos autẽ in hac vita difficile eſt vt noſipſos nouerimus: quanto minus debemus de quoquam præproperam ferre ſententiam? Quia ſi hodie malum nouimus, cras qualis futurus ſit, ignoramus. Et fortè quem vehementer odimus, frater noſter eſt; & neſcimus. Securi ergo odimus in malis malitiam: & diligimus naturã & creaturam: vt quod ibi fecit Deus, amemus; quod ibi fecit ipſe homo, oderimus. Fecit enim Deus ipſum hominem: fecit autem homo peccatum. Dilige quod fecit Deus: odi, quod fecit homo. Sic enim perſequeris, quod fecit homo, vt liberetur quod fecit Deus: *& eris verum & viuum membrum illius Corporis, cuius Caput amamus, à quo ſanctè præceptum nobis eſt, vt & inimicos diligamus.*

CAP. XLVIII.

Ioannes Apostolus, etsi fraternam dilectionem in epistola sua quasi solam commendet, non tamen tacuit de dilectione inimici.

a To. 9. Tract. 8 in epist. Ioan. post initium. 1 FOrtassis autem mouerit aliquem, quare beatus Ioannes in epistola sua non commendauerit maximè, nisi fraternam charitatem. Qui diligit fratrem, dicit: &, Præceptum nobis est datum, vt diligamus inuicem. Assiduè nominauit charitatem fraternam: Dei autem charitatem, id est, qua debemus diligere Deum, non tam assiduè nominauit: sed tamen non omnino tacuit. De inimici verò dilectione, prorsus tacuit prope per totam ipsam epistolam. Cùm vehementer prædicet & commendet charitatem, non nobis dicit, vt diligamus inimicos: sed dicit nobis, vt fratres diligamus. Cùm verò Euange-

Matth. 5. lium legitur, audimus; Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nónne & publicani hoc faciunt? Quid est igitur quod pro magno nobis ad perfectionem quandam fraternam dilectionem commendat Ioannes Apostolus? Dominus autem dicit nō nobis sufficere vt fratres diligamus; sed debere nos extendere ipsam dilectionem, vt perueniamus ad inimicos? Qui vsque ad inimicos peruenit, non transilit fratres. Necesse est, sicut ignis, prius occupet proxima: & sic se in longinquiora distendat. Propinquior est tibi frater, quàm nescio quis *alius* homo. Rursus tibi magis adhæret ille quem non noueras; qui tibi tamen non aduersatur: quàm inimicus, qui aduersatur. Extende dilectionem in proximos: nec voces illam extensionem. Prope enim te diligis, qui eos diligis qui tibi adhærent. Extende ad incognitos, qui tibi nihil mali fecerunt. Transcende & ipsos: perueni *eò*, vt diligas *&* inimicos. Hoc certè Dominus iubet. Quare *verò* Ioannes tacuit de di-

b Ibid. infra. lectione inimici? Dico quod non tacuit: b quia in eo etiam quod diligis fratres, diligis inimicos. Ne ergo putes illū nihil de dilectione inimici præcepisse, qui de fraterna charitate non tacuit. Fratres diligis. Quomodo, inquis, fratres diligo? Quæro quomodo diligas inimicum. Quare illum diligis? Vt sanus sit in hac vita. Quid si non illi expedit? Vt diues sit. Quid si ipsis diuitiis excæcabitur? Vt vxorem ducat. Quid si amaram vitam inde patietur? Vt filios habeat. Quid si mali erunt? Incerta sunt ergo ista, quæ videris optare inimico tuo; quia diligis

eum:

eum: incerta sunt. Opta illi, vt habeat tecum vitam æternam: opta illi, vt sit frater tuus. Si ergo hoc optas, diligendo inimicũ, vt sit frater tuus; & cũ diligis, fratrẽ diligis. Non enim amas in illo, quod est; sed quod vis, vt sit. *Verbigratia*: Faber optimus vidit lignum non dolatum, de sylua præcisum: adamauit; nescio quid inde vult facere. Non enim ad hoc amauit, vt semper sic maneat. In arte vidit, quod futurum est, non in nemore quod est: & amauit quod inde facturus est, non illud quod est. Sic & nos Deus amauit peccatores. (nam *liberè* dicimus, quia Deus amauit peccatores. Ait enim, Nõ est opus sanis medicus, sed malè habentibus.) Nunquid ad hoc amauit peccatores, vt peccatores remaneamus? Quasi lignũ de silua vidit nos faber; & cogitauit ædificium quoddam, quod inde facturus est; non siluam quod erat. Sic & tu respicis inimicum tuum aduersantem, sæuientem, mordentem verbis, exasperantem contumeliis, insectantem odiis: attendis ibi, quia homo est. Vides ista omnia, que aduersa sunt ab homine facta: & vides, in illo, quod à Deo factus est. Quod autẽ homo factus est, à Deo factus est. Quod autem te odit, ipse fecit: quod inuidet, ipse fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine, propitius illi esto; dimitte illi peccata: incute illi timorem; muta illum. Non *itaque* amas in illo, quod est: sed quod vis, vt sit.

CAP. XLIX.

Ad quid diligendi sint inimici, medicorum exemplo ostenditur.

1 QVapropter perfecta dilectio est in dilectione inimici: qnæ perfecta dilectio est, & in dilectione fraterna. Et nemo dicat, quia aliquid minus nos monuit Ioannes Apostolus: & plus nos monuit Dominus Christus. Ioannes nos monuit, vt fratres diligamus: Christus nos admonuit, vt etiam inimicos diligamus. Attende quare te monuit Christus, vt diligas inimicos. Nunquid vt semper remaneant inimici? Si ad hoc te monuit, vt inimici remaneant; odisti, non diligis. Attende quomodo ipse dilexit: id est, quia nolebat, vt sic remanerent sui persecutores. Ait; Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quibus voluit ignosci; *vtique* mutari illos voluit: quos voluit mutari, ex inimicis fratres facere dignatus est; & verè sic fecit. Occisus est, sepultus est, resurrexit, in cælum ascendit, spiritum sanctum misit discipulis: cœperunt in fiducia prædicare nomen ipsius: miracula faciebant in nomine

1 Ibidẽ immediatè. Luc. 23.

Crucifixi & occisi. Viderunt *hoc* illi interfectores Domini: & qui sanguinem eius sæuiendo fuderant, credendo biberunt. Hæc dixi longiusculè; quia vehementiùs commendanda fuit charitati tuæ ipsa charitas. Si enim charitas nulla est in te; nihil diximus. Si autem est in te; tanquam oleum flammæ adiecimus. Ad hoc ergo ista diximus, ne piger sis diligere inimicos. Sæuit in te homo: ille sæuit; tu deprecare: ille odit; tu miserere. Febris animæ ipsius te odit: sanus erit, & gratias tibi aget. Quomodo medici diligunt ægrotos? nunquid ægrotos diligunt? Si ægrotos diligunt; volunt vt semper ægrotent. Ad hoc diligunt ægrotos, ne ægroti permaneant: sed vt ex ægrotis sani fiant. Et quanta plerumque patiuntur à phreneticis? Quales contumelias verborum? Plerumque & percutiuntur. Persequitur ille febrem; ignoscit homini. Et quid dicam? amat inimicum suum? Imo odit inimicũ suum. Morbum enim ipsius odit; & amat hominem, à quo percutitur. Odit febrem. A quo enim percutitur? A morbo, ab ægrotatione, à febre. Illud tollit, quod illi aduersatur; vt remaneat illud, vnde gratuletur. Sic & tu. Si odit te inimicus tuus, & iniustè te odit: noueris quia
Rom. 12. cupiditas sæculi in illo regnat; propterea te odit. Si odisti illum & tu: contra reddis malum pro malo. Quid facis reddere malum pro malo? Vnum ægrotum flebam, qui te oderat: iam duos plango, si & tu odisti. Sed persequitur rem tuam: tollit tibi, nescio quæ, quæ habes in terra. Ideo illum odisti, quia angustias tibi facit in terra? Noli pati angustias; migra in cælum: sursum cor ibi habebis, vbi latitudo est, vt nullas angustias patiaris in spe vitæ æternæ. Attende quæ tibi tollit: nec ipsa tibi tolleret, nisi ille permitteret, qui flagellat omnem fi-
Hebr. 12. lium quem recipit. Quodammodo ferramentum Dei est, quo saneris, ipse inimicus tuus. Si nouit Deus vtile tibi esse vt exspoliet te; permittit illum: si nouit tibi vtile esse vt vapules; permittit ille vt cædaris. De illo te curat: opta vt ille sanetur.

Cap. L.

Christi membrum, si apertum inimicum patiatur, non illum odisse debet; sed se conuertere ad orationem, ne amittat dilectionem, qua occultus vincitur inimicus.

ein Psal. 54. ante mediuũ Itaque [e] cùm aliquid tale patitur Christianus, *quia Christi membrum est*; non debet facilè veluti odio ire in eum à quo patitur; & velle ventũ vincere: sed conuertere se ad orationem,

ne amittat dilectionem. Neque enim timēdum est, ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? Multa mala dicturus, opprobria iaculaturus, in conuitiis sæuiturus. Sed quid tibi? Gaudete, inquit, & exultate; quoniam merces vestra magna est in cælis. Ille in terra geminat conuitia; tu in cælo lucra. Sed sæuiat amplius; possit & aliquid amplius. Quid te securius, cui dictum est, Nolite timere eos qui corpus occidūt: animam autem non possunt occidere? Quid est ergo timendum, quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te dilectio, qua diligis inimicum. Etenim inimicus ille homo, caro & sanguis, quod videt in te, appetit. Alius autem inimicus occultus, rector harum tenebrarum, quas tu pateris in carne & sanguine; alterum occultum tuum petit: thesauros tuos interiores deprędari & vastare molitur. Duos ergo inimicos constitue tibi ante oculos: vnum apertum, & alterum occultum. Apertum, hominem: occultum, diabolum. Homo ille hoc est, quod tu secundum naturam humanam: secundū fidem autem & dilectionem, nōdum quod tu; sed poterit esse quod tu. Cùm ergo sint duo; vnum vide, alterum intellige: vnum dilige, alterum caue. Namque & inimicus ille, quem vides, hoc in te vult humiliare, vnde vincitur. Verbi gratia: Si diuitiis tuis vincitur, pauperem te vult facere: si honore tuo vincitur; humilem te vult facere: si viribus tuis vincitur; debilem te vult facere. Ea ergo attendit in te vel deiicere vel auferre, quibus vincitur: & ille occultus inimicus illud quoq; tibi vult tollere, vnde vincitur. Homo enim hominem vincis humana felicitate: diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi, & detruncare, aut auertere felicitatem, qua vincitur: sic & diabolus hominem vult vincere auferendo, vnde vincitur. Sed cura in corde seruare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæuiat homo quantum potest, auferat quicquid potest: si diligitur apertè sæuiens, victus est occultè sæuiens.

Matth. 5.

Matth. 10.

Vide in Psal. 55. post princ.

CAP. LI.

Ecclesiæ inimici non sunt soli homines, sed & spiritus, mundi rectores tenebrarum harum.

1 NVnquid igitur solos homines habet inimicos Ecclesia? Quid est homo carni & sanguini deditus, nisi caro & sanguis? Sed ait Apostolus: Non est nobis colluctatio aduersus

1 In Psal. 117. in medio.

Ephes. 6.

carnem & sanguinem; sed aduersus principes & rectores mundi tenebrarum harum, id est, rectores iniquorum, mundum istum diligentium: & propterea tenebrarum, quia & nos fuimus aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. *Addit Apostolus*, Aduersus spiritalia nequitiæ, in cælestibus, id est, diabolum & angelos eius: quem diabolū alio loco dicit principem potestatis aëris huius.[2] Et contra hos habemus inimicitias perpetuas. Denique quaslibet habeas inimicitias aduersus hominem, cogitas finire: & siue illius satisfactione, si ille te læsit; siue tua, si tu læsisti; siue vtriusque, si vos inuicem læsistis; laboras satisfacere & concordare. Cùm diabolo autem & angelis eius, nulla concordia est: ipsi nobis inuident regna cælorum. Mitescere omnino ergo nos nō possunt.[3] Semper nos volunt possidere, semper tales facere, quales possent secum trahere. Est enim insita maleuolentia quædam & pernicies nocendi istis malis spiritibus: gaudent de malo hominum; & de fallacia nostra, si nos fefellerint, pascuntur. Et quid quærunt? Non quibus in æternum dominentur, sed cum quibus in æternum damnentur: quomodo solet maleuolus latro nominare innocentem. Nunquid si fuerit viuus incensus, minus ardet, si duo ardeant? minus moritur, si duo moriantur? Pœna illi non minuitur, sed maleuolentia pascitur. Mecum, *inquit*, moriatur, non se minus moriturum dicens; sed solatium habet malum alterius. Talis est diabolus: seducere vult illos, qui cum illo puniantur. Et quia non potest fallere iudicem Deum: non enim nominat apud illum innocentem; vera crimina volens habere, quæ obiiciat, peccata persuadet. *Et ob id*[4] non cessat insurgere super nos quotidie, & illudere velle infirmitati, & fragilitati nostræ; *suis nos* deceptionibus, suggestionibus, tentationibus, & quibuscūque laqueis irretire, cùm in terra adhuc viuimus. *Denique*[5] omnibus *agit* modis, & instat, quemadmodum deiiciat, aut promissione lucri, aut terrore damni; vel promissione vitæ, vel terrore mortis; aut alicuius potentis inimicitiis: aut alicuius potentis amicitiis.

Ephes. 5.
Ephes. 2.
2 In Psal. 76. ante medium
3 In Psal. 56. in medio.
Vide in Psal. 58 cōc. 2. & in Psal. 143.
4 In Psal. 58. in initio 2. partis.
5 In Psal. 62. prope finem.

CAPVT LII.

Qua ratione securi esse possimus contra diabolum, qui dicitur leo & draco.

Ergo[1] habemus perpetuos inimicos, diabolum & angelos eius: sed non timeamus. Sic sunt diabolus & angeli eius, quasi milui. Sub illius gallinæ, *cuius suprà meminimus*, alis sumus

1 Ibidē immediatè.
Matth. 23.

ſumus, & non nos poterunt contingere. Gallina enim, quæ nos protegit, fortis eſt. Infirma eſt propter nos; ſed fortis eſt in ſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ipſa ſapientia Dei, *de qua dicitur*; [2] Inter ſcapulas ſuas obumbrabit tibi, & ſub alis eius ſperabis. Hoc enim dicit, ne tua protectio à te tibi ſit: ne putes, quia tu te potes protegere: illa te proteget, vt eruat; & eruet de muſcipula venantium, & à verbo aſpero. *Quod autem dicitur*, Inter ſcapulas ſuas obumbrabit tibi; & à tergo potes intelligere, & à pectore. Scapulæ enim circa caput ſunt. Sed quia dicit, Sub alis eius ſperabis, manifeſtum eſt, quia protectio alarum panſarum facit te eſſe inter ſcapulas Dei, vt hinc atq. hinc alæ Dei te ponant in medio: & nō timebis, ne quis tibi noceat, tantum tu noli inde recedere, quò nullus inimicus audet accedere. Si gallina protegit pullos ſuos ſub alis ſuis: quanto magis nos ſub alis Dei tuti erimus, & aduerſus diabolum & angelos eius; quæ aëreæ poteſtates, tanquam accipitres circumuolitāt, vt infirmum pullum auferant? [3] Non enim ceſſant perſequi: & apertè ſæuiunt, & inſidiis agunt. Inde dictus eſt diabolus, & leo & draco. Sed quid dicitur Chriſto? Et cōculcabis leonem & draconem. Leo eſt propter apertam iram: draco propter occultas inſidias. Draco eiecit Adam de paradiſo: idem ipſe leo perſequitur Eccleſiam, dicente Petro: Quia aduerſarius veſter diabolus, ſicut leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Non tibi ſæuitiam ſuam perdidiſſe diabolus videatur: quando blanditur, tunc magis cauendus eſt. [4] Ille autem, cui dictum eſt, Conculcabis leonem & draconem, (quoniam corpus eius & membra eius ſumus) ſicut conculcauit leonem pedibus patrum noſtrorum apertè ſæuientem, & ad paſſiones martyres attrahentem; ita & modò draconem conculcabit, ne nobis inſidietur. De quo dracone nos cautos faciēs Apoſtolus, ait; Aptaui vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua; ſic veſtræ mentes corrumpantur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Serpens ergo iſte, adulter antiquus, virginitatem corrumpendam; non carnis, ſed cordis inquirit. Sicut autem adulter homo lætatur in nequitia ſua, cùm carnē corrumpit: ſic & diabolus lætatur, quando mentem corrūpit. *Sed virginitas cordis quæ eſt?* [5] Virginitas carnis, corpus intactum: virginitas cordis, fides incorrupta eſt. [6] Virginitatem corporis paucæ feminæ habent in Eccleſia: ſed virginitatem cordis omnes fideles habent. In ipſa fide

2 In Pſal. 90. cōc. 1. in me[...]

3 To. 9. Tract. 10. in Ioan. in medio. Vide in Pſal. 69. in præfa[...]

1. Petri 5.

4 In Pſal 9[...] in initio.

2. Cor. 11.

5 In Pſal. 14[...] ante mediu[...]

6 In Pſal 90. conc. 2. ante finem.

☞ fide virginitatem cordis timebat Apostolus corrũpi à diabolo: quam qui perdiderint, sine causa sunt virgines corpore. Corrupta corde, quid seruat in corpore? Ideo mulier Catholica præcedit virginem hæreticam. Illa enim non est virgo in corpore: ista mulier facta est in corde: & mulier *quidem* non à marito Deo, sed à serpente diabolo. Quid autem Ecclesia? Super aspidem & basiliscum ambulabis: (rex est serpētium basiliscus, sicut & diabolus rex est dæmoniorum) & conculcabis leonem

7 In Psal. 69. in præfat. & draconem. *Itaque* 7 diabolus biformis est. Leo est in impetu: draco in insidiis. *Siue ergo* leo minetur; inimicus est: *siue* draco insidietur, inimicus est. Quando nos securi? Ecce fiant omnes *homines, boni: fiant omnes, Catholici*: nunquid & diabolus *bonus erit? nunquid Catholicus erit*? Tentare ergo non cessat, in-

8 In Psal. 60 & in Psal. 63. in initio. sidiari non cessat. 8 Alligatus est quidem in cordibus impiorum, ne penitus sæuiat in Ecclesiam; ne faciat quantum potest; ne faciat quantum volt: tamen tantum tentare finitur, quantum expedit proficientibus. Non enim nobis expedit esse sine tentationibus. Nec rogemus Deum, vt non tentemur: sed, vt non inducamur in tentationem.

Cap. LIII.

Serpentis caput quomodo calcandum, quando nostro calcaneo insidiatur.

1 In Psal. 103. conc. 4 ante medium. Genes. 3. 1 NOuimus autem & quid dictum est mulieri; vel potius serpenti *de muliere*, cùm audiret Deus peccatum primi hominis. *Et quidnam, inquit, illi dictum est*? Ipsa tuum obseruabit caput: & tu eius obseruabis calcaneum. *Certè* in magno mysterio *hoc* dictum *est*; in figura dictum Ecclesiæ futuræ,

Rom. 5. factæ de latere viri sui; & hoc dormientis. Erat autem Adam quædam forma futuri. Hoc Apostolus dicit, Qui est forma futuri. Præfiguratum est, quod futurum erat. Facta est Ecclesia de latere Domini, dormientis in cruce. Nam de latere crucifixi percusso, sacramenta Ecclesię profluxerũt. Quid ergo dictum est Ecclesiæ? Iam modò audi, intellige, caue. Ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius calcaneum. O Ecclesia, caput serpentis ☞ obserua. Quod est caput serpentis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum; noli ibi tenere mentem tuam; noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est: caput calca, & euades cæteros motus. Quid

eſt, Caput calca? ipſam ſuggeſtionem contemne. Sed lucrum ſuggeſſit. Magnum ibi lucrum eſt; magnum ibi aurum eſt. Si hanc fraudē feceris, diues eris. Caput ſerpentis eſt; Calca. Quid eſt, Calca? Contemne quod ſuggeſſit. Sed magnum aurum ſuggeſſit. Et quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentū patiatur? Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens, obſeruaſti caput ſerpentis; & calcaſti. Ille autem diabolus calcaneum tuum obſeruat. Quid eſt, Obſeruat calcaneum tuum? Quando labaris à via Dei. Tu obſeruas primam ſuggeſtionem: ille obſeruat lapſum tuum. Si enim lapſus fueris, cades: ſi cecideris, poſſidebit. Vt autem non cadas, noli exire de via. Anguſtam tibi ſemitam ſtrauit Deus: quicquid extra illam eſt, lubricum eſt. Propterea lumen eſt Chriſtus; & via eſt Chriſtus. Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum: &, Ego ſum via, *inquit*, veritas & vita. Per me is, ſi ad meis. Si ergo ipſe eſt lumen, & ipſe eſt via: ſi ab illo receſſeris, nec in lumine eris, nec in via. Et quid te ſequetur? Quod dicit de impiis quidā Pſalmus: Fiāt viæ illorū tenebræ & lubricum. *Et rurſum illud, in alio Pſalmo ſcriptum, & tanquam ex ore tuæ perſonæ prolatum:* [1] Vt quid timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circundabit me. Magis ergo *diabolum* debes timere, ſi iniquitas calcanei tui circūdabit te. Non enim timeat homo, quod non habet in poteſtate deuitare. Verbi gratia: Qui timet mortem, quid facturus eſt, vt non moriatur? Dicat mihi, quo vadat? Debet, quod Adam, qui natus eſt ex Adam. Sed cogitet qui natus eſt ex Adam, & ſecutus eſt Chriſtum; quia oportet eum ſoluere, quod debet Adam; & conſequi, quod promiſit Chriſtus. Qui ergo timet mortem, non eſt quò vadat: qui autem timet damnationem, quam audient impij, Ite in ignem æternum; eſt quò vadat. Non ergo *mortem* timeas: *ſed timeas quod dicitur*, Iniquitas calcanei mei circundabit me. Si *enim* vites iniquitatem calcanei tui, & ambules in via Dei; non peruenies ad diem malam. Dies mala, dies nouiſſima, non erit tibi mala. Etenim dies nouiſſima, mala erit quibuſdam: bona erit quibuſdam. Nunquid mala erit illis, quibus dicetur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum? Sed mala erit illis, quibus dicetur, Ite in ignem æternum. Quod ſi iniquitas calcanei tui circundabit te: vt quid ergo non times in die mala? Modò *proinde* cùm viuis, prouideas tibi: tollas iniquitatem à calcaneo tuo;

Matth. 16.
Ioan. 1.
Ioan. 14.
[1] In Pſal. 48. cóc. 1. in me.
Pſalm. 48.
Matth. 25.

Ioan. 14. tuo; ambules illam viam, de qua ipse *Saluator* dixit, Ego sum via, veritas & vita: & non timeas in die mala; quia dat tibi securitatem, qui factus est via. Ergo vites iniquitatem calcanei
Gen. 3. tui. In calcaneo quisque labitur. *Hinc* à Deo *de muliere* dictum est serpenti: Ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius obseruabis calcaneum. Diabolus *siquidem* calcaneum obseruat, quando labaris, vt deiiciat. Ille obseruat, *vt dixi*, calcaneum tuum: tu obserua caput illius. Quod est caput illius? Initium malæ suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio, & sequatur consensio: & tunc vitabis caput eius; & non apprehendit ille calcaneũ tuum. Quare autem de Eua hoc dixit? Quia per carnem labitur homo. Eua nobis interior, caro nostra est. Qui diligit, inquit,
Ephes. 5. vxorem suam, seipsum diligit. Quid est, Seipsum? Sequitur, & dicit: Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. Quia
Vide in Psal. 73. in medio. ergo, quomodo illum hominem Adam per Euam supplãtauit; sic diabolus per carnem nos vult supplantare: præceptum est Euæ, *hoc est, Ecclesiæ*, vt obseruet caput diaboli: quia diabolus calcaneum ipsius obseruat.

Cap. LIIII.

Sanctus Iob calcauit & superauit caput serpentis.

a In Psal. 103 concione 4 ante medium. I Permissus est *quidem ille* ad tentandos quosdam sanctos viros, famulos Dei. Superauerunt eum, quia de via non recesserunt: non lapsi sunt, quorum obseruabat calcaneum. Iob ille sanctus sedebat in stercore, & currebat in via. Vide quomodo obseruauerit caput eius: & quemadmodum ille calcaneum eius attendebat. Ille repellebat suggerentem; ille sperabat labentem. Cepit & eius mulierculam; subtraxit omnia, quæ habebat: solam diabolus dimisit adiutricem suam, nõ mariti consolatricem, sed potius tentatricem: cepit etiam ipsam, non obseruantem caput eius. Adhuc enim illa Eua erat: sed iam ille Adam non erat. Ablatis omnibus, remãsit Iob cum vxore, per quam tentaretur; & cum Deo, à quo regeretur. Quid illo pauperius subitò factum, si domum eius consideres? Quid illo ditius, si cor eius cogites? Vide paupertatem domus; ablata sunt
Iob 1. omnia: vide diuitias cordis; Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Dominus dedit, Dominus abstulit: nouerat rectorem suum,

suum, & tentatorem suum; permissorem tentatoris sui nouerat. Nihil sibi, inquit, diabolus tribuat. Voluntatem habet nocendi; potestatem autem nisi acciperet, non haberet. Quantum accepit ille potestatis, tantum ego patior. Non ergo ab illo patior, sed ab eo qui potestatem dedit. Contemnatur superbia tentatoris mei: sustineantur flagella patris mei. Repulsus est tentator: obseruatum est caput eius; penetrare non potuit in cor. Muratam ciuitatem forinsecus oppugnauit, sed non expugnauit. Accessit alia tentatio; permissus est ad corpus eius; percussit graui vulnere à capite vsque ad pedes; contabescebat putredine; scatebat vermibus; amissa domo, sedebat in stercore. Ibi Eua captiuata à diabolo, non ad adiutorium marito supposita, sed ad lapsum: suggerit vt blasphemetur Deus. Primò suggessit in paradiso, vt contemneretur Deus: modò vt blasphemetur Deus. Valuit tunc in integrum; nunc victus est à putredine: in paradiso deiecit; in stercore superatus est. Attendebat autem ille draco, virum Iob lingua laberetur. Omnis enim homo in actu suo pedes habet in eo quod agit: in quo mouetur, ibi tanquã ambulat. Dicebat ille multa. Quanta enim dixit Iob, qui legerunt, nouerunt. In tam multis illis verbis obseruabat serpens calcaneum labentis. Ille autem, qui caput obseruabat serpentis, repulit omnem suggestionem. Respondit & mulieri, sicut dignum erat responderi mulieri. Locuta es, inquit, tanquam vna de insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini: mala quare non sustineamus? Et inter illa omnia quæ dixit, nusquam lapsus est.

CAP. LV.

Diaboli muscipula quæ sit, à qua educitur Corpus Christi, hoc est, Ecclesia.

PRoinde [1] qui vult obseruare caput serpentis, & securus transire hoc mare, *id est, seculum istud*: quia necesse est, habitet hic serpens iste, vbi lapsus Diabolus de cælo, hũc locum accepit: obseruet caput eius à timore sæculi, & à cupiditate sæculi. Hinc enim suggerit aliquid, aut vnde times; aut vnde cupis: aut amorem tuum tentat, aut timorem. Tu si timueris gehennas; si amaueris regnum Dei: obseruabis caput eius. Euitato capite, securus eris: nec ille lapsum tuum tenebit; nec de tua ruina gaudebit: *quia non in eius muscipula capieris, sed inde etiam*

1 Ibidem inf.

2 In Psal. 30 conc. 1. in med. *etiam educeris per eũ, cui dicitur in Psalmo*: 2 Educes me de muscipula ista, quam occultauerunt mihi. Muscipulam *enim* suam tendit vsque in finem diabolus: & væ illi qui in illam muscipulam cadit. Cadit autem omnis, *qui rerum labentium cupidus*
Psalm 30. *est*, & non sperat in Deum; qui nõ dicit, In te Domine speraui; non confundar in æternum. Extenta est & parata hic muscipula inimici. Posuit in muscipula errorem & terrorem. Errorem, quo illiciat: terrorem, quo frangat, & rapiat. Tu claude
Vide in Psal. 79 post med. & in Psal 141. post princip ianuam cupiditatis contra errorem: tu claude ianuam timoris contra terrorem; & educêris de muscipula. Huiusmodi pugnæ exemplum ipse tibi Imperator tuus, qui propter te etiam tentari dignatus est, in se demonstrauit. Et primò tentatus est illecebris; quia tentata est in illo ianua cupiditatis: quando eum
Matth 4. tentauit diabolus, dicens, Dic lapidibus istis, vt panes fiant. Adora me, & dabo tibi regna ista. Mitte te deorsum, quia scri-
Psalm. 90. ptum est. Quia angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te: ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Omnia hæc per illecebras cupiditatum tentat. At vbi clausam ianuam inuenit cupiditatis in eo qui tentabatur pro nobis: conuertit se ad tentandam ianuam timoris; & præparauit illi passionem. Denique hoc dicit Euangelista: Et consummata tentatione,
Lucæ 4. diabolus recessit ab eo ad tempus. Quid est, ad tempus? Tanquam rediturus, & *per passionem* tentaturus ianuam timoris; quia clausam inuenit ianuam cupiditatis. Nec sola illa passio est, qua passus est Dominus noster Iesus Christus: totum Corpus Christi tentatur, & patitur vsque in finem. Quãdo iussum est, nescio quid contra Christianos, mali; simul impingebatur: in hoc Corpus totum impingebatur. Vnde dictum est in *alio*
Psalm. 117. Psalmo, Tanquam cumulus arenæ maris impulsus sum, vt caderem: & Dominus suscepit me. At vbi finita sunt illa, quæ totum Corpus impingebant, vt caderet; cœpit tentatio esse per partes. Tentatur Corpus Christi: vna Ecclesia non patitur persecutionem, alia patitur. Nõ patitur furorem Imperatoris *tyranni*, & patitur furorem mali populi. Quantæ vastationes à plebibus! Quanta mala ingesta sunt Ecclesiæ à malis Christia-
Lucæ 5. nis; ab eis, qui capti sunt in illo reticulo! Tam multiplicati sunt, vt *mysticè* premerentur naues in piscatione illa ante Domini passionem. Non ergo desunt pressuræ tentationis. Nemo sibi dicat, Non est tempus tentationis. Qui sibi hoc dicit, pacem sibi promittit. Qui sibi pacẽ promittit, securus à diabolo

inuaditur. Totum *proinde* Corpus Christi dicat, *quod in supradicto Psalmo scriptum est*: Educes me de muscipula, quam occultauerũt mihi: quia eductum est & Caput nostrum de muscipula, quam absconderunt illi, quibus dicebatur in Euangelio, quia dicturi erant: Hic est hæres; venite, occidamus eum; & nostra erit hæreditas. Et in se sententiam dixerunt interrogati, Quid faciet ille paterfamilias colonis malis? Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis. Quid? Et illud non legistis; Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Quid est enim, Reprobauerunt ædificantes? Hoc ait, Eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Ergo erutus est & ille. Caput nostrum *de muscipula erutum est*, sursum est, liberum est. Hæreamus illi per dilectionem, vt meliùs postea conglutinemur ei per immortalitatem: *& qui modò in eius Corpore sumus, Capiti dicamus omnes, Educes me de muscipula ista, quam occultauerũt mihi: quoniam tu es protector meus.*

Psalm. 30.
Math. 21.
Psalm. 117.
Psalm. 30.

CAP. LVI.

Christi membra proficiunt, dum tentantur: quorum tentationem præfigurauit Christus in sua tentatione.

H*Vius autem Corporis vox est & illa in sexagesimo Psalmo, Exaudi Deus deprecationem meam; intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Sed quare à finibus terræ dicit se clamasse? Quia* [1] ostendit se esse per omnes gentes, toto orbe terrarum, non in magna gloria, sed in magna tentatione. Namque vita nostra in hac peregrinatione, non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit: nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus. Nec potest coronari, nisi vicerit; nec potest vincere nisi certauerit; nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit. Angitur ergo iste à finibus terræ clamans, sed tamen nón relinquitur. Quoniam nosipsos, quod est Corpus suum, voluit Dominus præfigurare & in illo corpore suo, in quo iam & mortuus est, & resurrexit, & in cęlum ascendit: vt quò Caput præcessit, illuc se membra secutura cõfidant. Ergo nos transfigurauit in se, quando voluit tentari à satana. Modò *diximus quod legitur* in Euangelio, quia Dominus Iesus Christus in eremo tentabatur à diabolo. Prorsus Christus tentabatur à diabolo. In Christo enim tu, *qui eius membrum es*,

[1] In Psal. 60. in initio.

i tenta-

tentabaris; quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem; de te sibi mortem, de se tibi vitam; de te sibi contumelias, de se tibi honores. Ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam. Si in illo nos tentati sumus: in illo nos diabolum inimicum nostrum superamus. Attendis quia Christus tentatus est: & non attendis quia vicit? Agnosce te in illo tentatum: & te in illo agnosce vincentem. Poterat à se diabolum prohibere: sed si non tentaretur; tibi tentando, vincendi magisterium non præberetur. Itaque non mirum, si inter tentationes positus iste *vnus homo* clamat à finibus terræ. Sed quare non vincitur? In petra, inquit, exaltasti me. Iam ergo hîc agnoscimus, quis clamet à finibus terræ. Recolamus Euangelium:

Psalm. 60. Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ergo illa clamat à finibus terræ: quam Dominus voluit ædificari super petram. Vt autem ædificaretur Ecclesia super petram; quis factus

1 Cor. 10. est petra? Paulum audi dicentem: Petra autem erat Christus. In illo ergo ædificati sumus. Propterea petra illa, in qua ædificati sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluuia; quando Christus à diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit

2 In Psal. 94. vltra medium stabilire.[2] Sed fortè tu de tentationibus satagis, vt constitutus in tanta *firmitate & gratia* promissionum Dei, propter scádala mundi turberis. Nec ipsa scandala aliquid tibi faciunt; quo-

Psalm. 94. niam mensurá à Domino acceperunt: *sicut scriptum est*, Quoniam ipsius est mare. Est enim mare mundus iste: sed & mare Deus fecit. Nec sæuire fluctus possunt, nisi vsque ad littus, vbi ipse terminum posuit. *Sic* nulla *etiam* tentatio, nisi acceperit mensuram à Domino. Sint ergo tentationes *à dæmone*; sint tribulationes *ab homine*: consummaris eis, non consumeris. Vide

1 Corint. 10. verum ipsę tentationes non prosint. Attende Apostolum: Fidelis Deus, qui non vos sinet tentari suprà quàm potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Non ait, Nos vos sinet tentari omnino. Si enim recusares tentationem, recusares refectionem. Ergo reficeris: & si reficeris, in manibus artificis es. Aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat: agit quibusdam ferramentis suis. Ipsa sunt scandala huius sæculi; tu tantum de manu artificis noli cadere. Nihil tentationis accidet vltra vires tuas. Hoc permittit Deus ad vtilitatem tuam, vnde tu possis proficere.

1 Corint. 10. Denique ipsum Apostolum audi hoc coniungentem, Sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere.

CAP.

CAP. LVII.

Etsi tentatur Ecclesia, non propterea deficiet: perseuerabit, & vincet hostem, non sua, sed Christi virtute.

S*I ergo tu tentatus sustinere & proficere potes: nunquid ex tentatione non proficiet, sed deficiet Ecclesia?* [1] Sæuiat quãtumlibet inimicus, oppugnet, insidias pręparet, scãdalis crebrescat: *non deficiet*, non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus: donec veniat huius sæculi finis; & nos ab ista temporali, æterna illa habitatio suscipiat. Si paucorum dierũ tempore hic esset Ecclesia; cito finirentur tentatoris insidiæ. Et bene paucorum dierum velles esse tentationes. Sed quomodo colligeret *mater sanctissima & fœcundissima* natos omnes, nisi diu hic esset? nisi vsque in finem protenderetur? Noli inuidere cæteris pôst futuris: noli, quia iam transisti, pontem misericordiæ velle præcidere. Sit hîc vsque in sæcula: *nec mouearis* de tentationibus, quæ necesse est vt abundent, quantò magis veniunt scandala. Etenim ipse Dominus ait, Quoniam abũdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sed Ecclesia in his est, de quibus sequitur, dicens: Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sed vnde, ô Ecclesia, perseuerabis? Quæ vires tuæ inter tanta scandala, inter tantas tentationes, inter tantas pugnas? Inuident pagani, quia victi sunt: insidiantur hæretici, pallio velati nominis Christiani: intus in *teipsa* vim patitur frumentum à palea. *Denique* quibus viribus vinces hostem, quem non vides? Nunquid tuis? *Respondet Ecclesia*: Inter hæc omnia cùm angitur cor meum, clamabo à finibus terræ. Sed non me deserit ipse, qui me exaltauit super petram, vt educat me vsque ad se. Quia etsi laboro; diabolo per tot loca, & tempora, & occasiones insidiante aduersus me: hic est mihi turris fortitudinis: quò cùm fugero, non solùm vitabo tela inimici, sed etiam in illũ, quę voluero secura ipsa iaculabor. *Et rectè quidẽ.* Ipse enim Christus est turris: Ipse nobis factus est turris à facie inimici, qui est petra, super quam ædificata est Ecclesia. Caue ne feriaris à diabolo: fuge ad turrim. Nũquam te ad illã turrim diabolica iacula secutura sunt: ibi stabis munitus & fixus. Quomodo autem fugies ad turrim? Ne fortè quisque in tentatione positus, corporaliter quærat turrim istam; & cùm eam non inuenerit, fatigetur, ac deficiat in tentatione. Ante te est turris. Recordare Christum, & intra

[1] In Psal. 60. in medio.

Matth. 24.

in turrim. Quomodo recordaris Christum, vt intres in turrim? Quicquid pateris, cogita, quia prior passus est: & cogita, quo fine passus est; vt moreretur, & resurgeret. Talem & tu finem spera, qualis in illo præcessit; & intrasti in turrim, non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, tunc ad te peruenit oppugnantis iaculum inimici. Tu potiùs in illum iaculare tela, quibus feriatur, quibus vincatur. Quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, spes ipsa, tua bona opera. Non dico, sic esto in ista turri, vt vaces ibi; & sufficiat tibi, ad te hostis tela quòd non perueniant: age ibi aliquid; nō cessent manus. Opera bona tua, gladij sunt interficiētes inimicum; *quia per bonam vitam & Dei dilectionem vincitur ab homine, qui per fallaciam & deceptionem suam triumphauit de homine. Quàm facilis est hæc de tanto hoste victoria!*

CAP. LVIII.

Conclusio huius libri, continens exhortationem.

a In Psal. 105. ferè in fine. 1 AGe nunc quisquis hæc legis, & gratiam Dei, qua in æternam vitam per Dominū nostrum Iesum Christum redimimur, *eiúsque Corpori coaptamur*; legendo in Apostolicis literis, in propheticis autem scrutando cognoscis: & vetus testamentum in nouo reuelatum, & in veteri nouum velatum vides: recole, quem dixerit Apostolus Paulus principem potestatis aëris, qui operatur in filiis infidelitatis; & illud, vbi ait de quibusdam, Vt resipiscant de diaboli laqueis; captiuati ab ipso secundum ipsius voluntatem: & verba Domini nostri Iesu Christi, vbi eum expellens de fidelium cordibus, ait: Nunc princeps huius mundi missus est foras: & ipsius itidem Apostoli dicentis, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij claritatis suæ. Hæc atque huiusmodi ratiocinatus intende animum, & vide, *quātum à Deo beneficium in Ecclesia tibi conferatur. quod ex diaboli seruo, Dei filius; ex captiuo, libertus Christi efficiaris.* Iste enim inimicus diabolus captiuos tenebat *filios* Dei. De qua captiuitate cùm redimimur, & princeps huius mundi mittitur foras; ædificatur domus *magna, quæ est Ecclesia*, cuius lapis angularis est. Christus; qui duos condidit in se vnum nouum hominem: faciens pacem, quam veniens euangelizauit eis, qui erant propè; & eis, qui erant longè: faciens vtraque vnum, & adducens alias oues, quæ non

Ephes. 2.
2 Tim. 2.
Ioan. 12.
Coloss. 1.
Ephes. 2.

non ſunt de hoc ouili, vt ſit vnus grex, & vnus paſtor. Hic ergo Ioan. 10.
inimicus diabolus, & angeli eius captiuauerant prædeſtinatos
in Dei regnum, & gloriam: à Redemptore autem noſtro foras
miſſi, qui dominari infidelibus ſolebant intrinſecus; fideles
oppugnant extrinſecus. Sed oppugnant, non expugnant eos,
qui apprehendunt turrim fortitudinis à facie inimici. Vt autem
oppugnent, ſentiunt in nobis eſſe infirmitatis reliquias,
propter quas dicimus, Dimitte nobis debita noſtra: propter
quas *item* dicimus, Et ne nos inferas in tentationem: ſed libera Matth. 6.
nos à malo. His itaq. inimicis eiectis, perfecit Dominus Chriſtus
& intrinſecus & extrinſecus ſanitates in *illo magno* Corpore,
quod eſt Eccleſia, cui Caput eſt ipſe ſaluator Corporis: vt
in eo ipſe Corpore ſuo, tertia die conſummetur. Sic enim dicit,
Ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras: & Luc. 13.
tertia die conſummor, id eſt, perficior. *Quod primum impletum
fuit, cùm poſt reſuſcitationem proprij corporis, fuit glorificatus.
Deinde & in hoc Corpore, cuius ipſum eſſe Caput confitemur
(ſicut hoc duobus his libris declarauimus) etiam tunc cõſummandus
eſt, quando exhibebit ipſe ſibi glorioſam Eccleſiã; non habentem
maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta,
& immaculata*: occurrentibus omnibus nobis *ipſi noſtro
Capiti, tanquam membris ſuis*, in virum perfectum, in menſuram
ætatis plenitudinis Chriſti: *cui honor, & gloria in ſæcula
ſæculorum. Amen.* Epheſ. 5.

FINIS.

APPROBATIO.

Libros sex Thesauri Christiani hominis, magno labore per D. Ioannem Fredericum Lumnium collectos, & ad exercitationem piarum mentium conscriptos, legi, & diligenter examinaui. Et quia Christianam pietatem, quæ cõtemptum rerum fluxarum requirit, & constantiam in aduersis (quæ duo primis quatuor libris præcipuè docentur) multum iuuabunt: ideo typis euulgandos censeo. Datum Antuerpiæ 2. Aprilis, 1587.

Waltherus vander Steeghen, Canonicus Antuerpiensis, S. Theol. Licentiatus.

Eosdem libros labore R. D. Lumnij collectos, dignissimos iudico vt dentur prælo, & pluribus fiant communes. Datum Antuerpiæ, 3. Aprilis, 1587.

Ita testor Michaël Hetsroey à Breughel, Canonicus Ecclesiæ B. Mariæ Antuerpiensis, S. Theologiæ Licentiatus.

INDEX PRÆCIPVARVM SENTENTIARVM HVIVS THESAVRI,

cunctis verbi Dei Præconibus ac Confessariis pernutilis futurus.

Aaron insanienti populo permisit idolum 169
Aaron mortuus est senex 170
Abel à fratre expugnatus 402
Abel non fuit negotiator 21
Abraham dies bonos habuit intus in corde 177
Abraham diues erat 6
Abraham & Lazarus diuites ambo, & pauperes 6
Abraham in diuitiis pauper erat 7
Abraham multum auri habebat 6
Abraham pertulit multa, 407.
Abraham quomodo sit pater noster 350
Abrahæ domus abundans erat auro, & argento 248
Abrahæ semen quando nos sumus 353
Absalon bellũ gessit aduersus patrẽ 172
Absentem esse quid sit 165
Abundet in te charitas, & plus dolebis peccantem 170
Accipiter æthereus, diabolus 328
Accusario sui, Dei laudario est 150.
Accusator esto peccati tui, non defensor 137
Achab pœnitentiam egit 156
Actio nostra in cælo, quæ erit 300.
Actio quietorum 303
Actiones excellentes in hoc sæculo quæ 303
Aculeum quis dedit culici? 203
Adam cecidit, vt nos surgamus 411.
Adam dormit & fit Eua 373
Adam forma futuri 362 373
Adam in quibus vapulet 114
Adam quasi heri de paradiso lapsus 235
Adolescens fit iuuenis 298
Aduentum Christi præcesserunt quædam membra Christi 480
Aduersitates quæ sint 193
Aduersus felicitatem acrius vigilandum est 244
Aduocatum esse quibusdam magna res est 13
Aërem communiter ducimus 318
Aedificium Dei sumus 199
Aegrè fert iniustus iustum 411
Aegrotantium desideria 300
Aegrotus occidit medicum 280
Aestas spiritualis, quæ? 253
Aetas non diuinitati Christi; sed carni accessit 360
Aetas nostra non stat 43
Aeternitas, Dei substantia est 310
Aeternitas quatuor syllabis constat, in se sine fine est 310
Aeternitas vera, quæ sit 311
Agni perbreues, vrgẽt vbera matrũ 378
Africæ frumentum diu seruari non potest 203
Agricolæ formidant eos qui militãt 13
Aliena possidet, qui nescit vti suis 71
Alieni qui sint à via veritatis 400 401
Alienum est, quod malè possidetur 71
A ligno Christi noli resilire 143
Aliquid proprium velle, difficile est, vt non contingat 216
Aliud est timere pœnam; aliud amare iustitiam 32
Amaritudo inferiorum docet amare meliora 187
Amatores rerum terrenarum Deo odibiles 2
Ambulandum in petra 12
Ambulare videtur tutiùs, qui minus accepit 450
Amicitia hui⁹ mũdi, inimica est Deo 361
Amicum nihil sic probat, quemadmodum portario oneris amici 474
Amores boni, faciunt mores bonos 33
Amores turpes molestias habent 95
Amor desit, nemo vritur 412
Amor immundus inflãmat animã 259
Amor omnis habet vim suam 259
Amor sanctus ad superna eleuat 259
Amor vniuersus in deũ transferẽdus e
Amore Dei nihil castius 268
Angeli archangelis non inuident 313
Angeli, ciues nostri 327
Angeli, cur nostri angeli dicti sunt 336
Angeli diuites sunt 89
Angeli expectant aduentum nostrũ 328
Angeli habent magnas facultates 89
Angeli laudant Deum 329. 330
Angeli mali quid operentur 115
Angeli miserantur nos, & auxiliantur nobis 399
Angeli non sitiunt, non esuriunt 299
Angeli quales nunc sint 335
Angeli vnde gaudeant 268
Angelorum sagina 299
Angelorum potentiam desiderat omnis homo 457
Angelos quis dignè laudet? 332

i 4 Angelus

Beati esse volunt omnes 255
Beati qui faciunt locum Domino 318
Beatos facit Deus, quibus propinquat 157.
Beatū esse, melius est, quàm miserū 256
Beatum esse, quàm magnū bonum 255
Beatus nemo, qui non eo quod amat, fruitur 259
Beatus qui intelligit super egenum & pauperem 71
Beatus qui intrat ad cor suum 181
Beatus quis dicitur, aut habendo, aut agendo aliquid 303
Bellum indicitur aduersus teipsum 127
Benedictio Dei, quasi nostra pluuia est 199.
Benedici se volunt homines multis modis. 251
Benequicquid fit, Deo fit 239
Bestiæ minutæ multæ necant 121
Bethleem appellabant incolæ villam tempore Augustini 464
Bibens de fonte non prodest fonti 321
Bona Domini dulcia 341
Bona, quæ sunt in bonis 33
Bona quædam communia bonis, & malis 33. 252
Bona sola in vita æterna 326
Bona spiritualia videntur corde 23
Bona tēporalia quare malis dentur 34
Boni & mali hinc transeunt, sed non ad vnum 15
Boni faciunt bona de bono auto 32
Boni omnes latent hic 234
Boni soli illuminationem vultus Dei vident 250
Bonis dabit Deus, vt beati sint 255
Bonis seruat Deus seipsum 255
Bonum bonorum Deus 307
Bonum summum cognoscitur in veritate 258
Bonus esto, & inuenies bonos 411
Bonus laborat ad tempus 229
Bonus quisquis est, non se solum putet bonum 424
Bos, qui triturat Ecclesiæ aream 77
Breuitas dierum modo est 309

C.

CAeci sunt qui magnum montem non vident 378
Cæco oculos commodat videns 79. 81
Cæcis, sicus videntibus, præsentia sunt omnia 165
Cæsar in nummo, Deus in homine quærit imaginem suam 167
Caiphas, & Saul prophetauerunt 404
Caluinus cōminuit mēbra Christi 394
Calix aquæ frigidæ non perdet mercedem 79
Canticum nouum, quod sit 384
Capilli non repentè crescunt 43
Caput dici non potest, vbi nullum est corpus cui sit caput 485
Caput Ecclesiæ Christus 280. 247
Caput nostrum ad dexteram patris interpellat 351
Caput nostrū gratáter agnoscimus 350
Caput portant omnia membra 315
Caput saluat, corpus saluatur 358
Caput serpentis quid 403. 494
Carmina quæ vocantur epithalamia, quæ sint 375
Carni cùm parcitur, anima perit 432
Carnem porta, erudi, castiga 131
Caro diues extendit se contra carnem pauperem 85
Caro integra quid prodest, mente corrupta? 411
Caro mancipium conditionale 194
Caro nostra quæ solatia hic habeat 298
Caro nostra quiddam bonum est 194
Caro obediens, famula animæ est 196
Caro tua, coniux tua 130
Caro vnius hominis comesta ab altero, cui reddetur in resurrectione 288
Casus nostros nobiscum portamus 145
Casus primi hominis, valet nobis ad experimentum 411
Caterua rebellantium desideriorū 123
Cauete ab omni auaritia, explicatur 24
Centurio fuit ex populo gentium 468
Certare non potest, nisi qui inimicum habuerit 497
Ceruorum natura explicatur 474
Charitas abundet in te, & plus dolebis peccantem 412
Charitas crescit erogando 70
Charitas dicitur bona voluntas 80. 81
Charitas fons proprius bonorum 401
Charitas nomine patris excitatur 83
Charitas non nisi in vnitate Ecclesiæ potest custodiri 397
Charitas non inflatur 6
Charitas non potest premi in ima 402
Charitas nō quærit quæ sua sunt 29. 58
Charitas oleo comparatur 80. 402
Charitas quanto maior in te, tanto amplius te torquet malus 412
Charitas quanto maior, tanto maiores plagæ de peccatis alienis 170. 412
Charitas quid non assueuit attendere 478
Charitas quod possidet, latum est 72
Charitas radix nostra est 235. 350
Charitas via supereminens est 401

Charitate nihil inuenis eminentius in diuinis libris 402
Charitatē misit Dominus de cælo 402
Charitatem nobiscum non communicant mali 401
Charitatē qui habet, plenus est 80.81.81
Charitatem qui nō habent, graues sibi sunt 477
Charitatis præceptū super libros est 401
Christiani ad quid facti 275
Christiani cū profecerint, vapulāt, 169. 281
Christiani dilectio quando perfecta 98
Christiani mali, peiur paganis viuūt 422
Christiani multi tolerabiliter peccant 425.
Christiani sumus propter futurum seculum 189
Christianorum fides, Christi est resurrectio 280
Christi infirmitas, nostra est fortitudo 363
Christi lex quæ est? 83
Christi maiestas in eius operibus apparebat 454
Christi mortem tanquam arram tenemus 278
Christi plenitudo, caput & membra 365
Christi tentatio nostra doctrina 455
Christum induerunt qui in eo sunt baptizati 357
Christum mortuum esse, non est magnum credere 379
Christum non diligere non infirmitas, sed mors est 474
Christus amplos natales non elegit 454
Christus assumpsit tristitiam, sicut & carnem 319
Christus caput Ecclesiæ 348
Christus corpus & caput est agnoscendus 355
Christus cohæredes habere voluit 315
Christus est turris 499
Christus & Ecclesia vtrumque vnus 355
Christus etiam nobiscū est in terra 348
Christus gallinæ quare se cōparauit 361
Christus in passione sua dicit: Miserere mei Deus 355
Christus in terra voluit laborare 243
Christus medicamentum fecit de sanguine suo 466
Christus mente conspicitur 174
Christus non habuit bonos dies 177
Christus nos dignatus est habere sua membra 361
Christus noster est frater 71
Christus orat pro nobis, in nobis, & oratur à nobis 354
Christus patrem quando dimisit 361
Christus passer singularis 365
Christus pelicano comparatur 365
Christus quare cicatrices in corpore seruauerit 224
Christus quare in fine non suscitauit carnem suam 343
Christus quare mediator dictus 356
Christus quomodo diues & pauper 359
Christus seipsum dabit immortalem, quia sede sit mortalem 435
Christus si mori nollet, nec nasci vellet 281
Christus sponsam hic habet 375
Christus tētatus quomodo fit in nobis 497
Christus traditorem elegit 423
Christus venit occultus iudicandus 436
Cibus solid9, lacti cōtrarius nō est 370
Claues ministrantur per Antistites 153
Clericorum mala 419
Cœlum clamat Deo: Tu me fecisti 205
Cœlum Dei, mentes angelorum 323
Cœlum eris, si vis 312
Cœlum omnes animæ sanctæ 323
Cœlum, quod oculis cernimus, non est valde pretiosum 312
Cœlum scripturarum ex charitate pendet 408
Cœlum tectum mundi 84
Cogitationes omnium in cœlo videbuntur 395.
Cogitationes suas, quis tenet? 121
Cogitatio proprij periculi inclinat ad misericordiam 478
Colitur hoc quod diligitur 269
Collyrium fecit Christus nostris luminibus 161
Columba à molestiis quærit auolationem 431
Columba pro signo dilectionis ponitur 431
Commercia regionis nostræ 278.281
Communicare quid sit? 58
Concordia nulla cum diabolo 490
Concupiscere rem proximi nō licet, 55
Confessi latrones plangunt 148
Confessio dominum laudat 350
Confessio initium sanitatis 116
Cōfessio intelligitur duobus modis 148
Confessio non ducit ad supplicium 148
Confessio opus misericordiæ 147
Confessio peccatoris nō Deū docet 159
Confessio peccatorum pia non est, sine laude Dei 149
Confessio perit à mortuo, quasi nō sit 151
Confessio viuificat animam 152
Confessione amissa, non erit locus misericordiæ 137
Confessione nostra Deus nō indiget 146

Con-

Confessionem exigit Deus, vt liberet humilem 148
Confessionem nostram quare desiderret Deus 147
Confitendo fac Deum propitium 149
Confessus peccatū, à morte reuixit 151
Cōfitentem peccata sua subleuat Deus 194
Coniugia casta probata sunt maritorum calamitatibus 262
Coniugium humile melius quàm superba virginitas 411
Conscientia delictorum, maxima tribulatio 183
Conscientia nihil interius 179. 182
Cōsciētia peccatorū premit pect⁹ 183
Cōsciētia sua torquētur impij 147. 179
Conscientias iniquorum non sanat nisi indulgentia 183
Consilia à melioribus petuntur 194
Consilium das: & præstitisti eleemosynam 80
Consolationes magnæ de correctione malorum & hæreticorum 389
Contemplatio incommutabilis boni, qualis 338
Contende cū malo, sed de bonitate 412
Continentia quandoq. auaritia est 341
Cor à quibus sit mundandum 341
Cor castum non est, si Deum ad mercedem colit 261
Cor distortum rectitudini Dei colliniari non potest 221
Cor euellédum ab amore creaturæ 261
Cor humile de cælo adducit Deum 218
Cor nostrum sanum fit à peccatis 115
Cor prauum quod sit 218
Cor rectum sequitur Deum 219
Cor sursum habendum 47. 67
Cor tuum sit arca Dei 19
Cor vix stat ad Deum 123
Corda munita oēs habere volumus 427
Corona passionis erit in cęlo alia, à fructu boni operis 314
Coronari nō potest nisi qui vicerit 497
Corpora cur dicantur spiritualia 292
Corporis integritas vniuersis membris constat 392
Corpus Christi tentatur vsq. in finē 496
Corpus aggrauat animam 163. 198
Corpus Domini nostri sumus 350
Corpus est domus spiritus 53
Corpus flammis tradere sine charitate, non prodest 403
Corpus hominis sedes est capitis 315
Corpus infra animam est 195
Corpus melius fit per bonū animū 256
Corpus moritur, vita spiritus perseuerat 342
Corpus mortuum quid habet? 90
Corpus nostrū quale erit aliquādo? 193
Corpus terrenum quomodo sursum leuari poterit 292
Corpus vnum mēbra habet multa 349
Corrupta corde, quid seruat in corpore 492
Coruus pascebat Heliam 75
Cras, cras, vox coruina 94
Creatura non superat voluntatem creatoris 174
Creaturæ contextio laudat creatorē 206
Credere resurrexisse Christum, laus nostra est 280
Crucifixum manducamus 168
Crudele est, nō dare de eo quod habes 71
Cubile nostrum, est cor nostrum 180
Culici aculeum quis dedit? 203
Cupiditas accusatur, non aurum 4
Cupiditas, & charitas simul esse non possunt 58
Cupiditas euomēda, charitas bibēda 34
Cupiditas nocendi manet in malis 95
Cupiditas radix malorū omnium 58
Cupiditas opus Dei non est 78
Cupiditate qui irretitus non est 71
Cupiditatis rabies crescit cū pecunia 86
Curam gerere pro peccato, quid sit? 109
Curiositas quæ non reprehenditur 77
Curramus in domum Domini 328
Custodia testamenti veteris, timorem habebat 474
Cyprianus orator fuit 464

D.

DA de tuo si habes, non de alieno 28
Da in peregrinos, quod recipiās in patria 46
Dæmones confitebantur Christum 408
Dæmones fidem habebant, non charitatem 403
Dæmones sentiunt in nobis esse infirmitatis reliquias 501
Dæmonibus comparatur, qui de fide gloriatur 403
Dæmonibus quare permissum, vt in porcos intrarent 365
Dauid agnoscens culpam, amplexus est pœnam 175
Dauid cōmendatur de robore fidei 172
Dauid cor suum se inuenisse dixit 123
Dauid non dolebat de flagello 109
Dauid per disciplinam Dei, de indulgentia securus 173
Debet quod Adam, qui natus est ex Adam 498
Debita quæ nobis postulamus quotidie dimitti 119
Decimas dabant Scribæ & Pharisæi 49

Declina à malo, & fac bonum 177
Defensio fallax apud Deum non adhibenda 136
Defensio peccati, magna iniquitas 131
Defensio peccati non est vtilis 127
Delectatio iniquitatis est in corpore 126
Delectatio præteriti peccati, non sit ante te 161
Delectationibus innocentibus Deus etiam immiscet amaritudinem 187
Delict. quando nos pœnitet, in luce sumus 152
Delitiæ spirituales vnde 2
Delitiæ spiritus nostri sunt cantica 193
Denarius erit omnibus æqualis 313
Dentes quem vsum habeant 294
Desideria carnalia titillant 162
Desideria ægrotantium, qualia 235. 300
Desiderium, sinus est cordis 326
Desperati quid soleant dicere 138
Dei deuotio discessit, & accessit fisci indictio 48
Dei vultum quomodo gestemus 251
Deo dicũt quidá placere peccata 124. 242
Deo dimitte consilium suum 264
Deo non deest, quo nos emendet 174
Deo quis placet? 457
Deo quod præstemus, non habemus 82
Deũ ad prẽmiũ diligere nõ debemus 161
Deum cùm volueris, habebis 257
Deum incipe amare, & amabis omnia propter Deum 261
Deũ nescire quę faciũt, putãt quidã 243
Deum quando glurificamus, nobis prodest, non illi 199
Deum qui deserit, adulter est 261
Deum sic diligimus, vt aliud præter ipsum non diligamus 262
Deus ad præsens habenas laxat 243
Deus ad quid nos erudiat 113
Deus ad tempus emendat 233
Deus agricola quomodo nutriat infirmam animam 252
Deus altus est, & contingitur ab humilibus 157. 232
Deus amatur sine labore 38
Deus animæ maritus 262
Deus auarus est salutis nostræ 416
Deus antequam sanctos faceret, vbi habitauit 321
De benedictione nostra nõ augetur 199
Deus bono suo bonus est. 200. 338
Deus cor interrogat non manum 32
Deus corpori dabit, quod artifex plumbo 293
Deus cur nobiscum sit 194
Deus dat aliquando iratus, quod petitur 266
Deus donat peccata conuersis 440
Deus: duæ istæ syllabæ, sunt totum quod expectamus 327
Deus & blandiens & flagellans, hæreditatem parat 216
Deus expectat à nobis orationem 123
Deus gratis se vult diligi 263
Deus humilis venit propter magnum superbiæ peccatum 159
Deus idoneus promissor fidelis redditor est 278
Deus illi irascitur, quẽ non flagellat 169
Deus ineffabilis est 339
Deus in prosperis & aduersis benedicendus 192
Deus in sordidos mores non cadit 84
Deus iustè vtitur iniquorum malitia 104. 388.
Deus iustitia hominis non eget. 311
Deus iustus, etiam cum damnat 71
Deus latronem pascit, non pascet innocentem? 12
Deus medicamentum non ponit, vbi vulnus non est 178
Deus merces est sui cultus 269
Deus misericors & iustus 94
Deus modò parcit malis 97
Deus mole non distenditur, nec partitione minuitur 328
Deus non facultatem attendit 4
Deus non implet arcam, sed pectus 263
Deus non nouit, nisi esse 307
Deus noster plenus est charitate 267
Deus nouit quid agat, qui vulnus nouit 204. 213 229
Deus odit peccata sua defendentem 194
Deus pater est, & blandiens, & flagellans 108. 216
Deus pater est, quantum sæuiat 96
Deus pater offensus offensam vindicat matrem Ecclesiam 380
Deus patiens est super peccatores 436
Deus perfecta & plena nostra pax 333
Deus per malos erudit bonos 98
Deus placuit iustis, etiã flagellãs eos 108
Deus plus attendit, quid viuas, quàm quid sones 215
Deus plus irascitur, si parcit 113
Deus præsens vbique 165
Deus promisit hominibus diuinitatem 276 298
Deus propriè eorum Deus dicitur, qui eum diligunt 319
Deus propter se, non propter aliud laudandus 208
Deus quærit cor, non verbà 209
Deus quale bonum sit 338
Deus quando aliquos in terra flagellat,

admo-

admonitio, non damnatio est 436
Deus quare in Christo dicatur passus 367
Deus quare misceat amaritudines huic dulci vitæ 153. 188. 326
Deus quare pauperes fecit 218
Deus quare pluat in mari 203
Deus quare plus omnibus diligendus est 269
Deus quare timeri vult 174
Deus quare vult laudari 199
Deus quem diligit, corripit 96. 232
Deus quem flagellat, ad hæreditatem erudit 107
Deus quid non sit, facilius dicitur 339
Deus quo inuocatur, aliquãdo plenum est blasphemiis 263
Deus quomodo illuminet vultũ suum super nos 250
Deus quomodo mortuus est 279
Deus quomodo nos flagellat? 97
De⁹ recedit à te, eũ tu ab eo recedis 165
Deus reddit vni cuique secundum opera sua 439
Deus requiem venalem habet 343
Deus resistit superbis 90. 154
Deus semper nos amat, siue minetur, siue blandiatur 189
Deus se vult pasci in paupere 72
Deus sibi displicere non potest 475
Deus sicut odit peccata sua defendentẽ sic subleuat confitentem 194
Deus si non vindicet, & deferat; perimus 171
Deus si pascet latronem, non pascet innocentem? 12
Deus solus veram æternitatẽ habet 311
Deus subleuat, non onerat 402
Deus summa merces hominis est 208. 268
Deus tolerat tot corda distractè precantium 123
Deus Trinitas iudex erit: non rusticus cum tridente 425
Deus vbique est per diuinitatis potentiam 165 322
Deus verba non quærit, sed cor 209
Deus vocat auersos, donat peccata cõuersis 440
Deus volũtate & charitate laudetur 208
Deus vult parcere malis 224
Diaboli gloriatio damnatio eius est 166
Diabolo non imputatur adulteriũ 458
Diabolo obfuit sæuitia diaboli 103
Diabolo quare potestas detur 106
Diabolo tribuatur nocẽdi voluntas 100
Diabolum fortem dixit Dominus 465
Diabolus accepit potestatem in infima 107
Diabolus accusator sanctorum est 265
Diabolus ad quid seruauerit vxorem Iob 263
Diabolus alligatus in impiorum cordibus 492
Diabolus angelique eius sunt quasi accipitres 498
Diabolus aut amorem tuum tentat, aut timorem 495
Diabolus biformis est 492
Diabolus desiderat vt non confiteamur peccata 146
Diabolus dominatur iis, qui vitam peccorum gerunt 165
Diabolus & angeli eius sunt quasi milui 490
Diabolus exauditur à Deo; Apostolus non 265
Diabolus facit molestias in sæculo 456
Diabolus homo inimicus dictus 483
Diabolus inuidet nobis regnum cælorum 261. 490
Diabolus lætatur, cũ mẽtẽ corrũpit 498
Diabolus leo dictus est, & draco 498
Diabolus malleus est 102
Diabolus martyres ad passionem traxit 498
Diabolus muscipulam suam tendit 496
Diabolus nescit quanta bona de illo fiant 103
Diabolus non cogit 133
Diabolus non habet accusare eum qui accusat se 147
Diabolus non habet carnem 89
Diabolus nunquam erit Christianus, nec bonus 224. 492
Diabolus obseruat calcaneum 493. 494
Diabolus oppugnat extrinsecus fideles 501
Diabolus ostiarius ad quandã ianuã 107
Diabolus per feminam præbuit viro venenum 265
Diabolus permissus in Iob 99. 494
Diabolus permittitur aut ad pœnam, aut ad probationem 107
Diabolus permittitur tentare ad mensuram 101
Diabolus potestatem non habet, nisi permissus 507
Diabolus potuit inuidere Iob 500.
Diab. præparauit Christo passionẽ 496
Diabolus princeps impiæ ciuitatis 388
Diabolus quando blanditur, magis cauendus 491
Diabolus quare vxorem Iob non occiderit 224. 494
Diabol. quomodo in suis operetur 105
Diabolus quomodo vincatur 98

Diabolus ſatagit vera perſuadere peccata 459.490
Diabolus ſeducere vult illos qui cum illo puniantur 490
Diabolus ſinitur tentare, quantum expedit proficientibus 492
Diabolus ſolũ de ſuperbia punitur 458
Diabolus te impugnat? Deum time 174
Diabolus tentare non ceſſat 492
Diabolus verſipellis eſt 485
Diab. vincitur inimici dilectione 489
Diab. vult nocere & non poteſt 106
Diem craſtinum Deus non promiſit 140. 141
Dies boni non hîc quærendi 176
Dies cæli alij ſunt, quàm dies terræ 307
Dies mali in ſæculo 176
Dies nouiſſima quibuſdã mala erit 408
Dies vitæ incertus 140
Difficile eſt, vt nosipſos nouerimus in hac vita 485
Digitus ſanus in corpore tutior eſt, quàm lippiens oculus 450
Dignitas ſæculi quomodo alba eſt? 234
Dilectio ad inimicos extendenda 432
Dilectio fortis ſicut mors 469
Dilectio fraterna eſt in vnitate charitatis 415
Dilectio perfecta eſt in dilectione inimici 486. 487
Dilectionis officium 474
Diſce inimicum diligere, ſi vis cauere inimicum 165
Diſſimilis Deo ſi fueris, repelléris 166
Diſſimilitudine quiſque longè eſt à Deo 165. 166
Diſtãtia huius, & futuræ vitæ, quæ? 329
Diteſcere alterius paupertate, iniquũ 57
Diues cum moritur, diuitias nõ ſecum aufert ad inferos 15
Diues difficile non ſuperbus 7
Diues epulo quid digerat apud inferos 70. 190
Diues eris, quando rei nullius indigens eris 89
Diues eſt quiſque in eo quod habet 80
Diues & pauper duo contraria 72
Diues & pauper fratres ſunt 84
Diues facilè contriſtatur, periurat, & blaſphemat 84
Diues propter pauperem factus 72
Diues quis dicitur 85
Diues quis magnus 9
Diues quis ſit pauper 8
Diues ſuo malo viuit apud inferos 342
Diuiti purpurato quid profuerunt diuitiæ? 54
Diuitē eſſe, aliud eſt quàm velle fieri 4
Diuitem & pauperem fecit Deus 69
Diuites caueant ſuperbiam 9
Diuites comparantur ſomniantibus 51
Diuites & pauperes in corde interrogat Deus 8
Diuites inimici fiunt verum dicentibus 25
Diuites paupéres non contemnendi 7
Diuites plus egent, quanto plus habent 86
Diuites præda fiunt fortioribus 10
Diuites quare multum habent 88
Diuites quidam ſui, nõ pauperes Dei 6
Diuites vtantur conſuetudine infirmitatis ſuæ 68
Diuitum ſuperflua, ſunt pauperum neceſſaria 70
Diuitiæ angelorum quæ? 69
Diuitiæ appellantur ab iniquitate 17
Diuitiæ bonæ ſunt, ſed bonos non faciunt 38
Diuitiæ charitatis magnæ 80
Diuitiæ exteriores non proſunt, ſi interior premat egeſtas 263
Diuitiæ inflammant cupiditatem 85
Diuitiæ maiores; fides, pietas, iuſtitia, charitas, caſtitas 359
Diuitiæ non nocebunt, ſi tollas ſuperbiam 7
Diuitiæ plenæ ſunt paupertate 87
Diuitiæ quædam in libris ſunt 2
Diuitiæ quid dicuntur 89
Diuitiæ res bona eſt 8
Diuitiæ ſi affluant, calcaeas 12
Diuitiæ ſi fluant, ne apponas cor 12
Diuitiæ ſi fluant, vel hoc time 13
Diuitiæ veræ dant ſecuritatem 87
Diuitiæ veræ quæ ſint 87
Diuitiarum malum ſuperbia 9
Diuitias habere onus eſt 46
Diuitias habent & latrones 400
Diuitias non culpat Scriptura 8
Diuitias quare quærant homines, videtur mirum 11
Diuitias ſi amas, peribis cum illis 87
Diuitias veras qui quęrit, pauper eſt 87
Diuitias vides etiã apud latrones 13. 14
Diuitiis colligendis vana impenduntur ſtudia 2
Diuinitatis participatio nobis promiſſa eſt 276
Doctori ne ſubrepat elatio, laborioſum eſt 460
Dominus Chriſtus quare ſuauis 378
Dominus & ſeruus fratres ſunt 81
Dominus mortem minatur impiis 143
Dominus non ſinit nos habere impunita peccata 153

Domi-

Dominus nouit qui sunt eius 385
Dominus præbuit exemplum humilitatis 97
Dominus, quem diligit, corripit 96
Domus dicitur, vbi semper manebimus 538
Domus nostra interior, cor nostrum 179
Domum suam quare habeat vnusquisque 180
Donatus dirupit ecclesiam Christi 394
Dulcedo promissorum Dei, facit contemni sæculum 188

E.

Ebriosum punit Deus 127
Ecce hic, & ecce illic: de Ecclesia dicta intelliguntur 583
Ecclesia caput serpentis obseruat 412
Ecclesia cœpit ab Hierusalem 378. 384
Ecclesia coniunx Christi parit filios 409
Ecclesia coniunx Domini 381
Ecclesia Dei laudatur 428
Ecclesia dicitur regnum Dei 312
Ecclesia diuersis tentationibus quatitur 379
Ecclesia Domus magna 500
Ecclesia esurit 433
Ecclesia facta est de latere Domini in cruce dormientis 492
Ecclesia fratres, & sorores, & mater Domini est 374
Ecclesia gloriosa quando erit 501
Ecclesia habet infirmitatē humanā 380
Ecclesia in Christo fundata 379
Ecclesia in quibus est 499
Ecclesia in solo Abel erat 408
Ecclesia instat paradisi 411
Ecclesia in terris est ex quo vocantur sancti 408
Ecclesia laborat in terra 348
Ecclesia mater est 386
Ecclesia multos iniquos portat 408
Ecclesia nequaquam vincitur 498
Ecclesia non solos homines habet inimicos 489
Ecclesia per omnes gentes est 378
Ecclesia petra 434
Ecclesia quæ corpus Christi 547
Ecclesia quotidie parit 375
Ecclesia quos manducet 433
Ecclesia releuatur, quādo ab ea exeunt mali 393
Ecclesia super quā petram ædificata 498
Ecclesia sexum virilem habet 375
Ecclesia sponsa est 376
Ecclesia toto orbe diffusa 425
Ecclesia vbiq. apertè prophetata est 591
Ecclesia vna patitur persecutionem, alia non 496
Ecclesiæ inimici non deerunt 422
Ecclesiæ inimici qui sint 422
Ecclesiæ munera qualia sint 400
Ecclesiæ nidus, crux Christi 385
Ecclesiæ partus apparebit in resurrectione 409
Ecclesiæ patientiam & beneuolentiam qui inimici exerceant 388
Ecclesiæ personam quando gerebat Petrus 433
Ecclesiæ sacramenta profluxerunt de latere Christi 362. 373. 492
Ecclesię senectus modò expugnatur 481
Ecclesiæ vbera, duo testamenta 366
Ecclesiam maxime persequuntur mali Christiani 421
Ecclesiam qui relinquit, quomodo est in Christo? 414
Ecclesiam scandalis qui perturbent 408
Egestas miserabilis quæ 435
Elatus non attingit Deum 157
Eleemosyna à morte liberat 71. 118
Eleemosyna sudet in manu tua 57
Emere quid sit 16
Equus grauis etiam velociter currit 192
Est magnum, quod fit 306
Est simplex, est verum, est germanū 307
Esurire, sitire, animæ sunt indicia 352
Eua captiuata à diabolo 495
Eua, de latere Adæ dormientis facta est 378
Eua interior, caro nostra est 494
Euangelium nō legitur in cælo, neque Apostolus 305
Euangelium ponitur ad caput 111
Eucharistiæ munus Ecclesiæ quale 400
Exaudiuntur quidam ad voluntatem, alij ad salutem 264
Excelsus Dñs & humilia respicit 157
Exclusores in arte argentaria 386
Excommunicationem suasit Augustinus 435
Exemplum illustre proponitur 34
Expedit ab imo surgere, quàm ab alto cadere. 448
Experimenta corrigent, quem nō corrigunt verba 37
Exul pectoris sui quis 38

F.

Facultatem non attendit Deus, sed cupiditatem 8
Fames occideret, nisi medicamentum apponeret 164
Fames temporibus Heliæ 276

Fato se quidam ad peccãdum querun tur impelli 132. 150
Felices sunt, qui rectè viuunt 2
Feliciores sunt, qui audiunt, quàm qui loquuntur 460
Felicitas æterna, dextera est 246
Felicitas fallax, maior infelicitas 138
Felicitas germana ipsius Iob Deus erat 247
Felicitas magna: Pars mea Deus 317
Felicitas plus timenda quã miseria 244
Felicitas terrena corrumpit animã 244
Felicitas terrena est sinistra 246
Felicitatem terrenam potest & iustus habere 246
Felicitate sæculi nihil fragilius 244
Felix putatur malus 213
Fera sæuit, Deum time 174
Ferramentum quodammodo Dei noster est inimicus 488
Fidelis cur consulis Mathematicũ? 238
Fidem nemo perdit, nisi qui eam expellit 218
Fidẽ præpone omnibus temporalib. 249
Fides Christianorum resurrectio Christi est 279
Fides habet oculos 234
Fides incomparabiliter totum mundum excedit 19
Fides intentionem dirigit 446
Fides naufragio non potest auferri 20
Fides nihil prodest, si non habeat charitatem 403
Fides non videtur & amatur 32. 87
Fides nostra si dormit, periclitamur 188
Fides scandalis probatur 412
Fides sine operibus est radix sine fructu 446
Fides si venalis esset, haberet pretium 19. 88
Fides tua, iustitia tua 445
Fides vbi non erat, ibi nec bonum opus erat 446
Fides vbi vigilat, ibi trãquillitas est 188
Figmentum luti, templum fit Dei 321
Filij quando sunt alieni 50.
Filij si flagellantur, quid sperabunt serui? 108
Filiis nihil charius quàm pater 83
Filius peccator non dedignetur flagellari 117
Filius vnicus sine peccato, non sine flagello 110
Finem quidquid habet, breue est 309
Fiscus quid sit 48
Flagellari nõ timeas; sed exhæredari 117
Flagellat Deus omnem filium quem recipit 98. 108
Flagellatur vnusquisq. pro peccatis 117
Flagella sua dolent homines 109
Flagello multi corrigũtur à peccato 415
Flagellum Dei noli repellere 95
Flagellum de Saulo fecerat Deus 108
Flagellum Deus fecit de quadã domo in Africa 227
Flagellum est pœna corrigentis, non damnantis 113. 157
Flagellũ facit Deus de peccatore 98. 236
Flagellum medicamentum est contra peccata 109
Flagellum non vis? non tibi dabitur hæreditas 97
Flagellum tuum ex te ipso est 128
Florent hic mali, qui cum diabolo torquebuntur 234
Flumen est omnis mortalitas 13
Flumina Babylonis sunt, quæ hic malè amantur 13
Flumina pendent in nubibus 293
Fœcunditas fœminarum, etiam ad Deum pertinet 251.
Fœminæ corpore integro, salus processit 160
Fœminæ paucæ in Ecclesia habent virginitatem 491
Fœnerari quàm detestandum 60
Fœnerator quando quis sit 60
Fœneratores quomodo se excusent 22
Fœnus prohibet Deus 65
Fœtus abortiui verum resurgent 290
Fons omnium bonorum Deus 253
Formica spiritualis quid faciat 254
Fortitudo Christi te creauit: infirmitas eius te recreauit 362
Fortitudo damnabilis quæ 465
Fortitudo quædam est, non sanitatis sed insaniæ 466
Fortium quoddam genus cauendum 466
Fortunæ imputant quidam quod peccant 133. 150
Fossa ad ima tendit 238
Fouea peccatorum, quæ sit 238
Frater fratrem non angustat in cęlo 304
Fraterna dilectio in vnitate charitatis est 415
Fratrem qui diligit, scandalum in eo non est 414
Fratrem qui diligit, tolerat omnia 415
Fraudem punit Deus 22
Frumenta non interibunt propter paleam 425
Frumentum vim patitur de palea 499
Fulmina quare montem, non latronem feriant 204
Furem punit Deus 137

G.

Gallina quomodo insitmetur cum pullis suis 361
Gaudere de terrenis molestum est & periculosum 326
Gaudere in sæculo noli; gaude in Christo 344
Gaudia quotidiana non desunt 344
Gehenna cogitanda quando 97
Gehenna tibi ipsi non sis 95
Generationes hominum sunt quasi in lauro folia 310
Genus iustorum quid intendant 411
Getuliæ frumentum diu seruari potest 203
Getulia pluuiam non habet 202
Gladiatores licentiosa crudelitate viuunt 139
Gloriæ inanis vitium maximè perfectis cauendum 461
Grana & paleæ ad aream pertinent 409
Grana etsi latent in palea, agricolæ nota sunt 424
Grana in Ecclesia tolerant paleam 393
Grana pauca multam paleá habent 418
Gratia cur sic vocetur 267
Gratia in ortu est: peccata in occasu 95

H.

Habenas laxat Deus ad præsens 243
Habitatores in cælo erimus 327
Hamum qui acceperunt 244
Hæreditas Christi possessorum copia non minuitur 315
Hæreses non fecerunt nisi magni homines 394
Hæreses tot non sunt contra Ecclesiam quot sunt testimonia legis pro Ecclesia 382
Hæresis prima in discipulis Christi, 387
Hæretici & schismatici sunt sarmenta præcisa 378
Hæretici faciunt magnum dolorem in cordibus piorum 389
Hæretici gloriam suam annunciare venerunt 384
Hæretici insidiantur velati pallio nominis Christiani 499
Hæretici insiliunt in animas veneno perdendas 386
Hæretici magni montes, sed mali 394
Hæretici non charitate patiuntur, sed superbia 403
Hæretici omnes à multitudine vnitatis exierunt 385. 391
Hæretici prosunt Catholicis dum exeunt 385
Hæretici quidam dixerunt Christum animam non habuisse humanam; quidam nec mentem 351 352
Hæretici quomodo fiant hæretici, 387
Harmonia nostri corporis 398
Harmonia vnde vocata 215
Heliam quæ cogitatio tentauerit 424
Herba per hyemem viget 215
Homines quasi pisces se deuorant 11
Homines quomodo defendant peccata 131
Homines sunt quos delectat miraculum facere 451
Homini Dei quid desit? 249
Homini fideli quæ recordatio iucunda 193
Homini prodest quo colitur Deus 321
Homini stulto placet qui sibi placet 457
Homines cor superbum recedit à Deo 232
Hominis fidelis totus mundus 71. 249
Homo accepit corpus in famulatum 197
Homo anima est, & caro 197. 355. 369
Homo à se fieri non potest 257
Homo Christianus non debet abundare 87
Homo cùm malus sit, dies eius non est bonus 141
Homo Dei operarius est 238. 276
Homo dicitur cognosci, quia Deus cognoscentem facit 369
Homo & iniquus, duo nomina 126
Homo habet aliquid quod non habent pecora 352
Homo in quo factus ad imaginem Dei 351
Homo labitur per carnem 424
Homo lapsus per superbiam 159
Homo malus in conscientia solatium non habet 179
Homo nocet duobus modis 16
Homo non continuò occidit, quem vult 99
Homo nō potest hic semper manere 15
Homo non potest non habere vel leuia peccata 120
Homo nullus potest dici verbū Dei 352
Homo omnis in actu suo pedes habet 495
Homo, peccator, duo nomina 75
Homo quāto ditior, tāto fit sollicitior 9
Homo re odit, Deum time 174
Homo totus spiritus & caro 197
Honor quid prodest ægrotis? 104
Horreum paratur frumentis: ignis spinis 225
Humilem esse, quid sit 192
Humilis corde benedicit Deum omni tempore 192

Humilis Deus; & adhuc superbus homo? 160
Humilis est qui discit 460
Humilis quid sibi præstat 158
Humilis venit Deus 152
Humilitas Christi superbis displicet 463
Humilitas honorificata in Lazaro 7
Humilitas sanos nos fecit 160
Humilitas tua est, vt cognoscas te 463
Humores mali sunt quidam in Christi corpore 392
Humor malus est qui in malitia permanet 392
Hyems torporis 354

I.

Iacobi epistolam vocat Augustinus canonicam 441
Iacobus quare Abrahæ opus commendauit 445
Iacob ditatus in Mesopotamia 248
Ianua cupiditatis in Christo tentata 496
Ieiuniũ aliquod luxuriæ deputãdũ 268
Ieiunium opus Christianum 341
Ieiunium pugnat contra ventrem & guttur 341
Ignis ab auro sordem tollit 481
Ignis & aqua vtrumq. periculosum 245
Ignis in exorcizãdo curadhibeatur 245
Ignis prius occupat proxima 486
Ignis vrit: aqua corrumpit 245
Ignoscere quid sit 157
Imaginem Dei qui ad nihilũ redigãt 52
Imago Dei exterminatur per vitam peruersam 127
Immortalitas corporis suspenditur in contemplatione Dei 305
Immortalitas erit vestis nostra 299
Immortalitate malè vsi sumus 160
Immundo spiritui peccata placent 128
Imperator & miles fratres sunt 84
Imperatorem flere ad memoriã piscatoris, æquum est 465
Impiorũ via felicitas transitoria est 233
Impius sæuit, vt iustus probetur 235
Indulgentia peccatorũ promissa est 140
Infantes hic sumus comparatione Dei & angelorum 273
Infantes mortui in qua ætate resurgent 290
Infantia auolat in pueritiam 298
Infelicitas nullum frangit, quem prosperitas non corrumpit 244
Infelicitas quasi ignis est 245
Infirmi quando cadũt in scandalũ 416
Infirmi tristantur futura morte 219
Infirmitas facit diu videri quod cito est 235.
Infirmitas nostra, causa humilitatis Christi 150
Inimicitias perpetuas contra diabolum habemus 459
Inimicum disce diligere 165
Inimicus nullus intrat in cælum 299
Inimicus quod machinatur in perniciem, hoc Deus vertit in adiutorium 318
Iniqui omnes sunt vasa diaboli 465
Iniquitas displiceat tibi 126
Iniquitas lædit cor iniustum, non hominem iustum 19.128
Iniquitas punienda 131
Iniquitas quomodo manducetur 191
Iniquitas quorũ mentes nõ vincat 231
Iniquitatem qui amat, odit animam suam 218
Iniquitatem qui punit, facit æquitatem 131
Iniquum, velle ditescere alterius pauperiate 57
Iniusti conscientiam sibi debent, non amicitiam 412
Iniusti duo vix se mutuo patiuntur 413
Iniustitia aliena quantum torqueat hominem 170
Iniustum est putare diuitias, quæ non auferant egestatem 88
Innocens est qui non nocet 483
Innocens quando quis verè est 217
Innocens quis sit 17
Innocens videtur, qui emendo auget patrimonium 16
Innocentem esse quid sit 16
Innocentia lata est 179
Innocentia, non paruæ diuitiæ 18
Innocentia pretiosa res est 17
Innocentia sit tuum patrimonium 17
In omni tribulatione ad Deum confugiendum 182
Inopem & superbum quis ferat? 7
Inquilini hic sumus 327
Inquilinus hic es, non possessor 304
Insanit, qui laudat quod bonum non est 201
Intentio facit opus bonum 446
Inter pressuram & scandalum quid interest 417
Intrare per ianuam, quid sit 455.456
Inuidentia superbiæ comes 458
Inuidia imparis charitatis non erit in cælo 313
Inuocandus est Deus tanquã Deus 264
Inuocare Deum quid sit 262
Iob animæ integritatem seruabat 97
Iob cautior in stercore, quàm Adam in paradiso 100.224

Iob diabolum non videbat 100
Iob erat tuba ductilis 101
Iob exemplum est benedicētis Domi-num 192
Iob intus Deo plenus 87. 417
Iob non erat fine peccato 97. 110
Iob nō etubuit sua peccata cōfiteri 154
Iob nouerat rectorem suum & tentato-rem 100. 105
Iob pauper erat cùm esset diues 6
Iob sedebat in stercore, & currebat in via 494
Isaac figura Christi 390
Ionis stella 200
Iter iustorum nouit Dominus 233
Iubilare quid sit 318
Iudæa sola prophetas viuos habuit 399
Iudæi portant codices nostros 379
Iudæi sperant resurrectionem ad carnis voluptatem 268. 297
Iudas de Christi manu & mensa com-municauit 400
Iudas tradidit filium Dei 98
Iudicia duo insinuantur per scripturas 435
Iudicium amandum bonis 439
Iudicium sine misericordia cui erit 70. 441
Iumenta Dei sumus 112
Iumentum dicitur quasi adiumentum 112
Iurisperitus imperitior perfecto sutori præponitur 196
Iusti multi sunt, sed latent 424
Iusti nihil mali patiuntur 116
Iustitia Dei bene vltur malis 103
Iustitia panis est 191
Iustitiam non percipies, si tibi placet iniquitas 165
Iustorum labor flagellum patris est 231
Iustum est quod exigit Deus 170
Iustum non potest non esse bonum 135
Iustum recipere in nomine iusti, quid sit 76
Iustus nemo nisi humilis & pius 210
Iustus non machinatur alicui iniu-stitiam 19
Iustus potest etiam habere terrenam felicitatem 246
Iuuenis sit senex 258

L.

LAc se nobis fecit Christus 367. 370
Lapides in cælo sunt, qui sunt ciues 331
Latro & fur innocentius ægrotarēt 111
Latro vbi nō potest, non facit malum, & tamen latro est 32
Laudant Deum cibus & potus 212
Laudare Deum debemus etiam spe mercedis 207
Laudatores hominum expectant mer-cedem 207
Laudis securitas in Dei laude est 209
Laus fidei Christianorum 280
Laus humana non culpanda 447
Laus humana ad Dei laudem referenda 447
Laus nostra lætitiam habet 193
Lazarus prodibat cum vinculis 151
Lectio modo est necessaria: in cælo non erit 305
Lectus doloris, infirmitas carnis est 110
Leges aliquando venduntur 24
Leo canem latrantem contemnit 227
Lex de dilectione etiam se extendit ad inimicos 478
Lex Christi quæ sit 415. 444. 476
Lex peccare non nouit 415
Lex quid est, nisi mandatum? 415
Liberiu cælo non erit necessarius 305
Libido confusionis causa 276
Ligno syluatico cōparatur paganus 422
Lignum distortum, æquali pauimento non compaginatur 221
Lilium inter spinas 410
Lingua dolosa quæ 420
Lingua popularis plerumque doctrina salutaris est 224
Lingua quādo bonum est organum 33
Lingua quando vocem pedis suscipit 344.
Linguas aduersantium qui passus non est, non proficit 420
Lites existunt propter illa, quæ singuli possidemus 317
Loca diuersa homines morientes susci-piunt 15
Locus Dei quando fit in nobis 127
Longæuum pro æternitate ponitur 309
Longitudo dierum, æternitas est 249
Lucri promissio est quasi esca in mu-scipula 213
Lucrum quis optat, nisi damno al-terius? 11
Luminaria in festiuitatibus sancto-rum accendebantur 301
Lupus inter latratus canum non audet rapere 227
Lupus tantum vult nocere quantum leo 227
Lutherus diuisit corpus Christi 394

M.

MAchabæos Deus in igne non deseruit 204
Macta & manduca, quid sit 434
Magna excusatio: Filiis meis seruo 49

Magna felicitas, Pars mea Deus 317
Magna pietas; thesaurizat pater filiis 43
Magna res militare 13
Magnificentia est in angelis 457
Magnum est, amare bonum 32
Magnum est stare inter angelos 329
Magnum non est credere quia mortuus est Christus 279
Mala finguntur de luminatibus cœli 204 230
Malè quis secum faciat 69
Mali ad Antichristum pertinent 482
Mali ad tempus ferendi sunt 393
Mali aduersus malos etiam murmurant 423
Mali cum bonis cuncta sacramenta accipiunt 409
Mali etiam in suo malo quærunt beatitudinem 255
Mali faciunt mala de bono auro 32
Mali florent, boni laborant 233
Mali mixti sunt bonis 482
Mali nulli apparent, nisi ipse factus fuerit bonus 421. 482
Mali plures quàm boni 411
Malos qui humiliter fert, ipse peruenit ad requiem 393
Malos tolerare necesse est. 422
Malus floret ad tempus 229
Malus quare bonum persequitur 481
Malus quisquis est, malè secum est 179.
Malus quisquis est, non putet neminem bonum 424
Malus vt cognoscatur, intus est probandus 427
Malo quod teneo quàm quod spero, dicunt quidam 10
Mamillas viri quare habent? 296
Mamillatum pectus decet viros 296
Manasses pœnitentiam egit 156
Manducare de sinistra, reputatur iniutia 246
Manichæi dicebãt solem esse Christum 230
Manus porrecta ad accipiendum 71
Mane significat prosperitatem 213
Maria virgo etiam mater membrorum Christi 375
Mari noli credere nec ridenti 12
Mars homicida, non tu? 133
Mars non facit latronem 111
Martyres charitate accensi 469
Martyres charitate passi sunt 403
Martyres corporis sanitatem contempserunt 300
Martyres facit Deus de malorum sæuitia 99. 135
Martyres grauissima passi sunt 342
Martyres ob quod bonum ad bestias damnati 342
Martyres opus bonum perfecerunt 418
Martyres quibus exitibus exierunt 204
Martyres sanctos laudamus 96
Martyrio optant quidam filios suos coronari 56
Martyrum corpora bestiæ deuorauerũt 328
Martyrum festiuitas 328
Martyrum magna gloria 56
Mater quæ, frustra carne 55
Mater quo infantem alit, incarnat panem 378
Matres crudeles non sunt fricãtes paruulos suos 267
Mediatorem esse, quid sit 347. 355
Medicamentum nullum sanat nisi oportunè adhibitum 472
Medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ 164
Medicina est quod pateris 96
Medicina lassitudinis est sedere 174
Medicina quomodo nostris vulneribus accommodata 159
Medicinæ adiutorium actio excellens 304
Medici artis sitæ potentiam in desperatis ostendunt 449
Medici quomodo diligant ægrotos 428
Medico omnipotenti nihil insanabile 163
Medicus Deus phreneticum sanare venit 160
Medicus homo non est, sicut medicus Deus 161
Medicus nouit vitium 110
Medius non est nisi inter duos 347
Meditatio præsentis vitæ sit in laude Dei 193
Melius te quod sit, quære 236
Membra corporis omnia in cœlo integra erunt 295
Membra nostra sunt sedes capitis 315
Membra nunquam sibi contraria sunt 392
Membra tenenda aduersus cõcupiscentias 128
Membrorum nostrorum constitutio est quasi harmonia 393
Membrum est in Christi corpore, qui se in melius commutat 392
Mendicus aliquando inflatus 8
Mendicus Dei est etiam diues 66
Mens hominis est nummus Dei 19
Merces nostra tota, visio erit in cælis 336
Merces nostra vita æterna 377

Mercimonia regionis huius nostræ, quæ 281
Mercurij stella 230
Meretrices & adulteræ defendunt sua peccata 132
Militare, quibusdam magna res 13
Millia dierum desiderant homines 309
Miracula possunt facere homines scelerati 454
Mirum est quomodo Deus probat homines 380
Miseres, si non à Deo inhabiteris 332
Miseria adfert ex tribulatione fructum 244
Miseria generis humani, dolor medicinalis 153
Miseria, indiuidua malitiæ comes est 255
Misericordia Dei est, vt nostra peccata dimittat 150. 431
Misericordia etiam iniquo facienda 75
Misericordia iusto quomodo faciēda 72
Misericordia non deserit timētem 174
Misericordia nulli claudenda 443
Misericordiæ opus prodest in diuite & paupere 78
Misericors in alium non est, qui crudelis est in seipsum 17
Miseri qui ad conscientiam suam nolunt redire 181
Miserorum miseria facit nos compatientes 326
Molendinum mundus iste 430
Mons percutitur vt homo mutetur 104
Montes æterni qui 395
Montes naufragosi qui 395
Morbus diuitiarum, superbia magna 2
Morbus quomodo ingressus 160
Mors in cælo non est 307
Mors quædam est, non esse, quod fuit 311
Mors vbi non est, ibi nec connubia sunt 297
Mors vndecunque pio, bona est 204
Mori quis resistit? 469
Mortis violentiā vitare non potes 469
Mortales nascimur ex vinculo peccati 136
Moyses, Aaron, Samuel, sine querela versabantur 167
Moyses mortuus est 398
Moyses solùm missus ad populum Israēl 372
Mulier catholica præcellit virginem hæreticam 492
Mulier peccatrix, meretrix fuit 156
Mulier quando mater fit Eua 419
Mulier quare de osse formata 363
Multi acquiescunt in alea 187
Multi euersi per diuitias 10
Multi dati sunt malo suo in manus suas 265
Multi perditis moribus corda piè viuentium cruciant 388
Multi perierunt propter sua temporalia bona 9
Multi propter diuitias quæsiti & correpti sunt 10
Multi propter pecuniam quæsiti à raptoribus 10
Multi timentes verbum asperum, incidunt in muscipulam venantium 419
Multi timent res aduersas, prosperas non timent 244
Multum distat inter caput & cætera membra 351
Mundatio nostra quotidiana dominica oratio 119
Mundus Apostolorum tempore declinabat in extrema 379
Mundus si ruit, quare non migras? 37
Murmurandū non est aduersus Deum 241
Muscipula diaboli quæ 496

N.

Nathanael doctus in lege creditur fuisse 464
Nauigare & negotiari quibusdam magnum videtur 14
Necessaria dentur pauperibus 68
Necessitas, mater est omnium actionum humanarum 304
Necessitas omnis magis ferenda, quàm peccandum 23
Negotiatores pro pretiis rerum mentiuntur 20
Negotio otioso beati erimus in cęlo 308
Negotiū non potest esse sine fraude 22
Negotium otiosorum quod 308
Negotium quale agemus in cælo 308
Nemo ante Christum resurrexit semper victurus 281
Ne nō dicet in cælo, Diu vidi, diu laudaui, steti 304
Nemo iniustum lucrum habet sine iusto damno 30
Nemo iustus nisi humilis & pius 210
Nemo laudat nisi quod ei placet 205
Nemo patiens est in bonis 188
Nemo præsentia bona speret 189
Nemo promittat sibi quod Euangelium non promittit 175
Nemo sine peccato 117
Nemo te de fide excutiat 103
Nihil intulimus in hunc mundum 81

Nihil, quantumuis magnum, prodest separatis ab Ecclesia 404
Nobiles genere non superbiant 84
Nobiles quid quondam fecerunt 77
Nomen Christianum non prodest sine factis 83
Nomen cuiuslibet contemptibilis, est scriptum in cælo 451
Nos cum capite nostro in cælo sumus 348
Nouit Dominus qui sunt eius 385.389. 415.434
Nubes terror quò Deus vult 202
Nubium aggeres contrahit Deus in momento 287
Nulli prodesse, impium est 426
Numerus duodenarius non fuit sine malo 422
Nummus nō valet plus, quàm Deus 19
Nycticorax est auis amans noctem 364

O.

Oculi Domini super iustos 158
Oculi ventilatoris nostri non falluntur 424
Oculus imperitus aliud iudicat, quàm artificis regula 169
Oculus pascitur luce 274
Odimus securi in malis malitiam 485
Odium peccatorum facit nos similes Deo 125
Officium nostrum non initio sed fine pensandum 446
Omne prosperum magis metuendum est 243
Omnes malè viuentes, Domino maledicunt 210
Omnes noscemus qui erūt in cælo 395
Omni petenti te, da 75
Omnis qui natus est, cedat oportet nasciruro 13
Omnipotens Dei bonitas 134
Onera, alter alterius quomodo portemus 46. 443.476
Opera bona gladij sunt interficientes inimicum 500
Opera bona semina sunt 73.78
Opera Dei multis displicent 215
Opera misericordiæ cur in cælo cessabunt 301
Opera necessitatis in cælo non erunt 302
Opera quamuis laudabilia ante fidem facta, inania sunt 446
Opus bonum intentio facit 445
Orare, sentinare est 118
Oratio gemitum habet 193
Oratio sua locutio est ad Deum 124
Orationes impediuntur vanis cogitationibus 115
Oratores etiam elegit Dominus 465
Ornatum quædā in corporibus nostris habent 256
Os quod mentitur, occidit animam 418
Ossa audientis non habent saltum 461
Ossa in carne firmiora sunt 363
Otiari posse in Ecclesia annuis prouentibus, quibusdam res maxima 13

P.

Palea ardet, vt aurum probetur 236
Palea etiam ad aream pertinet 409
Palea ignem timet 437
Palea volat, frumentum manet 425
Panis noster, Christus 274
Panis noster in cælo, iustitia, potus, sapientia 299
Parentes etiam post mortem volunt vt suis bene sit 56
Parentes generant, non creant 320
Parentes quare timent aliquando generare 55
Paries dealbatus, quid sit 384
Parietinæ quæ 364
Passer, instabilis res est 395
Passione humilitatis venitur ad potentiam regni 454
Pastores boni & mali sunt 413
Pater est, qui te flagellat 96
Pater homo erudit filium hominem 107
Pater irascitur filio 95
Pater ne irascatur, cùm ei Deus præponitur 374
Pater noster mori non poterit 316
Patrem & matrem quomodo Christus reliquit 373
Patrem nostrum debemus imitari 438
Patrem, patrimonium, patriam alibi habemus 275
Patres hic semper habere non potuimus 340
Patriam non amat, cui peregrinatio dulcis est 324
Patria nostra, pax vocatur 335
Patriarchæ negotiati non sunt 21
Patriarchæ placuerunt Deo 311
Patrocinium linguæ est actio excellens 304
Paulus bonus mons 396
Paulus colaphizatur tanquam puer 449
Pauli epistolæ vigent in Ecclesia 449
Paulo Apostolo quidam docti detrahebant 416
Paulus dolore quodam corporis exagitatus 171.449
Paulus excellentissimæ gratiæ fuit 449

Paulus habebat diuitias 9
Paulus non habuit bonos dies 177
Paulus viuit nunc cum Christo 398
Pauper aliquando superbus: diues humilis 8
Pauper beneuolus est qui pro te orat 60
Pauper ciuis est regni cælorum 65
Pauper debet esse humilis 7
Pauper Dei verus in animo est 8
Pauper eleemosynã facit in diuitem 80
Pauper & diues occurrerunt sibi 74
Pauper foris, diues intus 251
Pauper in arca, diues in conscientia 80
Pauper propter diuitem factus 75
Pauper securus Deum laudat 14
Pauperes laturarij diuitum sunt 65.68
Pauperes non habentes pecuniam, habent auaritiam 6
Pauperes præstant sibi 79 81
Pauperes quando diuites 359
Pauperes qui sunt 8
Pauperes securiores in perturbationibus sæculi 9
Pauperibus qui dat, Deum fœnetat 50
Pauperi plus est videre cælum stellatum, quàm diuiti tectũ inauratũ 342
Pauperi quare Deus non det 69
Pauperis manum noli contemnere 51
Pauperis personam in iudicio non accipienda 442. 311
Pauperum fideiussor est Deus 60
Pauperum millia innumerabilia 5
Paupertas onus est 46
Paupertatis meritum non in Lazaro fuit, sed pietatis 6
Pace consolamur in pressuris 335
Pace nihil gratius, nihil desiderabilius 335
Pacem non amant, qui diuidunt vnitatem 335
Pacem non hic promittit Deus 178 131
Pacem qui amat, & Christum amat 394
Pacẽ qui sibi promittit, securus à diabolo inuadirur 496
Pacem æternam quis nõ desideret? 333
Pacis spectaculum dulce 336
Pax Dei superat etiam intellectum Angelorum 334
Pax in terra hominibus bonæ voluntatis 79
Pax perfecta vbi 178 294
Pax, piæ actionis finis est 336
Pax plena quando erit 3·1
Pax possessio piorum est 335
Pax putgata in filiis Dei 333
Pax quid hic agat 335
Pax vera quando erit 138
Pax voratur magnum bonum 335
Peccare de necessitate aliud quàm in abundantia 28
Peccasti: quid defendis te loquẽdo? 117
Peccata excedunt numerum capillorum 310
Peccata lethalia quæ 118
Peccata leuia non cõtemnenda 120.444
Peccata minuta purgabãtur in Iob 120
Peccata minuta si negligantur, occidunt 118
Peccata multa ad diuites videntur pertinere 89
Peccata non sola sunt, quæ crimina nominantur 119
Peccata odio habenda 125
Peccata quare vult Deus vt confiteamur 146
Peccata quis potius addat quàm minuat 29
Peccata sua quibusquidam imputent 136
Peccata sunt quasi in occasu 95
Peccato nulli impunitas relaxanda 443
Peccator aliquando irascitur Deo 321
Peccator aliquem vsum hic habet 236
Peccator aliud; aliud homo 75
Peccator cùm venerit in profundum, contemnit 138
Peccator vnus in domo Noë inuentus 311
Peccatori date in nomine peccatoris, quid sit 75
Peccatori debetur supplicium 162
Peccatores diuina dispositio nõ facit, sed ordinat 186
Peccatores quate minus aliquando flagellantur 97
Peccatorum confessio fit eum laude Dei 149
Peccatorum defensio, magna iniquitas 131
Peccatorum indulgentia 139
Peccatorum remissio, magna Domini misericordia 443
Peccatum cum desperatione, certa mors 138
Peccatum homo fecit: Deus hominem 442. 485
Peccatum inultum pœnam habet pedissequam 134
Peccatum parit concupiscentia 24
Peccatum puniendum est 129. 131
Peccatum qui confitetur, à morte reuixit 151
Peccatum superbiæ magnum 139 462
Peccatum tuum sit ante te 457
Pecora animam habent 351

Pecora intellectum non habent 206
Pecori quid bonum ſit 340
Pecunia à pecore vocatur 257
Pecunia bona res 4
Pecunia nihil eſt 10
Pecunia non facit te beatum 258
Pecunia quare rotunda ſignetur 4
Pecunia quid ſignificet 257
Pecunia res volubilis 4
Pecuniam acquiris, perdis innocentiam 17
Pecuniam aliquando quis accipiat malo ſuo 266
Pecuniam perde, ne perdas iuſtitiam 19
Pecuniã qui habet, paſcat pauperem 82
Pecuniam qui non habet, non habet vnde infletur 7
Pecuniaria mercede omnes artes venales 24
Pedes affectus ſunt 156
Pedes tui, charitas tua eſt 168
Pelicani natura qualis 363
Pelicanus naſcitur in ſolitudinibus Nili fluminis 364
Pellis mortalitatem ſignificat 397
Pellis nomine etiam diuina Scriptura ſignificatur 398
Perde pecuniam, ne perdas iuſtitiã 19
Perditum habeo, quod non video, dicunt quidam 62
Peregrinatio ad loca ſancta 328
Peregrinatio cui dulcis eſt, non amat patriam 324
Peregrinationis ſuæ quem pœnitet, patriam optat 323
Peregrini qui miſeri? 325
Peregrinus nuſquam eſt, qui condidit omnia 194
Peregrinus qui non gemit, non gaudebit ciuis 326
Perfecta dilectio Chriſtiani 98
Perfecti quædã hominibus videntur 169
Perfecti hic viuunt, propter alios 433
Perfectus non eſt, qui timore gehennæ non facit malum 32
Periculoſum eſt gaudere de terrenis 326
Perire nullus poteſt ex prædeſtinatis 389
Periurare non ceſſat malitia 37
Periuri ſunt aliquando ſutores 20
Perpetranda non eſt iniquitas 23
Perſecutionem pij patiuntur in cordibus 379
Perſecutores permiſſi in martyres 99
Peruerſi putant Deum peruerſum 222
Peruerſi ſunt, qui eſſe mali volunt, non miſeri 255
Petra diſſoluit fluctus maris 12
Petra in mari quomodo ſe habet 11
Petrus à petra vocatur 379
Petrus Chriſto ſcandalum fuit 417
Petrus geſſit figuram Eccleſiæ 379
Petrus niſi in Chriſto non poterat facere miracula 452
Petrus petra 434
Petrus piſcator: Cyprianus orator 464
Petrus primus Apoſtolus abũdantiori gratia 379
Petrus, Zachæus, vidua, tantundem emerunt 73
Phariſæus iactabat merita ſua 158
Phreneticis nihil fortius 466
Piſces currunt ad aquam dulcem 203
Piſcis deuorans minorem, deuoratur à maiore 11. 42
Pij in laboribus fatigantur 253
Pium laborantem videre, non eſt leue 243
Plumbo quid grauius? 293
Pœna eſt tantummodo à facie Dei ſeparari 437
Pœna interuerſoris intelligitur ex pœna pigri 426
Pœna ſua eſt, quem torquet conſcientia ſua 179
Pœnitentes etiam in membris Chriſti ſunt 361
Pœnitentia bonorũ & humilium 119
Pœnitentia infructuoſa, quando 441
Pœnitentia non infructoſa apud inferos 147
Pœnitentiæ dignus fructus 147
Pompa ſæculi non facit hominem beatum 258
Pompa ſuperbiæ quando mutabitur in pœnam 69
Pompæ volaticæ 51
Pons miſericordię Dei non eſt ſubuertendus 241
Portus alicunde habet aditum 427
Portus indulgentiæ promiſſus 140
Potentia quanta in angelis 457
Potentior quærit infirmiorem 10
Poteſtas diaboli irati eſt pœna damnati 107
Poteſtas non eſt niſi à Deo 99
Poteſtas omnium penes Deum eſt 100
Praui corde, qui ſunt 220. 225
Prauicordes tres habent ſententias 210
Prauicordius quis ſit 221
Præceptum breue: Ille placet Deo, cui placet Deus 215
Præda, quam auarus vult rapere, eſt in muſcipula 12
Præda ſi tibi ſit minor: præda eris maiori 19

Prædi-

Prædicatores magni montes 395
Prædo fit præda 42
Prægnans ignorat quid portet 320
Prælum in torculari ad quid valeat 417
Præmium fidei nostræ visio Dei est 366
Præsumptio, altum tribunal; sed ruinosum 382
Præuaricator, redi ad cor 240. 421
Prodesse nulli, impium est 426
Prodire foras, quid sit 151
Professio omnis habet fictas personas 431
Professionem vident homines, cor nouit Deus 430
Profundum magnum, vbi contemni tur Deus 138
Promissum Dei finale, quod 298
Prophetæ & Apostoli post mortẽ plus innotuerunt 399
Prophetæ obscuriùs de Christo, quàm de Ecclesia dixerunt 390
Prophetiæ dispensatæ omnibus gentibus 372
Propitius non dicitur Deus, nisi peccatis 168
Prospera res, animo pernitiosior 244
Prosperitas seculi quasi aqua est 245
Prosperitas terrena quæ sit 192
Prosunt hæretici catholicis, dum ab his exeunt 385
Prouerbium antiquum: Vbi caput, ibi & membra 282
Prouerbium: Quantum habebis, tantus eris 57
Proximus [illegible]er quis sit 478
Puer ad quid nascatur 341
Puer à fletu incipit viuere 325
Pueri ponunt nummos in thesaurario 63
Pueritia migrat in adolescentiam 298
Pugnamus quotidie in vno corde nostro 427
Pulchritudo summa, iustitia est 377
Pulicis membra quis disposuit? 202
Puteus magnus, profunditas iniquitatis humanæ 137

Q.

Qualis diues reputetur pauper 8
Qualis hinc exis, talis redderis alteri vitæ 236
Quanta duritia, quam nec experientia docet? 163
Quanto quis ditior, tanto timidior 14
Quasi in somno hîc viuit homo 52
Quæstio mota ab aduersario, discendi existit occasio 388
Quid est homo? Caro 85
Quid fragrantius inspiratione veritatis? 258
Quid prodest, si dominum confiteris; & blasphemas eius Ecclesiam? 381
Quid suauius pane angelorum? 371
Qui gaudet de nũmo, timet furem 14
Qui non proficit, non videt iniquitates 421
Quis resurgit, nisi mortuus fuerit? 281
Qui sunt, qui intrant per ianuam 325
Qui sunt, qui oderunt pacem? 393
Qui vult, quod Deus vult, rectus est corde 218
Quis non ægrotat in hac vita? 164
Quis optat hæreditatem, nisi morte alterius? 11
Quisquis amat carnaliter, cum zelo pestifero amat 318
Quod inuenisti, & non reddidisti; rapuisti 31

R.

Radicem nostram sursum habere debemus 350
Radix malarum cupiditatum de corde extirpanda 5
Radix nostra, charitas est 350
Rapina non cessat grassari 37
Rebecca gestabat typum Ecclesiæ 409
Recedere non potes ab iniquis: ab iniquitate recede 421
Recti corde ad dexteram erunt 225
Recti corde qui in scripturis inueniantur 212
Recti corde qui sunt 214
Recti corde: qui sint 217
Recti corde sunt, qui inueniuntur vt Iob 214
Recti qui sint 215
Rectum cor quod sit 217
Rectus corde, quis sit 220
Rectus est Deus 218. 220
Regnum Christianorum modò colligitur 312
Regnum cælorum tanti valet, quantum habes 72
Regnum cælorum venale est 75
Regnum Dei adhuc ædificatur 313
Regnum Dei non minuitur possessorum numero 319
Regnum Diaboli, carcer eius est 106
Regnum fulgebit in regno 312
Reprehensio peccatoris, làus Dei est 150
Requiem sempiternam promittit Deus 178
Requies æterna, æterno labore rectè emeretur 344
Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur 70

Res deterior, te meliorem non potest facere 256
Res prospera donum est Dei consolatis 188
Res terrena non facit hominem beatum 258
Res vehementer metuenda, quæ 137
Respectio, ignoscentis est 157
Respicere retro, quid sit 183
Resurrectio corporum non fiet in statuarum similitudinem 204
Resurrectio multis modis astruitur 286
Resurrectionis nostræ in se Christus exemplum ostendit 308
Retributiones Dei cogitandæ 102
Rex à regendo dictus est 222
Rixæ non possunt non existere 178
Rixatur cum Deo, qui peccata non confitetur 127
Roma vastata 96

S.

Sacerdos dictus à sanctificando 222
Sacrificium Deo spiritus contribulatus 129
Sæculum est veluti mare 11
Salus corporis à Deo petenda 111
Salus tua Christus est 164
Samuel infans ad templum datus 169
Samuel senex mortuus est, 170
Sancti Dei sunt regnum eius 322
Sancti in cælo fruuntur verbo Dei sine lectione 305
Sancti luminaribus comparantur 229
Sanctorum corpora resurgent sine vllo vitio 292
Sanctus quomodo quis fit 356
Sanctificatus cùm fueris, eris etiam magnificus 457
Sanctimoniales indisciplinatæ 431
Sanctimonialis si nupserit, adultera 174
Sanitas multis obest 111
Sanitas vera, quæ 360
Sanus vnus fert faciliùs duos ægrotos quàm hi se inuicem singulos 424
Sapientia Dei infirma facta propter nos 363. 366
Sapientia Dei quibus stultitia 160
Sapit bene quod fames accendit 68
Sarmēta præcisa ignis expectat 413 349
Satanam quidam accusant 133
Satanas astutiam fuadendi habet 133
Satanas non cogit inuitum 133
Saturni stella 230
Saturnus non facit auarum 111
Saul malus rex prophetauit 400. 404
Saxa vbi sunt, ibi naufragia 395
Scandala ferramenta sunt 498
Scandala mensuram à Domino accipiunt 498
Scandala non defutura prædixit Dominus 412
Scandala non sentit, nisi qui ambulat viam Dei 189
Scandala per quos veniant 413
Scandali laqueus quem suffocet, 23
Scandalum quid sit 417
Scandalum qui patiantur 414
Scandalum qui patiuntur, pacem perdunt 415
Scientiam qui apponit, apponit & dolorem 114
Scriptura beatum dicit, qui post aurum non abiit 32
Scriptura diuina cessabit aliquando 399
Scriptura sacra, cælum dicitur 397
Scripturæ, litteræ sunt missæ de cælo 323. 328
Scripturæ superiora, præcepta charitatis sunt 400
Scripturam ad quid Deus dedit 318
Securitas vbi, si nec in portu? 427
Securus qui vult gaudere, in illo gaudeat qui non potest perire 15
Senectus longissima, est quasi aura matutina 236
Sensus omnes in capite sunt 351
Sentina neglecta facit hoc, quod fluctus irruens 118
Separare debet, qui nescit errare 414 415
Septuaginta ferme homines recesserūt à Domino 414
Serpens insidiatur: Deum time 174
Serpens obseruat calcaneum 463
Serpens superbię, quā sit metuēdus 459
Serpens susurrare non definit, vt facias iniquitatem 418
Seruo bono iniuria domini, cōtumelia maior est 230
Seruus Dei quærendus, cui des 77
Seruus malus est refrenandus verberibus 433
Sexum qui instituit, restituet in resurrectione 296
Siliquam vnam damus pro thesauris sempiternis 344
Simon Magus amauit miraculorum potentiam 455
Simon Magus etiam munus sacramētorum est adeptus 400. 404
Sinistra nesciat quid faciat dextera 250
Sion interpretatur speculatio 323
Sitis perimeret, nisi extingueretur pota 163
Sol nouit Christum esse Dominum suum 230

Solem

Solem Christum esse dicunt quidam hæretici 230
Somnus noster quando laudat Deũ 213
Spes & desperatio in peccatis timendæ 140
Spes veniæ non tibi intercludatur 132
Spes veniæ quare data 140
Spina in luxuria libidinum 95
Spinæ ad ignem erescunt 415
Spinæ in honorum cupiditate 95
Spinæ non pungunt in radicibus 48;
Spiritibus immundis quædam malevolentia est insita. 490
Spiritui sancto peccata displicent 128
Spiritus sanctus est in confitente 128
Sponsus ad quid arram det sponsæ 260
Sponsus Christus, vbique nobis pulcher occurrit 376
Stabilitas est In æternitate 305
Stabulum itinerantium est hic 15
Stat, qui Deo fruitur 329
Stellas non extinguit nox 211
Stellis quando conuiuia fiant 230
Stultis non dabit Deus regnũ cælorũ 17
Stultus est qui non nisi in temporalibus putat esse felicitatem 246
Stultus in risu exaltat vocem 121
Stultus si est qui recondit sua: quo nomine vocabitur, qui rapit aliena? 27
Successio necessaria non est, vbi deletur decessio 297
Suggestiones malæ non desunt 127
Suggestio non intret in cor, quæ mala est 427
Superbia caput malorum omnium 463
Superbia dãnatur in diuite epulone 7
Superbia in benefactis plus est metuenda 459
Superbia initium omnis peccati 461
Superbia malum diuitiarum 9
Superbia maximum delictum 159
Superbia nos vulnerauit 160
Superbia quàm sit timenda 449
Superbia tentauit Christi discipulos 450
Superbia, vermis diuitiarum 7
Superbiæ comes est inuidentia 458
Superbiæ morbus in diuitiis cauẽdus 7
Superbiam comitatur inuidentia 459
Superbiam cura, & nulla erit iniquitas 463
Superbiam tolle, diuitiæ non nocebunt 7
Superbus in se vult laudari 192
Superbus omnis se attendit 457
Superbus quid sibi præstet 158
Superbus vt non inuideat, fieri non potest 458
Superbus vult se frui 329
Superflua nõ tribuere, fraudi simile 72
Superflua sunt multa, si solum spectes necessaria 70
Superflua tua, aliorum sunt necessaria 70
Superflua tua necessaria sunt aliis 68.75
Supplicia terreant, quem præmia non inuitant 437
Supplicium debebatur peccatori 162
Supplicium æternum debetur peccatis 168
Sursum corda: Augustini ætate recitabatur in Ecclesia 47.67.229.342 350
Sursum sumus cum capite nostro Christo 350
Sutores etiam mendaces sunt 20
Syllabæ duæ sunt totum quod expectamus 121

T.

Tabernaculum, peregrinantium est 331
Taurorum congregatio, quæ sit 386
Tela quibus vincitur diabolus 500
Temperare, nullis in cælo dicetur 326
Templum Dei omnes sumus 321
Templum Dei qui corrũpit, corrumpet illum Deus 17
Temporalia omnia subde fidei tuæ 249
Tempora præterita vbi sunt? 216
Tempus huius sæculi propinquat ad finem 418
Tempus messis veniet 481
Tempus misericordiæ 143.437
Tempus nostrum quando veniet 351
Tenebras suas qui tenebrent 152
Tenebræ iniquitas 230
Tenebræ tristes sunt 213
Tentationes ad quid prosint 172.498
Tentatus quisque sibi innotescit 497
Tanto securior, quanto pauperior quis 14
Terra clamat Deo: Tu me condidisti 205
Terra per similitudinẽ dicitur mare 11
Terra tua, Ecclesia est 78
Terra viuorum, regnum sanctorum est 341
Terræ vox, species eius est 206
Terrenis non debemus inhærere 255
Testamentum Dei immobile manet 315
Testamentum vetus in nouo reuelatum 520
Testamentum vetus terram promisit 314

The-

Theodosius pœnitentiam publicè egit 154
Thesaurus in terra quia cor in terra 37
Time pinguescere, ne alter te quærat 11
Timeri vis à minore: time maiorem 13
Timor non peccandi, securitas est viuendi 175
Tolerantia ad operationem pertinet 238
Tolerantiam qui perdit, de cælo cecidit 230
Tortuosi qui sint 217
Tractatio alieni peccati, probat virum spiritualem 471
Traiectitium facere 45. 61. 67
Tremor magnus est in docente 460
Tribulatio ad quid conducat 95
Tribulatio, diaboli tentamentum 235
Tribulatio etiam beneficium est 188
Tribulatio, maxima quæ sit 182. 326
Tribulatio tunsio est 101
Tribulationes cur misceat Deus terrenis gaudiis 325
Triticum es; ferto paleam 413
Triticum in humida terra putrescit 67
Tuba ductilis erat Apostolus 102
Tuba ductilis malleo producitur 174
Tubæ ductiles quæ 102
Tunica melius perit, quàm anima 236
Tunicæ in regno cælorum non spectandæ 5
Tunsio pectorum quid significet 221
Turtur quæ est Ecclesia, vbi ponat pullos suos 365

V.

Væ populorum quæ sint 386
Væ à desperatione 140
Væ à peruersa spe 140
Væ nobis si Deum non quæramus 320
Væ tibi, si amaueris condita, deserto conditore 259
Væ tibi, si nomen tuũ non est scriptum in cælo 450
Væ peruersis cordibus 235
Vanitas est, sperare in re terrena 2
Vapulat quis, quando ægrotat 115
Vas exinaniri debet quod aliquando implendum est 327
Vas igne firmatum aquam non timet 245
Vbera Ecclesiæ, duo sunt testamenta 366
Vbi consensio, ibi propinquitas 482
Vbi deest qui nusquam non est? 193
Vbi lucrum, ibi damnum 30
Vbi sensus, ibi homo 31
Ventris negotium etiam in ieiunio agitur 341
Venus non facit adulterum 111. 133
Verbum non est mutatum in hominem 367
Verbum pars Ecclesiæ non est 375
Verbum sponsus, sponsa caro humana 375
Veritas de terra orta, quid sit 95. 124
Veritas excipit animam, quam nõ occidit iniquitas 418
Vermiculus non habitat in cælo 203
Vermis diuitiarum, superbia 7
Vestis non est pretiosior quàm fides 19
Vestis nostra in cælo, immortalitas 299
Victor stabulum non amet pro domo sua 187
Vicus argentarius 62
Videns de luce, luci non prodest 321
Videre Dei, animaduertere est 329
Vigilandum est acriùs aduersus felicitatem 244
Vigiliæ in festis sanctorum 301
Vigilias quales dabit dies æternus 301
Vincere non potest, nisi qui certauerit 497
Vindicat Deus non irascens, sed propitius 169
Vindicauit De' in affectiones Pauli 170
Vindicetur quomodo in seruos Dei 170
Vindictam qui optat, videat ne illum priorem inueniat 241
Vinea Domini sumus 199
Virga patris melior, quàm blandimentum prædonis 117
Virginis partus, lapis est de monte præcisus 360
Virgo sanctimonialis si nupserit, est adultera 184
Virginitas cordis quæ 421
Vir vxori quando diabolus fiat 419
Viscera quare Deus contecta esse voluit 294
Visco qui non figentur 433
Visio Dei satietas nostra erit in cælo 337
Visio Dei, sola, est summum bonum nostrum 337
Visio filij Dei beatitudinem nobis tribuet 275
Visitationes sanctorum locorum 318
Vita æterna merces nostra 277
Vita æterna quanto labore emenda sit 343
Vita hæc multos fallit, Deus neminem 314

Vita

Vita humana amara est 11
Vita humana breuis 145
Vita humana est misera 325
Vita humana laboribus plena 325
Vita humana tota tentatio 115.214.325
Vita mortalis plaga nostra est 134
Vita nostra momentum temporis est ad Deum 377
Vita nostra sine tentatione esse non potest 427
Vita noua indicitur 127
Vita purgata difficilè inuenitur 444
Vita tua si erit longa; bona sit 142
Vitiorum omnium caput est superbia 159.462
Vitium capitale, cùm quis tentatur superbia 459
Vitium inanis gloriæ perfectis cauendum 461
Vitium superbiæ in docendo cauendum 460
Vitro fragiliores sumus 1:5
Vitrum etsi fragile, diu durat 145
Vnitas non est dimittenda propter malos 393
Vnitas nos compaginat vni 349
Vnus homo in corde suo luctatur cum turba 428
Vnusquisque tremit, cùm videt alterum exisse 385
Vnus vterus; & non vnus animus 57
Voluntas bona, dicitur charitas 80
Voluntas bona vacare non potest 81
Voluntas Dei æqualis est 221
Voluntas Dei innotescit nobis in multis 170
Voluntas Dei, regula est 217
Voluntas magna in Zacchæo & vidua 79
Voluntas nocendi, desuper non datur 92
Voluntatem ad pernitiem habet homo in potestate 99
Voluntatem bonam qui habet, totum habet 79
Vox cornina: Cras, cras 94
Vox hæreticorum qualis 393
Vox medici est; Sufficit tibi gratia mea 112
Vter plenus difficile mouetur 9
Vterque sexus post resurrectionem erit 296
Vterus Mariæ virginis, thalamus est coniunctionis 376. 117
Vtile quiddam est tribulatio 245
Vua acerba dentibus vexatio est 191
Vulnus nudum fœdius est 154
Vulnus sanatur sub tegmine medici 143
Vulpes, dolus est 453
Vultus Domini super facientes mala 158
Vxor Iob, adiutrix diaboli 100.224. 417
Vxor Loth quare in statuam salis versa 183

Z.


ZAchæus à morbo auaritiæ saluus factus 74
Zachæus dans dimidium bonorum suorum, ad quid alterum dimidium seruauerit 74
Zachæus emit regnum cælorum 78
Zachæus sacrificium laudis habuit 209

FINIS.

Typographus ad Lectorem.

Thesaurum istum, quem damus, amice Lector, non malè quis dixerit D. Augustini esse Psalterium. Ex eius enim praeclaris Enarrationibus, quas in Psalmos omnes scripsit, pars maxima sententiarũ huius Thesauri, vt videre licet, cõgesta est. Quod propterea te admonitum esse volumus, vt ad perscrutandas has pretiosas margaritas magis exstimuleris, neq pigeat, easdẽ Enarrationes suo ordine, semel attenta lectione peruoluere. Nam quorundã testimonio compertum habemus, quantus ipsis profectus accesserit, tum ad cognitionẽ pietatis, tum etiam ad sacrarum Scripturarum intelligẽtiam, ex sola illarũ Enarrationum sedula perscrutatione. Deinde quod in hoc Thesauro quasi particulatim ac minutatim exhiberi debuit, quo Opusculi vitaretur prolixitas; hoc illic inuenies plurimis in locis & latiùs & clariùs explicatum. Et ne mireris, si alicubi in hoc Thesauro videris textum D. Augustini, aut in personis, aut numeris nõ nihil immutatũ: hoc enim vt fieret, aliquoties exegit & huius generis scripturæ, & ipsius, quæ obseruãda erat, connexionis ratio. Quæ autem typis cursoriis hic vides impressa, D. Augustini verba non sunt. Postremò, errata, quæ hic deprehensa sunt irrepsisse, sequenti modo licebit corrigere.

Errata



Errata textus hoc modo corrigenda.

Pagina	*Versu*	
23.	1.	quotidie
24.	14.	concipi
28.	8.	ergo
50.	30.	parentum
54.	28.	vinolentiam
56.	1[illegible]	idolorum
73.	30.	theſauris
74.	27.	ſeruauit
Ibidem	37.	Sic enim
91. in argumēto 5.		ſic nec
Ibidem in argumēto 10.		recuſanda
117.	19.	eſſet poſſibile
129.	31.	oſteis
147.	33.	plangit
156.	32.	non ſolum non
158.	23.	perfectè
159.	2.	defenſus eſt.
130	2.	*interpone.* Sed ſicut ferunt quæ in alios fiunt: ſic ferant & quæ in ipſos fiunt.
238	35.	doloſè
282.	3.	iuuenis
Ibidem	38.	ſurrexerit
341.	39.	ſperes
361.	30.	anniuæ
363.	4.	firmiora
3[illegible]6.	5.	paruuli ſimus
379.	9.	quibus hoc figurabatur
384.	7.	ſumpſit
434.	34.	ſiue
Ibidem vltimo,		inuenit
437.	33.	piget
[illegible]	7.	vi quaſi
[illegible]58.	27.	*dele poſterius* non
462.	7.	cautam
478.	17.	iſta lex
481.	31.	potui
482.	7.	mixti
491.	1.	ſimus
498.	30.	Non vos

Errata in marginalibus hoc modo corrigenda.

Pagina	*Additione*	
6	1.	Matth. 13.
Ibidem	8.	In Pſal. 85.
7.	3.	Gen. 23.
9.	1,	2. Corint. 6
Ibidem.	5.	Cap. 16.
16.	1.	Homi. 8.
22.	2.	In Pſal. 33. conc. 2.
24.	7.	eſt Sermo 196.
37.	2.	Geneſ. 3.
58.	4.	in medio.
70.	4.	ſenten. 80.
74.	2.	Luc. 16.
79.	5.	Matth. 10.
Ibidem	5.	In Pſal. 122.
87.	7.	In Pſal. 36. conc. 2.
101.	3.	Ser. 222.
137.	5.	In Pſal. 39.
1 7.	4.	Eccleſ. 5.
152.	1.	Pſal. 33.
159.	2.	In Pſal, 18. expoſ. 2.
192.	5.	Matth. 6.
193.	4.	In Pſal. 145.
195.	1.	Rom 8.
158.	2.	Sapient. 9.
263.	3.	In Pſal. 85.
282.	3.	Luc. 7.
285.	3.	Ser. 34.
297.	1.	In Pſal. 43.
Ibidem	4.	lib 2. quæſt.
311.	6.	In Pſal. 145.
319.	1.	Serm. 18.
Ibidem	8.	Vide in Pſalm. 139.
321.	3.	Epiſt. 49. quæſt. 3.
338.	8	Vide in Pſal. 32. con. 1.
355.	8.	Ioan. 17.
368.	3.	1. Corint. 1.
379.	2.	Vide Ser. 108. inter diuer.
381.	2.	In Pſal. 147.
384.	2.	In Pſal. 95. à princip.
385.	4.	Pſal. 106.
386.	1.	Pſalm. 67.
407.	1.	In Pſal. 90.
418.	4.	In Pſal. 93.
415.	5.	Galat. 5.
431.	4.	2. Theſſal. 3.
434.	3.	In Pſal. 113.
448.	2.	Epiſt. 46
457.	1.	In Pſal. 95.
464.	6.	In Pſal. 65.
491.	1.	Tract. 10. in initio,

4-4


IHS